Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/periodica-de-re-canonica_1936_25

EN FAMILIARIS PATRIS EFFIGIES
AB AMICIS ULTIMAE VITAE ANNIS
ROMAE PHOTOGRAPHICE EXPRESSA



EN FAMILIARIS PATRIS EFFIGIES
AB AMICIS ULTIMAE VITAE ANNIS
ROMAE PHOTOGRAPHICE EXPRESSA

Erratum

In ultimum Fasciculum, Tomi ~~praecedentis~~ hujus (Tom. XXV (1936) Fasc. V), quaedam menda irrepserunt, quae benevolus Lector paucis corrigere velit. Pagina 229 (ERRATA ET ADDENDA), linea 1, *loco* 11* *legendum* 17*; et, linea 2, *loco* 17* *legendum* 11*; deinde, linea 3, *loco* 24* *lege* 124*, et tandem, linea 4, *loco* 31 *lege* 31*.

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS VICESIMUS QUINTUS

(X. novae seriei)

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (101)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1936

16769

IMPRIMATUR

RAPHAËL BITETTI S. I
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, 22 Dec. 1936.

† MICHAËL FONTEVECCHIA
E.pus Aquin., Soranus et Pontiscurvi

SOC. TIPOG. A. MACIOCE & PISANI - Isola del Liri

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Actio Catholica in Corpore Christi

DOCTRINALIA ET BIBLIOGRAPHICA

I — De laicorum apostolatu sensu latiori

Actio catholica est ratio quaedam specialis apostolatus laici. Apostolatus autem generice sumptus omnibus laicis est officium impositum, quo suo modo collaborent cum sacerdotibus et religiosis in extendendo Regno Christi in cordibus, familia, societate.

Obligatio huius apostolatus variis fundatur in praeceptis divinis. Prae ceteris autem tum ratione absolutae necessitatis, tum efficacitatis, tum facilitatis omnibus imponitur oratio apostolica. Ipse Christus *Matth.* 6, 10 docet omnes orare: *Adveniat Regnum tuum;* et alibi *Matth.* 9, 27: *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Nil igitur Cordi Iesu magis gratum, quam intentio « pro clero », quae sodalibus « Apostolatus Orationis » tantopere commendatur. Notissima etiam sunt illa 1 *Tim.* 2, 1-4, ex cuius meditatione nata est pia illa unio, de qua modo dixi.

Cum apostolatu orationis arcte connectitur apostolatus sacrificii, qualis exercetur cum in vita quo-

tidiana, tum in vita liturgica. In vita quotidiana, quando laici secundum Pauli praeceptum *Rom.* 12, 12 *in tribulatione patientes et orationi instantes,* socii facti passionis apostolicae (2 *Cor.* 1, 7), et ipsi adimplent, quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (*Col.* 1, 24), et mortificationem Iesu in corpore suo circumferunt, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus eorum (2 *Cor.* 4, 10); in vita vero liturgica, quando in sacrificio Eucharistico cum Ecclesia agnum immaculatum Deo offerunt pro redemptione multorum. Notandum tamen est sacrificium sacerdotis et laici essentialiter differre: ille sacrificat, consecrando et offerendo, hi non sacrificant consecrando, sed offerendo tantum; quod Ecclesia etiam liturgice exprimit, quando sacerdotem dicentem facit: *Orate fratres,* non *ut nostrum,* sed: *ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum,* eadem ratione ac Christus olim de patre loquens non dixerat: *Ascendo ad patrem nostrum,* sed distinctione facta: *ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, Ioh.* 20, 17.

Magni pretii quoque est apostolatus exempli secundum praeceptum Christi *Matth.* 5, 6: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* Princeps Apostolorum, vestigiis inhaerens magistri 1 *Petr.* 3, 12 admonet fideles, ut conversationem bonam inter gentes habeant, ut ipsi ex operibus bonis Christum considerantes, glorificent Deum in die visitationis; et Apostolus gentium 1 *Cor.* 10, 32, ut sine offensione sint Iudaeis, gentibus, et Ecclesiae Dei, ut homines salvi fiant.

Nec laicis deest apostolatus loquelae. Nam non solummodo parentes filiis imprimere debent rudimenta prima religionis; sed omnes sine exceptione obligantur, ut si quando causa Christi id postulet, religionem absque rubore profiteantur (*Matth.* 10, 32)

et ut sciant, quomodo oporteat unicuique respondere (*Col.* 4, 6). Accedit etiam, quae haud raro ignoratur, obligatio correptionis fraternae, ad quam, ut verbis Bellarminianis utar, eo magis homines « ius » habent, quo magis habent ius ad amorem nostrum.

Haud minus omnes exercere debent apostolatum operis, non solum operibus misericordiae temporalis et spiritualis (*Matth.* 25, 34-40; *Rom.* 12, 13-21), ut in bono malum vincant secundum Apostolum; sed etiam in bene explendis cuiusque status officiis. Patroni, ludimagistri, medici, centuriones, bene officio suo fungentes, eo ipso sunt Apostoli; et ante omnes pater et mater, quorum est, ut cum Chrysostomo loquar, familiam suam (et minime secundum S. Episcopum excluduntur domestici!) parvam ecclesiam constituere (cf. *Eph.* 6, 4; *Col.* 3, 21).

Haec omnia sunt elementa ea, quibus constituitur laicorum apostolatus, generice spectatus, quo et ipsi fiant, « sal terrae » et « lux mundi » (*Matth.* 5, 13-14), et suo modo participent vocationem sublimem apostolorum: divinorum illud divinissimum, quod est cooperari cum Deo in salutem animarum.

Quae quidem notissima sunt. Libros afferre esset ululas urbi Atheniensium, aquam mari afferre. Noto solummodo:

Pii Pp. XI, *Allocutiones* de variis apostolatibus apud A. Cavagna, *Pio XI e l'Azione Cattolica*. 2 ed. Roma, 1930, pag. 471 sqq. et passim.

Seb. Tromp S. I., *De Corpore Christi Mystico et actione catholica ad mentem S. Ioh. Chrysostomi*. Romae (apud Pont. Univ. Greg.), 1932 (ubi splendida testimonia Auriflui de apostolatu omnimodo).

S. Augustinus, *De Catech. rudibus*. ML. 40 (ubi iam catechumeni praemonendi sunt de scandalis extra Ecclesiam et intra!).

H. Ramière, *L'apostolat de la prière*. Le Puy, 1865.

Quod si praecepta omnia modo allata profundius consideras, statim videbis ea fundari in duobus praeceptis summis: charitatem Dei et proximi; Dei, qui vult ut omnes homines salvi fiant, et ad agnitionem veritatis veniant, secundum illud 1 *Tim.* 2, 4; proximi, quem debemus diligere sicut nosmetipsos, et cui hac de re exoptetur non tantum platonice, sed efficaciter vita vera, quae est cognoscere et amare Deum et quem misit Iesum Christum.

De habitudine caritatis ad apostolatum, videas:

M. Gierens S. J., *Katholische Aktion und Gesetz der Liebe,* in *Pastor Bonus,* 40 (1929), pag. 12-22; 128-138.

K. Rahner S. J., *Weihe des Laien zur Seelsorge,* in *Zeitschr. für Aszese und Mystik,* 11 (1936), pag. 21-34.

Inspicientem rem theologice, non fugiet laicalem apostolatum arcte connecti cum structura organica Corporis Chrysti Mystici, ubi omnia membra non eundem actum habent, sed actus exercent diversos, prout participant Spiritum Christi, qui est anima divini illius corporis, idque secundum mensuram donationis Christi (*Rom.* 12, 3; 1 *Cor.* 12, 11; *Eph.* 4, 7) qui est eius Caput vivificans.

Ut autem melius hoc mysterium percipiatur, notandum est Ecclesiam Unam Sanctam, Catholicam, Apostolicam, Romanam hac in terra esse Corpus Christi Mysticum. Ecclesia visibilis iuridice organizata, et Ecclesia mystice a Spiritu Christi vivificata, non sunt res materialiter diversae, sed res una, considerata ex duplici respectu, sicut et homo animalis et rationalis non est duplex aliqua creatura, sed unum quid cum respectu tamen duplici. Christus tempore praedicationis suae efformavit organismum visibilem, divinum ex fine suo, glorificatione Trinitatis et sanctificatione hominum, divinum quoque ex causa sua exemplari, ipso Christo in munere suo Messianico, doctoris, regis, sacerdotis,

cum multiplicibus donis et charismatis exornato ad salutem mundi. Hanc autem organizationem Christus modo ontologico, si ita dicere fas est, in ordinem divinum evexit, cum in cruce tradendo Spiritu humano, Spiritum quoque Sanctum, qui et ab Ipso procedit, Ecclesiae suae meruit et inflavit; haud aliter ac Deus Adamum, prius formatum de limo terrae, vivificavit, cum inspiraret in eum spiraculum vitae: et factus est homo in animam viventem. Quem eundem Spiritum Christus dedit Ecclesiae uberiore effusione, id est manifestatione charismatica ad extra, die pneumatico Pentecostes. Hoc Spiritu suo, prout unus idemque numero quiescit cum plenitudine abundantiae in humanitate Christi, proutque effusus a Christo habitat in corpore, organis, membris, secundum gradum, quem requirunt munera et capacitates recipientium: Christus Ecclesiam suam sibi unit tamquam Sponso sponsam, tamquam Capiti corpus ineffabile.

Organa autem Corporis Christi, variis instructa operationibus, prout secundum mensuram donationis Christi participant Spiritum Sanctum, qui ut iam dixi absolutissima plenitudine gratiarum, virtutum, donorum charismatum in Capite residet, haec sunt:

a — Sacra Hierarchia. Est autem hierarchia organum principale. Charismate enim veritatis illustrata, et donis scientiae, intellectus, sapientiae ditata, debet modo speciali continuare Christum doctorem; dono prudentiae fortitudinis et timoris Dei Christum regem; dono pietatis Christum sanctificatorem, qui sese tradidit morti in redemptionem multorum. Modo specialissimo praesules sunt instrumenta Spiritus Sancti in administratione Sacramentorum; modo specialissimo sponsi effecti ecclesiarum, quotidie generant nova membra Ecclesiae, sicut e latere Christi Sponsi soporati in ligno Crucis exivit tota Ecclesia. Notandum est Rom. Pontificem, prout habet primatum, rectius non dici or-

ganon Ecclesiae, cum potius ipse sit manifestatio Christi Capitis, qui cum per se invisibiliter influat, dum interne movet Corpus Mysticum, in directione Ecclesiae externa agit per Petrum, secundum verba illa famosa Bonifacii VIII : *Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum ; Christus videlicet et Christi vicarius, Petrus Petrique successor, dicente Domino ipso Petro :* « *pasce oves meas,* » (Denz. 468).

b — Organa prorsus specialia Corporis Mystici sunt magni charismatici et thaumaturgi, Sancti eximii, qui ex voluntate Christi semper debent esse in Ecclesia, ut ex voluntaria pluvia Spiritus Sancti, qui virtutes suas distribuit prout vult, continuant Christum charismaticum et thaumaturgum, sic efficientes, ut Ecclesia Dei maneat semper motivum aliquod eximium credibilitatis, sicut et Christus suam doctrinam praedicatione miraculosa credibilem monstraverat. Quid charismatici significent, manifestat tota historia ecclesiastica, fundatorum ordinum, Theresiae ab Infante Iesu, Ioannis Vianney, aliorum innumerabilium. Attamen si spiritus prophetarum, iam ipsis prophetis subiecti sunt (1 *Cor.* 14, 32), multo magis subduntur prophetis istis, qui vi muneris et institutionis divinae « pro Deo loquuntur », hierarchiae scilicet.

c — Organa alia sunt ii, qui per consilia evangelica se tradunt perfectioni evangelicae, quae ex natura et essentia sua, ut dixerunt theologi Vaticani, est res Ecclesiae, Corporis Christi Mystici. Ipsi autem moventur motibus Spiritus Sancti, qui interne vocat, ut imitentur Christum in ipsius paupertate, castitate, oboedientia; sive vita contemplativa, qua continuant mirum in modum Christum, qui in monte, mediator coeli et terrae, interpellabat pro salute omnium, sive vita activa in operibus caritatis spiritualis et temporalis, qua con-

tinuant Christum, qui circumibat benefaciendo et consolando omnes.

d — Sunt etiam organa specialia matrimonio iuncti, qui etiam suum charisma habent, ut docet Apostolus (1 *Cor.* 7, 7). In sacramento matrimonii, vir et uxor, quodammodo sibi sacerdotes, ut ministri Spiritus Sancti, sibi invicem dant gratiam matrimonialem. Et sicut Christus et Ecclesia hierarchica semper filios spirituales per Baptismum generant, per Eucharistiam nutriunt, per confirmationem roborant, sic et illi materialiter procreant, qui incorporari possint in Corpus Mysticum, eosque in fide instruunt et roborant, ut semper membra vitaliora Christi efficiantur. Sane magnum Mysterium in Christo et Ecclesia ; neque absque ratione Chrysostomus familiam nuncupat parvam Ecclesiam ; nec absque ratione Pius XI vult, ut parentes quodammodo sibi dicta existiment verba Pauli ad Timotheum (2 *Tim.* 1, 6-7) loquentis de Sacramento Ordinis : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

e — Sed et laici omnes suum officium habent in Corpore Christi, quod est Ecclesia. Charactere enim baptismatis et confirmationis suo modo participant sacerdotium Christi, et hac de re speciali aliquo titulo vocantur ad apostolatum orationis, sacrificii, exempli, loquelae, operis, de quo antea dixi. Immo in hoc charactere radicatur possibilitas, ut vocentur ad proxime adiuvandos sacerdotes in apostolatu ecclesiastico, ad quem sola hierarchia directe est missa. Sic laici, qui virtutibus Spiritus Sancti adiuti, maxime debent imitari et continuare Christum quoad virtutes domesticas et civiles, quas exercuit in urbe Nazarethana, et imprimis Christum agnum repraesentant, dum hierarchia repraesentat Christum pastorem, etiam sese manifestant mundo sicut puer Iesus in templo Hierosolymitano, sub ductu tamen potestatis hierarchicae.

In Corpore Christi Mystico bene distingui debent organa ut organa et membra ut membra. Membrum ut membrum non constituitur charismate, quod primario datur in utilitatem aliorum, sed fide. Dum enim membrum sacramento fidei externe cum Corpore Christi coniungitur, interne per fidem in Christum incorporatur. Haec autem unio solummodo perfecta est, si fides formata est charitate. Hac de causa in Ecclesia membra sunt perfecte sana, ea scilicet, quae sunt in amore Dei. Sunt autem alia (nam hic in terra sponsa nondum est sine macula et ruga), quae, ut verbis Chrysostomi utar, in Christo quidem sunt, sed non in amore Christi. Sunt membra talia morbida seu caritate mortua. Inter ea sunt quae sese curari sinunt: dico poenitentes. Sunt et alia, quae scandalo sunt aliis, peccatis vel inoboedientia sua contagiosa et exitiosa; quae si nolunt corrigi, exsecanda sunt excommunicatione. Ad eos Patres applicant verba Christi: *Si oculus tuus scandalizat te, erue et proice abs te. Matth.* 5, 29. Sunt et alia, quae plene sunt mortificata absque ullo influxu et charitatis et fidei. Illa vinculo exteriori cum Corpore Christi coniuncta manere possunt, si publice non se produnt haereticos vel apostatas; sed haud aliter ac membra frigore plane mortificata in corpore humano, sic et illa iam nullo modo subsunt influxui vivifico Spiritus, nisi in quantum ea, ut est Spiritus misericordiae, instigat motibus poenitentiae. Quare gratia in Corpore Christi est, quod in corpore humano est sanitas plane vitalis.

Sic Corpus Christi in terris organice cohaeret et implentur in eo verba notissima Sancti Pauli de Corpore Mystico, *Rom.* 12, 4: *Sicut in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo;* sic implentur verba eiusdem doctoris de Christo Mystico, 1 *Cor.* 12, 12: *Operatur unus atque idem Spiri-*

tus, dividens singulis, prout vult. Sicut corpus unum est, et membra habet multa ; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt : ita et « Christus ». Sic per Spiritum Sanctum, qui in humanitate Christi habitat cum absoluta plenitudine gratiarum, virtutum, donorum, charismatum ad abundantiam et effusionem in alios, Christus ipse prolongatur et continuatur in terris. Nam operante Spiritu Christi in singulis membris et organis, secundum mensuram donationis Christi (*Eph.* 4, 7), modo ineffabili constituitur Ecclesia plenitudo Christi, qui quoad omnia spiritualia in omnibus impletur (*Eph.* 1, 23) ; et exoritur, ut verbo Augustiniano utar, Christus totus : Corpus et Caput.

Ex praedictis patet apostolatum et apostolatus obligationem, si considero membra Corporis Christi ut membra, in singulis Christianis specifice non distingui. Omnes enim debent charitatis vinculo cum Christo esse coniuncti, et ex hac charitate diligere Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, necnon proximo velle summum bonum, id est salvationem animae. Pro fervore autem charitatis differet etiam fervor apostolatus.

Si autem considero organa ut organa, prorsus diversa erit ratio. Apostolatus enim hierarchicus est ex aliqua missione iuridica Christi, cui correspondet character sacerdotalis, quo ministri Ecclesiae variis gradibus directe participant sacerdotium Christi. Hac de causa illis imprimis dictum est illud 1 *Cor.* 9, 16 : *Vae mihi si non evangelizavero.* Apostolatus religiosorum est ex vocatione speciali, attamen ordinaria; contemplativi arctius vocantur ad orationem apostolicam, activi arctius ad opera misericordiae temporalis et spiritualis. Apostolatus autem charismaticorum est ex vocatione non tantum speciali, sed etiam prorsus extraordinaria. Apostolatus vero parentum fundatur in natura matrimonii, a Christo in ordinem Sacramenti elevati. Laici

autem, praeter obligationem apostolatus generalem, quae radicatur in ipsa natura humana gratia elevata, obligationem novam habent ex charactere baptismatis et confirmationis, quo obligantur ad apostolatum sacrificii liturgici et fidei confessionem defensionemque; dum simul hoc charactere, quo remotius participant sacerdotium Christi, disponuntur, ut, si vocentur a praesulibus Ecclesiae, modo quodam analogo participent apostolatum hierarchicum. Patet apostolatum laicorum contineri in apostolatu statuum aliorum, sicut minus perfectum in perfectiori.

Ecclesiam Catholicam esse Corpus Christi Mysticum, vide:

S. Leo Magnus, *Epist.* 14, 11. ML 54, 675-676 (C. M. et hierarchia).

S. Gelasius I, *Epist.* 14, 89-90. ML 59, 89 (C. M. et Rom. Pont.).

Pelagius I, *frgm. Epist.* ML 69, 411 (C. M., Papa, Schisma).

S. Gregorius Magnus, *Epist.* lib. V, 18. ML 77, 739 (Christus « caput universale » C. M.).

Leo IX, *ad Mich. imp. Const.* Hard. VI, 930 (Petrus et C. M.).

Bonif. VIII, *Una Sancta.* Denz. 468. (U. S. C. A. Ecclesia Corpus Christi Mysticum; unum Caput, sc. Christus sese manifestans ad extra in Petro).

Concil. Trid., *Decr. de Euch.* Cap. 2. Denz. 875 (C. M.; eucharistia; unitas fidei, spei, caritatis; schisma).

Pius VI, *c. Pistor.*, Denz. 1515 (Ad C. M. etiam pertinent peccatores; cf. Denz. 1422-1428).

Pius IX, Act. 24 Mart. 1858: *Coll. Prop. fidei* II, 1158. - Act. Apr. 1862, *ibid.* II, 1262. - ad Puyseistas 8 Nov. 1865. *ASS* 27, 69. - Litt. Ap. *Iam vos omnes* ad protest. 13 Sept. 1868 (Eccl. super Petrum C. M.).

Concil. Vat., *Prooem. Const. de fide* (utilitas Concil. pro C. M.).

Leo XIII, *Satis Cognitum*, 29 Jun. 1896. *ASS* 28, 708-739; Cf. ed. Dieckmann, *de Eccl.*, II, n. 967, 968, 971, 974, 975, 1006.

Leo XIII, *Div. Illud*, 9 Mai 1897. *ASS* 29, 645, 649-50 (Sp. S. anima C. M.).

Bened. XV, *Mot. Prop.*, 1 Mai 1917, *ASS* 9, 529 (unum C. Christi M. seu cath. Eccl.).

PIUS XI, *Ubi arcano Dei*, 23 Dec. 1922. *AAS* 15, 691 et 695. — *Mortalium animos*, 6 Ian. 1928. *AAS* 20, 14. — *Lux Veritatis*, 25 Dec. 1931. *AAS* 23, 810 (unio hypost. exemplar unionis C. M.). — *Epist. de hebd. union. Pol.*, 6 Ian. 1933. *AAS* 25, 23.

Quoad doctrinam de Corpore Mystico, conferri possunt:

S. THOMAS, *III Sent.* d. 13, q. 2. — *IV Sent.* d. 49, art. 3. — *C. G.* IV 21 et 76. — *S. Th.*, II-II, q. 39, art. 1. et q. 183, art. 2 et 3 (de officiis in C. M.). — *De Verit.*, q. 29, art. 4-7. — *Prolog. in Ep. S. Pauli* (de gratia capitis). — *Comm. in Ep. S. Pauli* in eos locos, ubi agitur de Capite et Corpore Eccl. — *In Ioh.* praecipue in cap. 17. — *De Regno* I, 14 (Mandonnet: *Opusc* I, 343). — *C. Error. Graec.* (Mand. *o. c.*, III, 322). — *De Symbolo* in verba: U. S. Eccles. (Mand. IV, 378). — *Comp. Theol.*, 114 et 115.

SUAREZ, *De Fide* I, disp. 9: de Ecclesia. — *Defensio fid. contra Angl. errores.* — *De statu relig.*, III, cap. 2, n. 5 (Suarez semper procedit ex idea: Ecclesia est C. M.).

ACTA CONCIL. VAT., *Primum schema: Const. de Ecclesia* cum notis theologorum. *Coll. Lac.* VII, pag. 567-641 (Theologi procedunt sicut Suarez; cap. 15 et not. 48: de statu perfectionis in C. M.).

C. PASSAGLIA, *De Ecclesia Christi Comm. libri, 5.* Ratisbonae, 1853 (opus prorsus sui generis).

H. HURTER S. I., *De Ecclesia, Corpore Christi Mystico* (SS. Patrum Opera Selecta, XXVII). Oeniponti, 1874.

Card. J. B. FRANZELIN S. I., *Theses de Ecclesia Christi.* Ed. 2. Romae, 1907 (opus posthumum).

M. GRABMANN, *Die Lehre des H. Thomas von der Kirche als Gotteswerk.* Regensburg, 1903.

R. H. BENSON, *Christ in the Church.* Ed. 4. St. Louis-London, 1920 (variae versiones).

W. KOESTER S. J., *Die Idee der Kirche beim Apostel Paulus.* Münster in W., 1928.

J. ANGER, *La doctrine du Corps Mystique de J. C., d'après les Principes de la Théologie de Saint Thomas.* Paris, 1929.

TH. KAEPPELI O. P., *Zur Lehre des Hl. Thomas von Aquin vom Corpus Christi Mysticum.* Freiburg-Schweiz, 1931.

E. MERSCH S. J., *Le Corps Mystique du Christ*, 2 vol. Louvain, 1933 (consideratio cum theologica, tum historica).

Fr. JÜRGENSMEIER, *Der Mystische Leib Christi als Grundprinzip der Aszetik*. Ed. 5. Paderborn, 1935.

C. FECKES, *Das Mysterium der heiligen Kirche*. Paderborn, 1924.

E. MURA (des Frères de St. Vincent-de-Paul), *Le Corps Mystique du Christ*. (Synthèse de théologie dogmatique, ascétique et mystique) 2 vol. Paris (A. Blot), 1934.

FULTUM J. SHEEN, *The mystical body of Christ*. London, 1935 (ultimum capitulum: de C. M. et Actione Catholica).

SEB. TROMP S. I., *De Spiritu Sancto, Anima Corporis Mystici*: testimonia e Patribus I Graec., II Latin. (Textus et Documenta, Ser. theol., 1 et 7) Romae (Pont. Univ. Gregor.), 1932.

IDEM, *De Nativitate Ecclesiae ex Corde Iesu in Cruce*, in *Gregorianum* 13 (1932) pag. 489-527. (Germanice in *Zeitschr. für Aszese und Mystik*, 1934). Praeparatur versio italica.

IDEM, *De Corpore Christi Mystico et Actione Catholica ad mentem S. Ioan. Chrysostomi*. (Romae Pont. Univ. Greg.), 1933. Versio Italica Sophiae Vanni. Milano (ACIGF), 1936.

P. DABIN S. J., *La teoria del misterio de la Iglesia y la de la A. C.*, in *Bolletin Oficial de la A. C. Argentina*, 5-6 (1934) n. 112 et 113.

Argumentum pro laicorum apostolatu e Corpore Christi Mystico desumptum, variis modis proponi potest.

a - Ecclesia est Corpus Christi Mysticum ubi omnia membra per Baptismum incorporantur, attamen non omnia eundem actum habent; in quo secundum mensuram donationis Christi, non tantum accipiendo sed etiam dando, cooperari debent, ut totum Corpus crescat in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. A. E. (Cf. *Epist.* Pii Pp. XI ad Patriarch. Olisoponens. 10 Nov. 1933. *AAS* 26, 629).

b - Christiani constituunt Sacerdotium Sanctum, Regale Sacerdotium, Regnum Sacerdotale (1 *Petr.* 2, 5 et 9 ; *Apoc.*, 1, 6 et 5, 10), in quo etiam laici charactere Baptismatis et Confirmationis suo modo participant Sacerdotium Christi. A. E. (Cf. Pius Pp. XI, *Ubi Arcano Dei*, 23 Dec. 1922. *AAS* 14, 695).

c - Ecclesia est Regnum Christi et Exercitus Spiritualis, ubi veluti pro aris et focis est proelium ineundum multiplici ex fronte, ad defendenda iura Dei, Ecclesiae, familiae, individui. Atqui in hoc proelio etiam laicus suas partes habet, sacramento militari adstrictus, scilicet Sacrae Confirmationis charactere. E. (Cf. *Ubi Arcano Dei*, ibid., pag. 692-694 et *Epist.* ad Patriarch. Olisipon., 10 Nov. 1933, *AAS* 26, 629).

d - Ecclesia non tantum est monarchia divina, duce Christo et Christi vicario ; non tantum aristocratia spiritualis, episcopis veluti artubus praecipuis et aureis quibusdam nexibus compacta et connexa, in Petri constituta soliditate; sed etiam auctore Leone XIII, democratia quaedam supernaturalis, ubi omnes virtute gratiae Christi ad summam nobilitatem evecti (consortium dico divinae naturae), ministrantibus servis servorum Dei, gaudent iure plenissimo civium, immo iurium quadam aequalitate. Atqui tali huic iuri correspondeat necesse est officium collaborandi in bonum totius reipublicae. E. (Cf. *Ubi Arcano Dei*, ibid., 695; versio Ital. apud Cavagna, *Pio X e l'Azione Cattolica*, pag. 8).

e - Ecclesia est templum spirituale, ubi omnes fideles ut lapides vivi accedere debent ad lapidem vivum, qui Christus est, ut super Christum et Apostolos coaedificati, consurgant in domum spiritualem, in habitaculum Dei in Spiritu (1 *Petr.* 2, 4 ; *Eph.* 2, 20). Et talium est, teste Petro, vita sua annuntiare virtutes Eius, qui eos vocavit in admirabile lumen suum. E.

f - Ecclesia, ut docet Leo XIII in famosa Encyclica *Satis Cognitum*, est corpus actuosum vegetum, quod Christus sustentat, immissa virtute sua, in eum fere modum, quo vitis alit palmites. Atqui Christus est, qui eligit palmites, eosque ponit, ut fructum apostolicum afferant, fructusque eorum maneat. E. (Cf. *Ioh.* 15. — S. Thom., *in Ioh.*, cap. 15, lect. 1 et 2. — S. Bonav. *in Ioh.*, cap. 15, q. 13-31).

g - In oratione sacerdotali Christus Patrem rogat, ut omnes, Apostoli et fideles, qui per verbum eorum sunt credituri in Christum, sint unum per Spiritum Sanctum, sicut Filius et Pater unum sunt; ut cognoscat mundus quia Pater Christum misit. Ergo in unitate cum hierarchia fideles collaborare debent, ut Christus ubique cognoscatur (*Ioh.*, 17).

h - In Corpore Christi Mystico fideles hauriunt vitam e Christo, ex quo veluti per venas defluit gratia tam copiosa, ut omnes vitam non tantum habeant sed et abundantius habeant, secundum illud *Ioh.* 10, 10. Ergo ad exemplum Christi omnes fideles hanc vitam transfundendam curare debent, in eos omnes qui hac vita nullo modo fruuntur, vel exigue, vel specie tantum (*Epist.* ad Patriarch. Olisoponens., 10 Nov. 1933. *AAS* 26, 629). Vide supra dicta de caritate Dei et proximi.

i - Ecclesia est organismus supernaturalis, ubi parentes Christiani procreando prolem, et educando prolem in Christo incorporatam, munus prorsus speciale habent. Ergo. (S. Bellarminus, *De matrimonio*, cap. 4. - Pius Pp. XI, *Casti Connubii*, 31 Dec. 1930).

Praeter Encyclicas et Epistolas Pii Pp. XI in textu allatas, videas:

W. SCHENZ, *Das Laien-und das hierarchische Priestertum nach den Briefen des Apost. Petrus.* Freiburg Br., 1860.

V. RUMP, *Das allgemeine Priestertum der Christen.* München, 1860.

BEHM, *Der Begriff des allgemeinen Priestertums.* 1910.

E. KREBS. *Vom königl. Priestertum des Volkes Gottes.* Freiburg Br., 1925.

Card. A. BERTRAM, *Laienapostolat ein königl. Priestertum.* Freiburg Br., 1921.

Fr. BROMMER, *Die Lehre vom sacram. Character in der Scholastik.* Paderborn, 1908.

E. DURST, O. S. B., *De Characteribus Sacramentalibus.* Romae, 1925.

ODA SCHNEIDER, *Vom Priestertum der Frau.* (Laienbücherei 2) Wien (Seelsorger-verlag), 1934.

R. PLUS S. J., *Baptême et Confirmation.* Paris, 1929 (Ital.: *Battesimo e Cresima.* Torino, 1933).

J. B. UMBERG S. J., *Die Weihe zum Laienapostolat,* in *Stimmen der Zeit,* 117 (1929), pag. 81-88.

J. B. UMBERG S. J., *Der Ritterschlag zur Kath. Aktion.* Innsbruck, 1931 (de confirmatione).

P. SCHAEPER, *Streiter Christi.* Paderborn, 1935.

G. CAROLLO, *L'apostolato dei laici nei libri del N. T.* Roma (Veritas).

J. WILL S. J., *Die Kath. Aktion: Biblische und dogmatische Grundlagen.* 2 edit. München, 1932 (Versio Italica: *L'Azione Cattolica:* fondamenti biblici e dogmatici. Roma, 1932 — versio Lusit.: *Acção Católica.* Petropolis (Brasil), 1933).

SEB. TROMP S. J., *Democratie en Kerk,* in *Verslagboek vijfde Limb. Social. Studieweek.* Heerlen, 1929.

P. DABIN S. J., *L'apostolat laique.* Paris, 1931.

R. GRABER, *Die dogmat. Grundlagen der Kath. Aktion.* Augsburg, 1932.

SEB. TROMP S. I., *De Corpore Christi Mystico et actione catholica ad mentem S. Ioan. Chrysostomi.* Roma (Pont. Univ. Gregor.), 1932.

W. REINHARD, *Der Laie im übernat. Organismus der Kirche.* Freiburg, Br., 1932.

S. SORETH O. P., *Wesen und dogm. Grundlagen der Kath. Aktion,* in *Die Seelsorge,* 12 (1934) pag. 87.

F. JÜRGENSMEIER, *Die dogm. Grundlage der Kath. Aktion.* Leutesdorf a Rh., 1934.

L. CIVARDI, *Manuale di Azione Cattolica,* I, La Teorica. Ed. 8. Vicenza, 1935 (octo versiones in linguas alias!).

F. THIJSSEN, *Wat is Katholieke Actie?* (G. G. G., 476). 's Hertogenbosch, 1935.

PIUS PP. XI, *Casti Connubii,* 31 Dec. 1930. *AAS* 22 (1930) pag. 539, cum commentariis; cf. *Periodica* 20 (1931) pag. 1-68.

Pro spiritu apostolatus laici:

G. MONTI, *La formazione dei laici all'apostolato.* Roma, 1928.

J. NÖTGES S. J., *Männerapostolatsansprachen* (5 fasc.) Warendorf.

R. MAEDER, *Katholische Aktion.* Basel, 1929.
J. STRAUBINGER, *Christentum der Tat.* Stuttgart, 1932.
E. FIEDLER, *Defensive oder Offensive,* (3 vol.). Wiesbaden, 1929-1932.
Card. FAULHABER, *Priester und Volk in unserer Zeit.* Mainz, 1911.
Card. E. PACELLI, *Gesammelte Reden.* Berlin, 1930.
J. TABOADA, *Los Caballeros del Ideal.* Madrid, 1935.

Pro spiritu interno apostolatus:

PIUS PP. XI, *Miserentissimus Redemptor* (8 Mai 1928. *AAS* 20 (1928), pag. 165); cum commentariis; cf. *Periodica,* 17 (1928), pag. 97-126.
Encycl. *Caritate Christi* de SS. Corde Iesu (3 Mai 1932. *AAS* 24 (1932) pag. 183); cum commentariis; cf. *Periodica.* 21 (1932) pag. 221-240.
Encycl. *Mens Nostra* de usu Exercitiorum Spiritualium, 20 Dec. 1929. *AAS* 21 (1929) pag. 689-706. Cf. *Periodica* 19 (1930) p. 1-21.
S. IGNATIUS DE LOYOLA, *Exercitia Spiritualia.* Ed. Pustet, 1911.
K. SUDBRACK S. J., *Die Schmiede der K. A.* Köln-Deutz (de Ex. Spir.).
Card. GONÇALES CEREJEIRA, Patriarch. Olisiponens., *Epistola de Actione Catholica et Apostolatu Orationis,* 13 Mart. 1935, in *Mensageiro do Coraçâo de Jesus,* 53 (1935), pag. 283-293, et aliis nuntiis Apost. Orat.
G. PALAU S. J., *El católico de acción.* Ed. 5. Madrid, 1934 (versiones in 12 linguas alias; Gallice: *Le catholique d'action,* Paris, 50 mill.; Italice: *Il cattolico d'azione,* Torino).
G. PALAU S. J., *La mujer de acción católica.* Ed. 2. Madrid, 1934 (versiones in 4 linguas alias; Gallice: *La catholique d'action,* Paris, 20 mill.; Italice: *A te, che vuoi essere cattolica,* Milano).
B. GERARDI O. M. I., *Im Dienste der Seelen.* Ed. 3. Paderborn, 1930.
*** *Catholique d'action, Le devoir social médité dans l'Evangile.* Paris, 1925.
*** *Briefe der Kath. Aktion.* Graz (Styria-Verlag).
R. PLUS S. J., *Le Christ dans nos frères.* Toulouse, 1925 (Ital.: *Gesù Cristo nei nostri fratelli*).
J. LABORDE S. J., *Pour être apôtre à l'école de Ste Thérèse de L'Enfant Jésus.* Toulouse, 1927.
L. CIVARDI, *Formazione: Schemi di Conferenze.* Vicenza.
L. CIVARDI, *Manuale di A. C.,* II, pag. 174 (alia litter.).

II — De laicorum Apostolatu sensu stricto Actionis Catholicae

a — *De laicorum Apostolatu in auxilium sacerdotum*

Ad laicorum Apostolatum sensu latiori sumptum, quo omnes laici severe adstringuntur, cuiusque pars essentialis est apostolatus actionis, accedit apostolatus quidam actionis, sensu strictiori intelligendus: scilicet auxilium et adiutorium sacerdotum in exercitio muneris apostolici. Hic apostolatus non est primarie obligatio laici, sed pastorum. Etenim ubi sacerdotes qualibet de causa, finem apostolicum per se plene attingere non possunt, auxiliares sibi adsciscant absolute necesse est. Ad laicum potest spectare officium transiens et momentaneum (v. g. ubi baptismus conferendus est in extrema necessitate, vel moribundus excitandus ad poenitentiam): officium autem generale non adest, nisi in quantum vocetur et mittatur ab auctoritate ecclesiastica. Remote quidem omnes disponuntur, uti supra vidimus, charactere baptismatis et confirmationis, et hac de causa iure omnes *possunt* vocari. De facto autem non omnes semper et ubique vocati sunt. Hisce autem temporibus dicendum est: inde ab Encyclica *Ubi arcano Dei*, 23 Dec. 1923 omnes vocari, non autem omnes eodem modo et eodem gradu. Sunt qui vocentur modo magis receptivo, sunt qui vocentur modo magis activo; alii magis indirecte, prout sunt membra organizationis, quae qua talis sacerdotem adiuvat; alii magis directe, prout auxilio prorsus personali sacerdoti auxilium praebent.

Semper hic apostolatus laicorum, sensu strictiori intellectus, floruit in Ecclesia, licet non semper iuridice determinatus; nec mediocriter in primitiva Ecclesia elucet. Apostoli habebant suos coadiutores laicos, qui cum iis collaborarent, synathletae in Evangelio, quales erant omnes Philippenses in uno spiritu una-

nimes (cf. *Eph.* 1, 27 et 4, 3). Nomina Aquilae et Priscillae a Chrysostomo propter sudores ipsorum apostolicos aeternitati tradita sunt. Inter antiquissimos apologetas quoque inveniuntur charactere sacerdotali minime ornati. In scholis catecheticis inde a saeculo 2^{0} usque ad saeculum 6^{um} etiam laici funguntur magistri officio. Nec defuerunt ex ordine militari, immo imperatorio. Nominare sufficiat Sanctum Sebastianum, et Constantinum Magnum, cuius exsistit Oratio ad Sanctorum Coetum, in quo opusculo capita 11-26 constituunt tractatum completum de vera religione, ad mentem assistentis ecclesiastici, Eusebii episc. Caesariensis, compositum (cf. Migne, *PG* 20, 1233-1316). Inter episcopos, qui maximopere sibi erant persuasi de absoluta necessitate apostolatus laicorum, nominetur S. Gregorius Nyssenus, qui orationem suam magnam apologeticam hac de re confecit, ut catechistas methodo apologetica instrueret; S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui passim in catechesibus suis apologetam facit, ut fidelibus argumenta tradat, quibus Iudaeos, Manichaeos, Gnosticos, haereticos de falsitate errorum convincere possint; S. Ioannes Chrysostomus, qui semper et ubique omnes laicos omnis aetatis, sexus et conditionis exhortatur, ut sese etiam coniunctim apostolatui tradant; episcopum enim et sacerdotem per se omnia facere nequaquam posse. De temporibus antiquis conferas:

Mons. NOGARRA, *La donna nel Vangelo.* Roma.

G. CAROLLO, *L'Apostolato dei laici nei libri del N. T.* Roma (Veritas).

H. VOGELS, *Laienhilfe im Urchristentum,* in *Hochland* 1935-36, Heft. 4.

SEB. TROMP S. I., *De Corpore Christi Mystico et Actione Catholica ad mentem S. Ioannis Chrysostomi.* Romae (Pont. Univ. Gregor.), 1932.

SEB. TROMP S. J. *De H. Joh. Chrysostomus en het Leekenapostolaat,* in *Ned. Kath. Stemmen,* 33 (1933); septem articuli.

L. CIVARDI, *Manuale di Azione Cattolica,* ed. 8, II, pag. 1-41.

Etiam ultimis temporibus non defuit laicorum auxilium in laboribus apostolicis Ecclesiae, praecipue in campo charitativo, sociali, paedagogico, apologetico, catechetico ; nec raro datum est laicis missio canonica, ut sacerdotibus assisterent. Quantum v. g. catechistae de Ecclesia meruerint cum in Europa, tum in missionibus, nemo non videt (De catechistis vide *C. I. C.*, can. 1333, § 1. — *Instr.* S. C. de Prop. Fide, 18 Oct. 1883, § 9 et 19 Mai 1893, § 5 in *Coll. Prop. Fid.* II, pag. 192 et 289, collatis indicibus II, pag. 524. — *Decr.* S. Congr. Concil., 12 Ian., 1935. in *AAS*, 27, pag. 145 sqq. ; collat. *Periodica,* 24 III, 1935, pag. 131-134). Attamen Pio Papae XI Dei providentia datum erat, ut laicorum apostolatum in sacerdotis auxilium tamquam proprium organum iuridicum in organismum Ecclesiae insereret sub nomine Actionis Catholicae, quae hodiedum, etiam re iuridice considerata, est pars officii summi pastoralis. Cf. Civardi, loco laudato.

Antequam ad considerationem iuridicam Actionis Catholicae accedam, ad apostolatum quemdam laicum animum advertere liceat, qui etsi ex vetustissimo more Ecclesiae habetur, eique in Codice Iuris Canonici tredecim canones tribuuntur, tamen saepe saepius magis umbra est quam vera realitas : de patrinis loquor, de quibus *C. I. C.* can. 762-769 et can. 793-797. Ipsi de more ordinario non debent esse religiosi neve in sacris ordinibus constituti et monentur can. 769 : « Patrinorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis, quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter, ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse solemni caeremonia spoponderunt ». De parentibus, heris, tutoribus, eorumque muneribus apostolicis vide *C. I. C.* can. 1113, 1335, 1372 § 2. (1).

(1) Iniuria U. Stutz, *Der Geist des CIC.* Stuttgart 1918, pag. 83 : *Die Laien bilden lediglich das zu leitende und zu lehrende Volk, etc.*

Cf. Tertull., *De bapt.*, 18, 11. Aliud genus apostolatus laici habes *C. I. C.* can. 1062.

b — *De Conceptu iuridico apostolatus auxiliaris*

Haud aliter ac exercitium consiliorum evangelicorum res est Corporis Christi Mystici, eius autem formae concretae, legibus evolutionis historicae subiectae, paulatim quoad elementa essentialia in iure ecclesiastico sunt comprehensae: sic etiam apostolatus laicorum, sub formis variis apparens et organice crescens, tandem aliquando definitive incorporatus est in organismum ecclesiasticum. Haec ultima periodus initium sumit ex verbis illis Encyclicae *Ubi arcano Dei*, toties repetitis: Actionem catholicam sacrum esse officium pastorale necnon in vitae Christianae rationibus positum. (Cf. A. Cavagna, *Pio XI e l'Azione Cattolica* pag. 7, 15, 22, 26, 45 « pars integralis ministerii sacerdotalis », 49, II, XII).

Actionem Catholicam hisce nostris temporibus a Romano Pontifice fuisse organice et iuridice constitutam, nec non ut pupillam oculi defensam, facile explicatur ex huius aetatis necessitatibus iisque gravissimis. Extra Ecclesiam moralitas laicalis ex indifferentismo accrescens in odium Dei infensissimum; intra Ecclesiam catholicitas quaedam minimalistica et nominalistica, haud capax cogitandi quae Dei et Iesu Christi sunt. Olim rapiebantur bona temporalia Ecclesiae; hodie Christus rapitur ex cordibus, familia, schola, vita sociali, politica nationali et internationali.

Quoad documenta papalia et actionem ingentem Pii Papae XI, vide:

A. Cavagna, *Pio XI e l'Azione Cattolica*, ed. 2, Roma, 1930 (docum. inde a 1922 usque Iul. 1930).

C. B., *L'action catholique*: Traduction française des documents pontificaux (1922-1933). Paris (La bonne Presse), 1933.

J. Aspiazu, *Direcciones Pontificias*. Ed. 3. Madrid (Razón y Fe.)

Pio XI, *Discorsi agli Universitari*, Roma (*Studium*).

*** *Colección de Encíclicas sobre A. C., cuestiones sociales y políticas, familia y educación.* Madrid (Junta Central de A. C.).

Documentation Catholique, 8 Febr. et 8 Mart. 1930 vol. I, p. 323-384, et 579-640. (2 fasc. toti destinati Actioni Catholicae); deinde in sequentibus numeris generatim capitulum speciale de A. C.

*** *Katholische Aktion: Päpstliche Weisungen.* Mainz, 1933.

A. Cavagna, *La parola del Papa su l'Azione Cattolica.* Milano, 1927.

Abbé Guerry, *Code de l'Action Catholique.* ed. 5. Paris, 1928, (articuli singuli desumpti ex documentis pontificiis correspondentibus). Versio Hisp. et Lusit.

Ph. de las Cases (laicus), *Pie XI et l'Action Catholique.* Paris, 1928.

G. Frediani, *Pio XI:* cap. 6: Il Papa della A. C., Roma.

Quoad ultima documenta pontificia vide *Acta Apostolicae Sedis, L'Osservatore Romano*, ubi multae allocutiones papales, quae ad rem nostram spectant, *Il Monitore Ecclesiastico*, *La Documentation Catolique.*

Quo facilius prae manibus habentur verba Romani Pontificis, eo difficilius est colligere Episcoporum epistolas, statuta, decreta. Consulendi sunt periodica officialia vel semi-officialia dioecesana, vel etiam periodica, quae iam in multis regionibus speciali ratione Actioni Catholicae destinata sunt. Cf. infra pag. 33* Attamen quaedam magni momenti offerunt:

Die Katholische Aktion in dem Deutschen Diözesen. Hildesheim (Borgmeyer-Verlag), 1934. (Acta Conferent. Fuldens., necnon singulorum Episcoporum ac Praelatorum Germaniae).

Documentation Catholique, 1930, vol. 1, pag. 601-640 (varia documenta episcopalia); passim in numeris sequentibus.

L'Assistente Ecclesiastico, passim in sectione « Segnalazioni ».

Haud pauci episcopi de Actione Catholica libros vel libellos ediderunt:

Card. Maffi, *Epist. pastoralis: Azione Cattolica*, Pisa, (libr. eccles.).

Félix Bilbao, Episc. Tortosae, *Catecismo de Acción Católica* Ed. 3. Madrid (Junta Central de A. C.), 1935 (100.000 exempl.).

Félix Bilbao, *Jerarquismo*, Ed. 2, ibidem, 1935.
A. Silva Santiago, Episc. Chilensis, *Nociones de A. C.* Ed. 2. Santiago de Chile, 1932.
Card. A. Bertram, *Laienapostolat ein königl. Priestertum.* Freiburg Br., 1921.
Idem, *Im Geiste und Dienste der Kathol. Aktion.* München, 1929.
M. Gourraud, Episc. Vannensis, *Pour l'Action Catholique.* Paris, 1913.
Aengenent en Visser, *Handboek voor het leekenapostolaat.* Utrecht, 1929.

Saepe saepius Pius Papa XI Actionem Catholicam definivit: Cooperatio laicorum ad apostolatum hierarchiae (ad extendendum Regnum Christi in societate universa), cf. A. Cavagna, *Pio XI e l'Azione Cattolica:* indices, in voce *A. C.* (definizione), pag. 586. Sub voce hierarchiae hic intelligatur oportet hierarchia iurisdictionis in oppositione ad hierarchiam ordinis. Iure divino hierarchia iurisdictionis constat R. Pontifice et Episcopis; ipsa autem Ecclesia vi potestatis a Christo tradita alios quoque addidit gradus regiminis, cum supra-episcopales (v. g. patriarchas et metropolitas), qui potestatem suam ducunt ex participatione potestatis papalis, tum infra-episcopales (v. g. archisacerdotes vel decanos, parochos, vice-parochos), qui potestatem acquirunt ex potestatis episcopalis communione. Gradus ab Ecclesia instituti nec ubique terrarum, nec pro omnibus ritibus sunt idem. Quod attinet ad praesules in quibusdam ordinibus religiosis: quatenus ipsi iurisdictionem exercent in religiosos sibi iure subditos, ad quaestionem nostram non spectant; secus, quatenus iis iurisdictio in fideles competit titulo legitimo. Practice loquendo in definitione papali intelliguntur principes ecclesiastici eorumque coadiutores spirituales (sive saeculares sive regulares), quatenus ut doctores, rectores, sanctificatores ex mandato divino vel missione ecclesiastica sese in salutem aeternam fidelium impendunt.

De munere hierachiae et conceptu hierarchiae conferas:

WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum*, II: De Personis. Ed. 2. Romae (Pont. Univ. Greg.), 1928.
M. C. a CORONATA O. M. C., *Institutiones Iuris Canonici*, I. Taurini, 1928.
G. PIZZARDO, *l'Action Catholique et la Hiérarchie*. Paris, 1930.
J. CREUSEN S. J., *En marge de la hiérarchie*, in *Nouvelle Revue Théologique* (1928) pag. 492-503 - cf. *Klare Begrippen*, in *Directeurentijdschrift*, 19, (1935), pag. 193-202.

Roganti, quaenam ad mentem documentorum papalium sint elementa essentialia iuridica Actionis Catholicae, haec imprimis indicanda videntur:

1. Est actio laicorum, prout distinguuntur cum a clericis saecularibus et regularibus, tum a religiosis non clericis; actio quoque directa a laicis, assistentibus tamen qui in sacris sunt constituti.

2. Est actio universalis, sive quod ad locum sive quod ad membra spectat: nulla aetas, nullus sexus, nullus status, nulla conditio socialis excluditur. Omnes ubique vocantur, non autem omnes eodem modo eodemque gradu.

3. Est actio organice ordinata. Etenim: a) Formandi sunt coetus diversi secundum aetatem, sexum, et etiam, si potest, secundum conditionem socialem vel gradum intellectualem membrorum. *b*) Formandi sunt coetus tum receptivi, tum activi; id est coetus, quorum finis primarius est ut membra ipsa imbuantur spiritu apostolico Actionis Catholicae, et coetus, quorum finis primarius est per membra spiritum Christi foras spargendi. *c*) Fiat organismus ex elementis non tantum coordinatis, sed etiam subordinatis et auctoritati centrali subiectis. Notandum tamen est coetum aliquem simul receptivum simulque activum esse posse.

4. Est actio cum fine religioso supernaturali. Finis non est oeconomicus, politicus, vel quilibet alius ordinis naturalis, sed prorsus supernaturalis. Prae

oculis tamen habeatur, finem non coincidere cum medio, et etiam media naturalia adiuvare posse ad finem supernaturalem, cum ordo supernaturalis naturam supponat.

5. Est actio cum fine universali et sociali. Finis Actionis Catholicae coincidit cum fine qui est Hierarchiae et Ecclesiae: propagatio scilicet Regni Christi in cordibus, familia, schola, vita privata et publica, scientia, arte, librorum emissione, exercitu, oeconomia, politica nationali et internationali: verbo: regeneratio Christiana totius societatis. Hac de re et universalitas mediorum exigitur. Nullum medium aptum et licitum erit reiciendum in spiritu prudentiae et illius amoris universalis, qui omnibus fit omnia, ut omnes salvos faciat (1 *Cor.* 9, 22).

Sunt igitur media mere religiosa et mixta; media individualia et socialia (v. g. foliorum et librorum emissio; manifestationes publicae; congressus regionales et provinciales, cet.); media sacra et profana.

6. Actio actioni Hierarchiae quodammodo inserta. Ut haec qualitas Actionis Catholicae verificetur, adsit oportet: *a*) Oboedientia absoluta directivis et praeceptis Hierarchiae praestanda; *b*) Mandatum ecclesiasticum, quod non solum includit approbationem et commendationem, sed et missionem quamdam canonicam; *c*) Collaboratio talis cum Ecclesia hierarchica, ut sit quaedam participatio missionis divinae Hierarchiae; *d*) Structura talis organica ut, quantum fieri potest, quodammodo adumbret structuram hierarchiae. Hac de causa cellula infima Actionis Catholicae de more erit paroecia, nisi obstet seria ratio. Potest enim pro loci circumstantiis unio interparoecialis esse utilior. Et sicut actio pastorum non tota in paroecia absolvitur, sed etiam in collegiis et seminariis, a clero vel religiosis directis, nil obest immo multum iuvat, ut etiam in iis associationes formentur, « internae »

quae nuncupantur. Immo fieri potest, ut coetus erigantur, quae natura sua nec cum paroecia nec cum dioecesi coincidant, ut sunt v. g. eorum qui in Academiis incumbunt studiis. Notandum quoque est congregationes Mariales in Italia suas habere Actionis Catholicae associationes internas. Quod si puncta tria priora bene prae oculis habes, videbis quo sensu Actio Catholica aliquando vocetur « apostolatus hierarchicus », sensu scilicet analogico, non proprio.

7. Apostolatus auxiliaris. Finis Actionis Catholicae est iuvare Hierarchiam, quatenus ipsa auxilio egere se sentit, non vero eius locum tenere. Aequo quidem tracto Hierarchia et Actio Catholica procurrunt; minime vero ut res aequales, vel etiam ut res gradu quidem non intrinsece diversae. Etenim dum Hierarchia, omne quod est et potest, immediate habet a Christo: Actio Catholica quoad utrumque dependet ab Hierarchia, prout illa e divinitus sibi concessis laicis communicandum existimat. Et hic ratio analogiae plane verificatur.

8. Apostolatus in ordine practico exsecutivo. Est Actio Catholica, quantum ad laicos spectat non directiva in ordine theoretico, sed exsecutiva in ordine practico. Laicorum est non disputare, quaenam pars in opere apostolico sibi ab Hierarchia assignanda sit, vel quaenam sint normae, quas in labore apostolico debeant observare; sed in provincia sibi assignata omnia, quanta fieri potest diligentia et assiduitate, exsecutioni mandare secundum leges et normas ab auctoritate Ecclesiae nomine Christi impositas. Quod minime excludit in exsecutione multa relinqui posse laicorum ingenio creatrici audaciaeque prudenti; nec etiam in ipsa formanda Actione Catholica laicos Ecclesiae Praesulibus libere proponere posse, quae sibi ad Dei Gloriam convenire videntur, scientibus tamen,

ut dicit Chrysostomus, consultoris esse dicere sincere quid sentiat, non dominari, ut sententia praevaleat.

9. Selectio. In Actione Catholica plus valet qualitas quam quantitas. Maioris momenti est exercitus parvus disciplina et virtute eximius, quam magna turba tepidorum. Attamen ad Actionem Catholicam, quatenus est receptiva, omnes vocantur nemoque ab ea excluditur, qui bonae voluntatis est. Quatenus vero active aggreditur apostolatum publicum, vel formationi praeest apostolorum, non omnes vocantur, quia non omnes habent dotes et qualitates necessarias; et hac de causa selectio quorundam eximiorum est necessaria.

Ex praedictis haud difficulter elucet, quaenam sit differentia Actionis Catholicae et aliorum coetuum, qui finem religiosum appetunt.

1. Essentialiter distinguitur ab iis unionibus, quae unice intendunt sanctificationem propriam. Nihilominus tales uniones eximiae auxiliares esse possunt Actionis Catholicae, praecise in quantum est receptiva.

2. Essentialiter etiam differt ab iis associationibus, quae quidem intendunt apostolatum sed non apostolatum actionis: ut v. g. est Apostolatus Orationis. Nil autem obstat, contra multum prodest, socios Actionis Catholicae tali apostolatui esse addictos, et Actionem Catholicam ex sociis talis apostolatus membra sua praedilectione quadam acquirere. Notes etiam aliam differentiam: Apostolatui Orationis et similibus natura sua non tantum laicos, sed etiam sacerdotes et religiosos, immo Praesules, in suprema potestate positos, ut membra incorporari posse. Cf. supra pag. 8* de membris Corporis Mystici ut membris et ut organis.

3. Differt ratione integritatis ab iis organizationibus, quae quidem apostolatum intendunt actionis, sed limitatum quoad finem: v. g. propagationem librorum catholicorum, vel curam marinorum, vel pauperum in operibus misericordiae temporalis et spiritualis. Apparet

tales uniones cum Actione Catholica coniungi posse per modum sectionis specialis in acquirendo fine communi. Non omnis omnia potest.

4. Differt etiam in puncto iuridice essentiali ab iis coetibus, qui quidem intendunt finem apostolicum universalem socialem, sed tantum approbante et commendante Hierarchia, non vero ex Ecclesiae mandato, ex missione proprie dicta. Tales coetus in Actionem Catholicam organice posse inseri ipsa missione canonica data, nemo non videt.

5. Distinguitur etiam saltem inadaequate ab illis organismis, qui finem mixtum habent: puta apostolatum religiose socialem simul et ipsorum membrorum prosperitatem temporalem. Notandum tamen est tales organismos, quatenus appetunt finem religiosum socialem Hierarchiae esse subiectos, et qua tales mandatum apostolicum accipere posse.

6. Differt etiam ab illis formis apostolatus socialis, ubi clerus non solum assistit in exsecutione operis, sed excluso laico ipse praesidet. Apparet tales associationes ab Actione Catholica pro eius erga sacerdotes amore, nil nisi boni et auxilii sperare posse.

Quoad modo exposita conferri utiliter possunt:

A. GARAGNANI S. J., *L'azione cattolica.* Milano, (Vita e Pensiero), 1925.

C. DALLA TORRE, *I caratteri fondamentali dell'Azione Cattolica nella lettera Pontificia al Card. Bertram.* Milano, 1929.

G. FILOGRASSI S. J., *L'azione cattolica negli insegnamenti di Pio XI,* ibidem, 1929.

A. CAVAGNA, *Collaborazione Apostolica.* 4 ed. ibidem, 1933.

F. ROVEDA, *L'azione cattolica nella lettera pontificia al Card. Bertram,* in *Rivista del clero italiano* (1929), pag. 112 sqq.

L. COZZA, *L'azione cattolica e il parroco.* Cosenza, 1932.

L. CIVARDI, *Manuale di Azione Cattolica,* 2 vol. ed. 8. Romae, 1935 (ed. 1 anno 1924; octo versiones in linguas alias; in ed. ultima desiderantur capita de A. C. et politica, et de A. C. et operibus oecomicis socialibus).

Mons. DRINOT, *Manual de A. C., dedicado al pueblo Peruano*, Lima, 1928.

N. NOGUER, *La Acción Católica*, 2 vol. Madrid (Razón y Fe), 1930.

N. NOGUER, *Nuevos desenvolvimientos doctrinales y progresos de la A. C.*, ibid.

J. AZPIAZU, *Manual de Acción Católica*, ed. 2. ibidem.

G. PALAU S. J., *Que es la Acción Católica*, Buenos Aires, 1933.

G. PIZZARDO, *Dos Conferencias sobre la A. C.* Madrid, 1934.

G. PIZZARDO, *Acção Católica.* Lisboa (Junta Central de A. C.).

*** *Lecciones de A. C.*, compend. por los seminaristas toledanos, Madrid (Junta Central de A. C.).

FR. MUCKERMANN S. J., *Kath. Aktion.* München, 1928.

W. CREMERS, *Die Kath. Aktion.* Regensburg, 1929.

W. WIESEN O. S. C., *Der Laienapostel* (Handbuch des Laien-Apostolates im Sinne der K. A. und der Seelsorgehilfe). Ed. 2. Freiburg Br., 1931.

IDEM, *Das Laienapostolat.* Ibidem, 1931.

IDEM, *Die K. A.: das grosse Programm des Laienapostolates.* Ibidem. 1934.

K. ALGERMISSEN, *Die K. A.: Ihr Wesen, Werden und Wachsen.* Regensburg, 1934.

J. WILL S. J., *Handbuch der K. A.* Ed. 2. Freiburg Br., 1934.

M. KELLER, *K. A.: eine systh. Darstellung ihrer Idee.* Osnabrück, 1934.

K. MAYER, *K. A. im Werden.* Wien, 1934.

J. LECLERCQ, *Essay sur l'action catholique* (Cité chrétienne) 1928.

ABBÉ GUERRY, *Code de l'action catholique.* Ed. 5. Paris, (Spes), 1928. (versio Hisp. et Lusit.).

M. FONTENELLE, *Petit Catéchisme de l'Action Catholique.* Paris (Bonne Presse), (Versio Lusitana).

P. DABIN S. J., *L'action catholique:* Essai de synthèse. Ed. 2. Paris, 1932, (versio Hispana).

BURTON CONFREY, *Catholic Action.* New York (Benzinger Bros), 1935.

*** *Verslagboek van de zesde Limburgsche sociale Studieweek*, 1930. Heerlen, 1930. (Hebdomada tota agens de A. C.).

FR. THIJSSEN, *Wat is K. A.?* 's Hertogenbosch, (G. G. G.), 1935.

CARD. E. PACELLI, *Wesen und Aufgabe der K. A.*, in *Gesammelte Reden.* Berlin, 1930.

ALBERT SCHMITT S. J., *Die katholische Aktion in der Moraltheologie*, in *Miscellanea Vermeersch*, I, p. 37-47. Romae (Pont. Univers. Greg.), 1935.

De loco quem tenet femina in Catholica Actione scripserunt:

HILDEGARD VORSINGER, *Die Rechtstellung der Frau in der K. A.* Leipzig, 1930.

W. WIESEN O. S. C., *Die berufliche Mittarbeit der Frau in der Seelsorgehilfe.* Freiburg Br., 1933.

F. BAUMANN, *Im Dienste des Priestertums*, Stuttgart (Frauenbund), 1933.

Etiam Acatholici scripserunt de Actione Catholica:

O. HARTWICH, *Wir und die Katholische Aktion.* Bremen, 1930 (ex mente « evangelica »).

C. DELLAGO, *Die Kath. Aktion.* Dresden, 1932 (antipapista).

Contra Actionem Catholicam scripsit *L'Europe Nouvelle*, 24 Oct. 1931, ubi definitur A. C. ut « Fascismus Pontificalis » ; cui responsum dedit *La Civiltà Cattolica : Intorno alla definizione dell'A. C.*, 83, I (1932) pag. 121-137. Venenose agunt de A. C. *Nationalsozial. Monatshefte*, Jan. - Febr. 1936.

Liceat quaedam apponere de formanda organizatione Actionis Catholicae in concreto. Cum praxis ad intentionem nostram non spectet, rem considerabimus tantum in ordine theoretico.

1. Actio Catholica est una ex fine unico et universali; formae in concreto erunt variae. Quod patet. Est enim Actio Catholica apostolatus auxiliaris. Non autem semper et ubique eadem requiruntur auxilia. Sunt regiones, ubi sacerdotes sunt paucissimi, alibi vocationes sacerdotales exuberant. Est ubi sacerdotibus facillimus est contactus cum populo; alibi contactus est difficillimus. Deinde Actio Catholica semper addicta est determinatae regioni. Differt autem regio ca-

tholica a regione religiose mixta; differt regio industrialis a regione agricolari; differt regio agrestis cum pagis et urbibus provincialibus a regione, ubi inveniuntur urbes ingentes capitales. Sunt et regiones, ubi iam florent omnimodae formae apostolatus laici; sunt et aliae, ubi laicorum apostolatus est res nova vel rarissima. Hic habentur lagoenae vacuae quae debent impleri; alibi lagoenae plenae, quae ordinentur necesse est. Hic est creandum; alibi superflua tollenda.

2. Solius Hierarchiae est organizare Actionem Catholicam pro adiunctis temporis et loci. Ipsi videant an res novae omnino sint creandae, vel antiqua quoque in novam organizationem inserenda, vel etiam confoederanda opera iam praeexistentia. Cf. quae antea diximus pag. 26*. Laicorum non est iuridice constituere Actionem Catholicam; ipsorum est exsecutioni mandare quae ab Hierarchia constituuntur.

3. In efformanda actione catholica semper prae oculis habeatur, ut dixit Romanus Pontifex, praestare unionem unificationi; et Actionem Catholicam non esse unionem mechanicam sed organicam, in qua singula organa perveniant ad vitae expansionem uberrimam.

4. Quoad unitatem regionalem Actionis Catholicae notetur etiam differentia Italiae et aliarum regionum omnium. In Italia Metropolita est Romanus Pontifex, qui qua supremus Pastor Ecclesiae habet potestatis plenitudinem; in aliis vero regionibus potestas Metropolitarum in dioecesibus suffraganeis limitatur normis iuris canonici (*C. I. C.* 274).

5. Etiam in efformando corpore Actionis Catholicae distinguas oportet inter finem et media. Finem Actionis Catholicae, quippe qui est finis ipsius Ecclesiae Christi, numquam Praesules Ecclesiastici abnegare possunt; quod autem ad media spectat, prudentiae Hierarchiae relinquitur, utrum omnia ea velint adhibere et exigere, quae iure exigere possunt. Quare

hac in re ex statu Actionis Catholicae in una regione, ad statum illius in alia regione concludere numquam licebit.

6. Ubi plane deest Actio Catholica, imprimis formandi erunt iuvenes, et haud raro feminae.

De iis quae modo disseruimus, utiliter consultari possunt:

Pius Pp. XI, *Epist. ad Card. van Roey*, archiep. Mechl. 15 Aug. 1928. *A. A. S.* 20 (1928), pag. 296 sqq. — *ad Card. Bertram*, archiep. Wratisl., 13 Nov. 1928. *A. A. S.* 20 (1928), pag. 384 sqq. — *ad Card. Segura y Saenz*, Archiep. Tolet., 6 Nov. 1929. *A. A. S.* 21 (1929), pag. 664 sqq. — *ad episcopat. Hispaniae*, 3 Jun. 1933. *A. A. S.* 25 (1933), pag. 275 sqq. — *ad Episcopat. Columb.*, 14 Febr. 1934. *L'Oss. Rom.* 30 Maii 1934. — *ad Card. Schuster*, Archiep. Mediol., 28 Aug. 1934. *A. A. S.* 26 (1934), pag. 585 sqq. — *ad Card. Gonçalves Cerejeira*, patr. Olisipon. 10 Nov. 1933. *A. A. S.* 26 (1934) pag. 628-633. — *Ad Episcopatum Brasileae*, 28 Oct. 1935. *L'Oss. Rom.*, 16 Febr. 1936. *Alloc.* in Cons. Secr. 13 Mart. 1933. *A. A. S.* 25 (1933), pag. 106 sqq.

G. Pizzardo, *L'Action Catholique et la Hiérarchie*. Paris, (Le Soye), 1930.

G. Monti, *Manuale Internationale delle Organizzazioni cattoliche*. Torino, 1924 (ed. Germ.: Wien, 1924; ed. Hisp.: Madrid, 1924; ed. Gall. et Angl.)

E. Schlund O. F. M., *Die K. A.: Materialen und Akten*, München, 1928 (relationes breviores de 14 regionibus).

K. Algermissen, *Kat. Aktion*, in *Lex. für Theol. u. Kirche*, V, (1934), pag. 902-908 (relationes breviores de 15 regionibus).

Documentation catholique. Indices in voce *Action Catholique* (multa de A. C. in genere; plura de dioecesibus et operibus Galliae; multa quoque passim de aliis regionibus Europaeis et Extra-Europaeis).

N. Noguer, *La A. C.... en España y en el extranjero*. 2 vol., Madrid 1930. — *Nuevos disenvolvimientos*. Ibid., 1933 (relationes de 20 regionibus tum aliis, tum Latino-Americanis).

Seb. Tromp S. J., *Katholieke Aktie* necnon *Organisatie der K. A. in verschillende landen* in *Katholieke Documentatie* (P. Brand ed., Hilversum) I (1936) pag. 33 sqq. (de multis regionibus in Europa et America; cum uberiore bibliographia).

E. SCHLUND O. F. M., *loc. cit.*, pag. 127-140 (Statuta Austriae, Viennae, Cechoslovaciae).

*** *Azione cattolica,* Roma 1933 (Statuta Italiae, Galliae, Poloniae: cf. *Docum. Cath.* 30 (1933 II) pag. 41-47, ubi etiam de Argentinia).

L. CIVARDI, *Manuale di Azione Cattolica,* vol. II, La Pratica (ubi omnia Statuta A. C. Italicae, reformata 30 Dec. 1931).

Die Katholische Aktion (Das Katholische Laienapostolat) in den deutschen Dioezesen. Herausgegeben von der Bischöflichen Hauptarbeitsstelle, Düsseldorf. (Borgmeyer-Verlag) Hildesheim, 1934.

ST. COURBE, *L'azione cattolica francese* in *L'Illustrazione Vaticana* 4 (1932) pag. 1204-1206 et in *Docum. Cath.* 29 (1933 I) pag. 509 sqq., collato 26 (1931 II) pag. 941-944.

G. C. *L'action catholique en France: La F. N. C.* in *Docum. Cath.* 24 (1930 II) pag. 1180-1192.

ST. COURBE, *Mouvements spécialisés de A. C. J. F.: Doctrine Commune,* Paris, 1935.

Annuaire Général du Clergé, de l'enseignement et des oeuvres cath. en France, Paris, 1934 (p. 6-12: A. C. Française).

G. JACQEMET, *Dict. Prat. de Conn. Relig.* suppl. 1929-1933, pag. 3, 257, 355, 513, 769, 1025.

Epistola Episc. Angliae de A. C. 20 Mai 1934 in *The Universe* 25 Mai 1934 et *Docum. Cath.* 31 (1934 I) pag. 1462.

Catholic Action :... The first steps in *The Universe* 31 Jan. 1936.

*** *Jahrbuch der K. A. in Oesterreich.* Wien, 1935.

The Catholic Directory, London, 1936.

J. CLEYMANS, *A. C. Programmes et activités en Belgique* in *Docum. Cath.* 31 (1934 I) pag. 1671-1696 et 32 (1934 II) pag. 20-27 (indicantur etiam periodica).

Dossiers de l'A. C., Grand'Rue 211, Charleroi.

Principios y bases para la reorganización de la A. C. en España... con nuevos Estatutos y Reglamentos de A.C. Ed. 2. Madrid, 1935.

J. TABOADA, *La Acción Católica en España,* Madrid.

Pius Almanak, Jaarboek voor de Katholieken van Nederland, 1936.

Kath. Aktie... in het Bisdom 's Hertogenbosch in *St. Jansklokken,* 18 Jan. 1936, pag. 27-28. (Cf. *Kath. Documentatie,* 1 (1936) pag. 28).

A. TRIMAKAS, *Les organisations de la Jeunesse catholique en Lituanie* in *Docum. Cath.* 23 (1930 I) pag. 94-99.

The Official Catholic Directory, New York 1934, ubi pag. [827] invenies quomodo sit constituta « National Catholic Welfare Conference ».

Estatutos Generales de A. C. Mexicana. Mexico D. F. 1930.

Orientaciones y Normas, dada por la S. Sede y por el Delegado Apostolico. San Antonio Texas, 1935.

Anuario Católico Argentino de 1936, ed. por la Junta Central de la A. C. Argentina, Buenos Aires, 1936.

Estatutos da Acção Cathólica Brasileira, Rio de Janeiro, 1935.

Ad melius cognoscenda statuta et conditiones actionis catholicae in variis regionibus, multum quoque iuvant periodica nationalia, data opera actioni catholicae destinata, v. g.: *Bollettino dell'Azione Cattolica Italiana; L'assistente Ecclesiastico* (Italia); *Boletim de Acção Católica Portuguesa* (Statuta generalia et particularia n. 1-5, 7, 10, 12, 15, 16, 20, ann. 1934-1935); *Kirche im Volk* (Germania) *Werkblatt für die Kath. Pfarrgemeinde* (Germania); *Der Laie und die Kirche* (Austria); *Katolikus Akció* et *Egyházi Lapok* (Ungaria); *Pax* (Mexico, pro assistentibus ecclesiasticis); *Boletín Oficial de A. C. Argentina* (Statuta Argentiniae, Columbiae, Paraguay); *Boletín de la A. C. de Chile; A. C. Peruana; A. C. Colombiana* (Statuta n. 1-2, Jan.-Febr. 1934); *Dios y Patria, Órgano de la A. C. Ecuatoriana; Action Catholique* (Canada); *Catholic Action* (Nat. Cath. Welfare Conference, Chicago D. C.); *The Catholic Laity* (Africa Orientalis).

Impossibile est indicare omnia periodica, quae in haud paucis regionibus ab organizationibus fundamentalibus (virorum, mulierum, utriusque iuventutis) earumque sectionibus in lucem eduntur (in sola enim Italia iam viginti mumerantur, quae omnia invenies apud Civardi, *Manuale di A. C.* vol. altero); nec huius articuli limites permittunt nominare periodica ab episcopis multis in singulis dioecesibus ad A. C. promovendam destinata, ut v. g. in Germania multa Folia Dominicalia « Sonntagsblätter ». Vel impossibilius est enumerare periodica, quae in regionibus, ubi A. C. per modum Confederationis est instituta, a singulis unionibus, societatibus, operibus apostolatus ceteris, diffunduntur. Hoc sufficiat adnotasse unam « Federationem Nationalem Catholicam » in Gallia praeter folium generale *L'A. C. de France* (olim: *Correspondance hebdomadaire de la F. N. C.),* iam anno 1930 edidisse per centra dioecesana circiter quinquaginta folia minora, quae referuntur in *Documentation Catholique* 24 (1930 II) pag. 1190. Petit tamen redactio veniam de oblivione omissis.

Plura Seb. Tromp S. J. *Katholieke Documentatie*, 1936, loco laudato.

Adeat lector Expositionem proximam Vaticanam Proeli Catholici, cum reductione magna, uti sperare licet, ferroviaria.

Restant quaedam dicenda de habitudine Actionis Catholicae ad rempublicam. Ante omnia bene distinguatur oportet inter regna, quae subditos gubernant ex principiis catholicis et ea, quae principia illa non agnoscunt, immo iis aperte contradicunt. Ubi potestas civilis procedit ex spiritu catholico, plene implentur verba S. Roberti Bellarmini *De Translat. Imper. Rom.*, I, 9 « Quando principes sunt Christiani et in Ecclesiae Catholicae membris et filiis numerantur, duae illae potestates (ecclesiastica scilicet et civilis) ita coniunguntur, ut unam Rempublicam, unum Regnum, unam familiam, immo et unum Corpus efficiant. *Unum enim,* ait Apostolus ad *Rom.* 12, *sumus Corpus in Christo: singuli autem alter alterius membra.* » Si autem iam pater familias organon est Corporis Mystici, multo magis ratione ingentis illius influxus, quem indirecte habent, magistratus Reipublicae Catholicae considerandi sunt ut organa quaedam pretiosa Corporis Christi, quippe qui bonum commune omnium procurent, naturale quidem, attamen tali ratione, ut subserviat omnium saluti aeternae. Et si Ecclesia iam laicos privatos vocare potest in auxilium Ecclesiae et quodammodo efficere participes missionis suae divinae, mirum non est Ecclesiam principibus Catholicis quasi ut Ecclesiae mandatariis quaedam relinquere posse, quae natura sua spectant ad praesules ecclesiasticos, ut c. g. collaborationem in formatione morali iuvenum et alia huiusmodi (Cf. v. g. facultates et privilegia quae olim pro regimine missionarium R. P. dedit principibus Hispaniae et Lusitaniae). Quaenam erit relatio Actionis Catholicae ad talem auctoritatem civilem? Una, ni fallor. Strenue adiuvabit magistratus temporales, ut munere

suo quam perfectissime fungi possint. Hoc enim procurando Actio Catholica efficiet, ut Christus magis magisque in societate regnet, quod est finis eius unicus. Omnino autem alia ratio est, ubi status, ut fit in regionibus religiose mixtis, principia Catholica non agnoscit; vel ubi, quod est peius, procedit ex indifferentismo liberali vel hegelianismo; vel ubi, quod est pessimum, catholicismo vel christianismo est positive infensus. In istis regionibus Actionis Catholicae erit insudare, ut quantum fieri potest politicam Status imbuat principiis Catholicis, vel saltem peiora avertat.

In sequentibus praecipue intendo civitates, quae non gubernantur ex spiritu catholico, sed ubi leges constitutivae Regni fundantur in principiis indifferentismi vel forsan peioribus.

1. Actio Catholica non est factio aliqua politica; nec potest sese coercere inter angustos limites alicuius factionis politicae; nec finis eius est politica partium; nec sese iure ingerere potest in res politicas religiose vel ethice indifferentes, in quibus haud raro variae factiones quoad rationem practicam gubernandi dissentiunt.

2. Ut bene appareat Actionem Catholicam non coincidere cum partibus politicis, etiam catholicorum, prudentia Christiana suadebit, ut directio Actionis Catholicae et factionis politicae non in una persona coincidant.

3. Attamen, cum finis Actionis Catholicae sit omnia instaurare in Christo, politia ipsa non exclusa: Actio Catholica intendit et debet intendere etiam regenerationem Christianam ipsius politiae, idque efficaciter sive per se, prout est organizatio, sive per membra sua.

4. Hac de causa Actio Catholica: *a*) in filiis suis nutriet amorem verum Patriae, reiecto tamen omni falso nationalismo, quo ex spiritu Hegeliano gloria nationis quasi cum fine ultimo identificatur; *b*) mem-

bris suis imprimet reverentiam profundam auctoritatis legitimae eiusque legum, sive illa auctoritas sese manifestat in forma magis monarchica, sive in forma magis aristocratica vel democratica, dummodo formae illae non contradicant legi naturali; *c*) tali modo educare conabitur filios suos, ut quam plurimum conferre possint ad patriae prosperitatem, sive ut cives simplices, sive etiam ut religiosissimi magistratus, prout sunt singulorum dona et socialis conditio; *d*) ubi sunt plures factiones politicae a republica admissae, minime prohibebit filios suos quominus sese adiungant parti alicui, quae non contradicat legibus Dei et Ecclesiae; severissime autem interdicit, ne nomina sua tradant parti cuilibet, quae legibus istis non obsecundet; *e*) exiget a membris suis, ut consiliis et praeceptis auctoritatis ecclesiasticae obsequantur, quamvis ea ipsa disciplinae vel commodis factionum repugnant vel repugnare videntur; *f)* quod si aliquando quovis modo res politicae ad religionem et Christianos mores pertineant, Actio Catholica ita suam vim atque auctoritatem interponere debet, ut catholici concorditer omnes, peculiaribus partium studiis consiliisque posthabitis, Ecclesiae et animarum emolumentum unice prae oculis habeant atque opera sua provehant. — Quae omnia a Pio XI clare sunt exposita.

5. Sequitur ut in regionibus istis, ubi ex iudicio auctoritatis ecclesiasticae, una sola factio catholica esse potest, quae efficaciter iura Ecclesiae et vitae Christianae defendere possit, et hac de causa per accidens finis altior huius factionis cum fine Actionis Catholicae coincidat: Actio Catholica membra sua adhortari debeat, ut unice illi factioni sese adscribant; et inter Actionem Catholicam et factionem illam non quidem exoriatur nexus politicus, attamen cooperatio quaedam possit exsistere, si auctoritati ecclesiasticae illam utilem iudicat (*L' Osservatore Romano*).

De modo expositis conferas velim:

Pius Pp. XI, *Epist. ad Jos. Skvireckas,* arch. Kaunens., 24 Jun. 1928 *A. A. S.*, 20 (1928), pag. 256. — ad *Card. Bertram;* arch. Wratisl., 13 Nov. 1928. *A. A. S.*, 20 (1928), pag. 387. — ad *Card. Segura y Saenz,* arch. Tolet., 6 Nov. 1929. *A. A. S.*, 21 (1929), pag. 667. — ad Card. *Schuster*, arch. Mediol., 28 Apr. 1931. *A. A. S.* 23 (1931), pag. 148. — *Encycl.* de Act. Cath., 29 Jun. 1931. *A. A. S.*, 23 (1931), pag. 294 sqq.

L'Osservatore Romano, 13-14 Apr. 1931: *A proposito di un articolo del « Vom frohem Leben ».*

Document. Catholique : 25 (1931, I) pag. 1547-1572: *Act. Cath. et politique* (Epist. Card. Pacelli ad arch. Pragae, 30 Nov. 1930, et alia documenta); 26 (1931, II) pag. 67-93; 451-476; 771-896; 29 (1933, I) pag. 612-619; 31 (1934, I) pag. 389-423, 521-527; 615-619.

Epist. Primatis Columbiae : La acción católica y la politica, in *La iglesia* (Bogotá) 29 (1935), pag. 100-107.

L. Civardi, *Manuale di Azione Cattolica.* Ed. 1-7.

Ch. Ruys de Beerenbrouck, *Leekenapostolaat en politiek* in *Zesde Limb. Soc. Studieweek 1930.* Heerlen, 1930.

*** *Het Vastenmandement 1934 v. h. Hoogw. Nederl. Episcopaat:* Heiloo (Kath. Brochurenreeks n. 12) 1934.

J. B. Kors O. P., *Kerk en Politiek,* in *Tiende Limb. Soc. Studieweek 1934,* Heerlen, 1934.

J. Barge, *Het laatste Vastenmandement,* ibidem.

H. du Passage, *Action Catholique et Action politique* in *Etudes* 225 (1935), pag. 577-596.

J. M. Restrepo Restrepo S. I., *Concordata regnante SS. D. Pio Papa XI inita.* Romae, 1934 (cf. Indices in voce: Act. Cath.).

Et haec sufficiant. Quod ad bibliographiam attinet, protuli ea quae mihi videbantur utilia; multa ex iis quae novi, spatii causa afferre non potui (pro uberiore bibl. Germanica v. g. cf. *Die K. A. in den Deutschen Diöcesen* p. 153-165; pro omnimoda literatura Italica manuale laudatum L. Civardi in notis); multa non novi; eximiora, ut saepius fit in huiuscemodi rebus, forsan omisi. Ignoscat lector. Ubique terrarum libri et lucubrationes de Actione Catholica editae sunt; ubique

ipsa Actio creatur, reorganizatur, stabilitur. In multis concordatis Actio Catholica a potestate civili agnoscitur. Digito tantum res indicavi. Sed quae attuli hoc saltem clare indicant, agnos et oves audivisse vocem Pastoris.

SEB. TROMP S. I.

Thesis Probabilismi ex Sto. Thoma demonstrata

Dissertationis nostrae inscriptionem legentibus fortasse in mentem venient illa verba quibus P. Lehmkuhl, finem imponit dissertationi, cui titulus, « *Probabilismus vindicatus* » (1) : « Propterea, pacem et concordiam atque communes labores, contra Ecclesiae et christianae vitae hostes, contentionibus domesticis censeo esse praeferendos ». Hoc quoque nobis maxime est in votis ; coacti tamen, non minus ac P. Lehmkuhl, scribimus.

In praesenti statu scientiae moralis quaestiones, quae probabilismum respiciunt, utiliter adhuc tractantur, ad principia doctrinae intimius disputanda, ad castigandas nonnullas applicationes, imo ad tentandas novas vias ad solutionem problematis dubii moralis. Quapropter gratum nobis fuisset criticam expositionem probabilismi accipere in qua vel fundamenta systematis, vel applicationes eius, ad normas methodi verae scientificae, discussioni novae subicerentur. Id praestitit, ni fallimur, R. P. Richard, O. P. in scriptis quae iis ultimis temporibus circa probabilitatem et certitudinem moralem edidit (2). Id maxime sperandum erat in opere posteritati destinato, quale videtur DICTIONNAIRE DE THÉOLOGIE CATHOLIQUE. At fatendum est aperte,

(1) A. LEHMKUHL, S. J., *Probabilismus vindicatus*. Friburgi, 1906, p. 126.

(2) Cf. P. T. RICHARD, O. P., *Études de Théologie Morale*, II. De la probabilité à la certitude pratique. Paris, 1933.

spem nos fefellisse. In longissimo articulo (1) a P. Deman, O. P., ea capita impugnationis contra probabilismum occurrunt quae iam a tempore P. Tyrsi Gonzales identidem repetuntur forma aliquantulum mutata quoad rem nihil vere de novo allatum.

Ne tamen benevolus lector timeat, nobis in mentem esse nunc polemicam movere quaestionem cum P. Deman. Proposito nostrae ephemeridis non videtur consentaneum. Utilem tamen operam praestare nostris lectoribus existimamus, ipsum principium fundamentale probabilismi de novo illustrando, et quidem, ipso Sancto Thoma duce et magistro. Maxime ad hoc nos movet illa agendi ratio P. Deman qua contraponit Sancto Alphonso Angelicum Doctorem, cuius mentem si S. Alphonsus attigisset, ait, non adhaesisset *suarezianae inventioni : Lex dubia non obligat.* Verumne est quod « Sur le point précis de la promulgation de la loi subsiste entre les deux docteurs le désaccord que nous avons dénoncé » ? (*o. c.*, col. 585).

Quoniam propositum nostrum est evitare controversias quae saporem personalismi habere videantur, malumus abstinere a directa discussione assertionum P. Deman ; atque ut quaestio probabilismi in suis lineamentis essentialibus appareat, utile nobis videtur breviter et ordinate integram thesim probabilismi proponere, eam paucis necessariis praenotionibus illustrare ex principiis, quae nobis videntur, Sancti Thomae, eam demonstrare, ut in fine responsum demus praecipuis obiectionibus, quae in contrarium a P. Deman moventur.

De systematum moralium origine et necessitate

Principium est universale in Theologia morali, ad honeste agendum semper requiri conscientia certa de moralitate actionis hic et nunc ponendae ; hanc con-

(1) *DTC*, Fasc. CXIV-CXV, col. 417-619.

scientiam appellant *practice certam.* Via ad hanc certitudinem obtinendam non alia est in scientia morali ac in qualibet alia scientia. Conscientia est iudicium rationis, quod efformatur, sive ex immediata perceptione principiorum, sive ratiocinio, quo ut conclusio ex principiis deducitur. Perceptio evidentiae veritatis est unica causa normalis huius certitudinis. Per accidens, tamen, fieri potest ut assensus certus praestetur errori; unde et conscientia certa simul et erronea esse potest. Etiam in illo casu sequendam esse, manifestum est, nam, ut ait S. Thomas, « *actus humanus iudicatur virtuosus vel vitiosus, secundum bonum apprehensum in quod voluntas per se fertur, non secundum materiale obiectum actus* » (1); si ergo bonum proponatur ut malum a ratione errante, prosequitur S. Dr. (2) « fertur in hoc sub ratione mali; unde voluntas erit mala: quia vult malum non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens, propter apprehensionem rationis... »

Neque in hoc adest specialis difficultas: haec exsurgit ubi ad hanc certitudinem pervenire non valuit intellectus. Saepe, enim, adhibitis mediis directis scientiae moralis, id est, provenientibus ex veritatis speculativae inquisitione, iudicium ultimum certitudinem requisitam non attingit: ideo, aut dubium aut probabile, ad summum, habemus conscientiae dictamen; cum certitudinis necessitas sit absoluta, ex ipso supremo moralitatis principio: malum est vitandum, proveniens; secundum hoc dictamen actionem ponere nefas est. Ideo quaestio de *obligatione dubitantis* sponte exsurgit; postea quaestio de valore opinionis.

Responsum evidens datur: Diligentius in veritatis inquisitionem adlaboret. Haec est optima ratio depo-

---

(1) *Quodl.* 3°, a. 27.
(2) *Prima Secundae,* q. XIX, a. 5.

nendi dubium. At utinam semper possibilis! Tristi experientia constat quam frequenter in humanis investigationibus conclusiones certae desiderantur, ita ut vel a iudicio proferendo abstinendum sit, vel non nisi probabilem sententiam enuntiare liceat.

Haec autem in speculativis scientiis non multum animos perturbant. At in moralibus, quae ad praxim quotidianae vitae ordinandam destinantur, hoc aliquando intolerabile evadit. Durum est lumine veritatis certae carere; at quando a lumine veritatis honestas actionis, quae dilationem non patitur, dependet, apparet quam urgenter via quaerenda sit ad dubium resolvendum. At ex directa investigatione insolubile declaratum est. Quid tunc?

Necessaria rerum consequentia ducimur ad principia extrinseca quaerenda. Disputatio institui potest circa naturam principiorum quae invocanda sint, at de necessitate huius recursus nescio quomodo dubitari quis possit.

Haec *principia extrinseca, reflexa* ad quid iuvant? Ad iudicium practice certum praebendum de moralitate actionis ponendae. Vis autem horum principiorum haec est, ut data impossibilitate certitudinem habendi de moralitate actionis ex propriis scientiae moralis principiis, in ea materia de qua agitur, medium praebent perveniendi ad eamdem certitudinem, ex considerationibus, quae ab scientia eorum principiorum, non dependent.

Exemplo res clarescit. Mulier cui duo ovaria sunt exstirpata matrimonium inire cupit. Quaerit a moralistis. Alii dicunt: « non licet, quia es impotens ». Alii e contra: « licet quia impotens non es, sed tantum sterilis ». Ista est conclusio ex directa investigatione veritatis. Dantur duae sententiae oppositae, ambae sunt probabiles. De rei veritate, quid? Simpliciter, *latet*. Quaenam sententia est vera? Certissime una tantum.

Tamen utraque est obiective probabilis. Ergo alterutra est falsa. Inde venit quod ex probabilitate *qua tali*, nullus assensus firmus haberi possit; nullum iudicium certum.

Si mulier exscissa, ad matrimonium contrahendum, deberet exspectare dictamen certum de liceitate matrimonii ex scientia veritatis circa eius capacitatem physicam, actum esset de matrimonio.

Semper recursus factus est, in Ecclesia, ad alias normas extra materiam dubiam versantes, ex quibus certe concluditur honestas vel inhonestas actionis in concreto, manente dubio circa veritatem.

Hoc Ecclesia facit in casu nostro, dum in canone 1068, § 2, statuit: « *Si impedimentum impotentiae dubium sit,... matrimonium non est impediendum* ». Ex quo, nihil immutando circa rei veritatem, ad conclusionem devenimus certam: *mulier exscissa honeste contrahit matrimonium.*

Verumne matrimonium contrahit? Hoc incertum semper manebit. Quia principium adhibitum ad hoc nullum affert lumen. Nec matrimonium permittitur, quia validum putatur inhaerendo uni ex sententiis probabilibus aliamque reiciendo ut improbabilem, sed independenter a sententiis, qua tales sententiae sunt, dictamen conscientiae efformatum est.

Atque hoc nobis sufficere posse, evidens est. Nam etsi per se verum et bonum coincidant, absoluta necessitate Deus a nobis non exigit ut *vere* semper agamus, sine exceptione exigit ut *honeste* agamus. Honeste non agit qui agit contra veritatem cognitam, honeste agere potest qui agit praeter veritatem, quae non certo cognoscitur (1). Quamvis neque omnino veritas

---

(1) Id clare apparet in casu allato: veritas propositionis: « mulier excisa valide contrahit matrimonium », non constat: ergo praescindendo ab illa, conclusio de matrimonii liceitate est efformata. Hoc *tantum* asserimus cum dicimus: « honeste agere potest qui agit praeter veritatem »...

desit; verum est in his adiunctis licitum honestumque esse sic agere.

Patet ergo necessitas principiorum extrinsecorum ad dubia practica solvenda. At quaenam sunt haec principia?

Si opera Patrum et scholasticorum evolvamus, ante seculum XVI, diversa pro diversitate casuum inveniuntur (1).

Fundamenta ad systematicam propositionem, omnibus fatentibus, iecit Bartholomaeus de Medina, (1528-1581) O. P. (2).

Haec quae sequuntur ex ipso videntur merito desumi posse ad syntheticam constructionem systematis moralis.

In opere cui titulus: *Expositio in Primam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, Salmanticae, 1577, primo edito, in commentario ad q. XIX a. 5, S. Thomae, quaestiones tractat de conscientia (3).

Postquam normas dedit de conscientia erronea, venit ad conscientiam dubiam, et circa dubium practicum consuetam dat solutionem: « ex certissima Theologia » allegata auctoritate Sti Bonaventurae, et Alensis, (*l. c.* p. 176, § 1) « *qui cum hoc dubio agit peccat mortaliter vel venialiter pro ratione dubii* ».

Ex his quae postea proponit desumere possumus notiones, nobis valde necessarias.

Conscientia dubia ea est « quae nec habet assensum nec dissensum sed haeret in dubio ».

---

(1) Cf. cl. BOUQUILLON, *Theol. mor. fundamentalis*, n. 304 et seq.

(2) Nostra haec conclusio ab omnibus admitti videtur etiam ab iis qui cum P. MENENDEZ-REIGADA, O. P. negant Patri MEDINAE paternitatem probabilismi. Cf. *Ciencia Tomista*, 1928, pag. 35-57. — BLIC, *DAFC*, vol. IV, col. 317. — P. J. TERNUS, *Zur Vorgeschichte der Moral-systeme von Vitoria bis Medina*. Paderborn, 1930.

(3) Citationes facimus secundum editionem, Venetiis, 1590.

Dubii divisio: (§ 1, col. 2). « Dubium est duplex: speculativum et practicum. Speculativum, ut cum dubito haec est mea, hic est meus fundus. Practicum, faciendum est hoc, teneor facere et unico verbo definio; practicum est quando dubito hic et nunc operationem quam facio esse peccatum, vel non esse ».

Unum notare iuvat: sicut in praecedentibus agit de dubiis *circa factum.* Solutiones quas proponit, consequenter non sunt probabilisticae; immerito tamen quis allegaret has solutiones ad ostendendum Medinam non cogitasse de probabilismo eo quod non eo utitur ad dubium solvendum; agitur de dubio facti quod probalismus solvere non intendit.

Conclusio P. Medinae de dubio facti haec est: in dubio facti, aut dubium speculativum deponi potest, et efformatur conscientia certa, aut si deponi non potest, sequenda est tutior pars; quod si neutra tuta fuerit, sequenda est minus periculosa.

De dubio circa ius. Quamvis Medina his terminis nondum utatur, clare casus distinguit. Profecto, (art. 6 col. 177) aggreditur quaestionem: *Utrum liceat agere contra propriam opinionem;* et primum casum quem proponit versatur circa dubium iuris: « de aliquo actu, inquit, vel contractu versantur diversae opiniones inter doctores, an sit licitus an non »... confessarius tenet opinionem esse usurarium contractum; potestne absolvere poenitentem contra propriam opinionem? Occasione huius quaestionis Medina proponit celeberrimum principium probabilismi, et conceptum opinionis probabilis quod a sectatoribus istius systematis amplectitur.

Ex parte nostra unum, iterum, notare volumus: Medina, si proponit hic systema probabilismi, hoc, certo, in propria sede proponit.

Medina praeterea assurgit ad thesim generalem

de valore opinionis probabilis in ordine ad conscientiam certam efformandam, non tantum in casu confessarii sed universim. Id patet simplici lectione praesentis solutionis.

Nobis, qui elementa systematis probabilismi, quae apud Medina inveniuntur, quaerimus, interest notare conceptum opinionis et divisionem quam proponit.

Definitio opinionis apud Medinam non differt a definitione traditionali.

« *Qui opinatur,* ait, *assentitur uni parti cum formidine alterius* ».

« *Opiniones sunt in duplici differentia,* quaedam sunt *probabiles; quae confirmantur magnis argumentis et sapientium auctoritate:* ut quod liceat exigere lucrum cessans: aliae sunt opiniones omnino *improbabiles, quae nec firmantur argumentis nec maiorum auctoritate:* ut quod liceat habere plura beneficia ».

Evidenter apparet Medinam proponere conceptum obiectivum opinionis et probabilitatis; fundatur enim *magnis argumentis*, et *auctoritate sapientum*, item opinioni probabili opponitur tantum opinio improbabilis. Probabilitas tamen unius opinionis consideratur in se independenter a probabilitate oppositae. Ideo assertio indubitata apud Medinam: « *Quando sunt duae opiniones probabiles, licet utrique adhaerere indifferenter* ».

Hic, via ad deponendum dubium vel opinionem speculativam, ope principii generalis manifeste aperta est. Principium ex quo stante dubio vel opinione speculativa pervenitur ad certam conscientiam, est illud modo enuntiatum: Quando sunt duae opiniones probabiles, licet utrique adhaerere indifferenter. Unde logice concluditur: *In dubio vel opinione probabili, circa ius,* (de hoc tantum hic agit Medina) *modo certi simus quod opinio, quam sequimur, est vere probabilis,*

conscientiam certam habere possumus de liceitate actionis quam ponimus inhaerendo tali opinioni (1).

Haec sunt quae Medina ad systema morale probabilismi construendum attulit. Voluit tamen consequentiam maximi momenti explicite proponere, et mentem suam clarissimis verbis patefacere.

Dubitatio sponte exoritur. *Quid si inter opiniones probabiles una sit probabilior? « Magna quaestio ». Utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem relicta probabili; an satis sit sequi opinionem probabilem?*

Responsum pro Medina non potest esse dubium. Etenim pro ipso probabilitas unius opinionis non excludit probabilitatem alterius. Ideo qui sequitur opinionem probabilem, etiam si opposita videatur probabilior, prudenter agit. Unde : « *Mihi videtur*, ait, *quod si est opinio probabilis, licitum est eam sequi licet opposita probabilior sit* ».

Rationes affert sequentes: opinio probabilis arcet periculum peccandi; ex ipso conceptu probabilitatis; ex eo quod qui sic agit prudenter agit; quia non tenemur sequi quod perfectius est, sed sufficit sequi quod bonum; tandem quia cogere homines ad inquirendum ante omnem actionem quaenam sit opinio probabilior « *cruciat animos timoratos* » (*l. c.* col. 179).

Utrum Medina doctrinam hanc statuendo honorem (vel vituperium iuxta alios) paternitatis probabilismi mereatur, prudenti lectori relinquimus iudicandum. Ut nostrum iudicium aperte proponamus, videtur nobis quod Medina quatenus proponit ut fundamentum ad dubium solvendum, probabilitatem veram praebere rationem ad efformandam conscientiam certam de liceitate actionis; *thesim probabilismi explicite profitetur.*

---

(1) P. MENENDEZ-REIGADA, putat hanc conclusionem per aequivocationem deductam esse a probabilistis ex verbis Patris Medinae. (Art. supra cit.) Sapienti lectori committimus iudicare circa scientificam veritatem huius assertionis.

Quatenus, insuper, asserit probabilitatem unius opinionis manere etiam in occursu opinionis probabilioris, *praesuppositum philosophicum probabilismi iactat.*

Rationem intimam probabilismi nondum ipse attingit, ut videtur. Prudenter et licite agit qui sequitur opinionem probabilem. At quaenam est ratio intima cur licet sic agere? An semper? Ecce quod insolutum relinquit Medina.

Opera P. Francisci Suarez ad probabilismum evolvendum

Doctrina P. Medinae communi suffragio sine ulla controversia acceptata fuit in scholis theologicis. Explicatur hoc factum, quod omnes admittunt, si ea doctrina constituebat totalem recessum a traditione scholarum theologicarum? Non pertinet ad propositum nostrum responsum dare. Statum quaestionis internum exponere ex auctoribus probabilismi, intendimus, ad quod iuvat statim venire ad illos auctores, qui magis ad probabilismum adstruendum operam contulerunt: Suarez, et Doctorem Ecclesiae, Sanctum Alphonsum M. de Liguori.

Agit Suarez de probabilismo in tractatibus sequentibus:

De Legibus, (ed. 1ª, 1612); *De Virtute religionis,* (ed. 1ª, 1608-1609) magis data opera in *De actibus humanis* (ed. 1ª, 1628 post mortem auctoris). In hoc opere, in Tract. II, Disp. XII, quae est de Conscientia, exponit integram doctrinam. Citamus editionem 1ªm, Lugduni, 1628.

Haec sunt principia P. Suarez circa conscientiam dubiam:

1) *Stante dubio practico nunquam licet agere.* Unde cum agendi necessitas urgeat quaeri prius debet principium ad dubium deponendum. (vid. Sec. 4. N. 15, 16). Nam requiritur « *ut tale dubium fiat involuntarium*

et invincibile per sufficientem diligentiam ad expellendum illud, quia alias, dubium non provenit ex rebus ipsis sed ex voluntate hominis, *et ita illi tribuetur, quidquid mali acciderit, et omne periculum eius* ».... (Sec. V, n. 5).

2) Explicite proponit divisionem fundamentalem in: *Dubium iuris et facti* (ibid. N. 6).

Principium restringit ad dubia iuris, ubi agitur de obligatione alicuius legis et solutionem dat: « *Ubi simpliciter dubitatur de tota lege quoad exercitium, ... tunc generalis regula est non obligare* ».

Rationes proponit duas: « prima (cui non multum fidet), peti potest ex illo principio quod in dubiis melior est conditio possidentis, homo autem continet libertatem suam »; alteram, cui plene adhaeret: « vel certe ex illo quod in materia notandum est, quod lex non obligat nisi sit sufficienter promulgata: quamdiu autem rationabiliter dubitatur, an lata sit, non est sufficienter promulgata »...

3) *Propria sententia de usu opinionis probabilis.* Eam proponit in Sec. VI.

« Mihi videtur distinguendum; interdum enim opiniones versantur circa ius ipsum, scilicet, an hoc sit prohibitum, vel praeceptum, necne: interdum vero circa res ipsas, ut sunt opiniones de sacramentis, vel an hoc modo facta teneant, necne... »

« Dicendum, primo: *Quotiescumque est opinio probabilis hanc actionem non esse malam, vel prohibitam, vel praeceptam potest aliquis formare conscientiam certam, vel practicam conformem tali opinioni...* ».

Tribus argumentis ostendit assertionem propriam quae explicatione non eget. Primum petit ex natura cognitionis moralis; alterum ex conditione actionis; tertium ex principio de obligatione legis.

Ipsum perspicue loquentem audiamus:

« Ratio est quia excedit ordinarium modum hu-

« manae facultatis maiorem cognitionem obtinere in « singulis actionibus; iterum quia esset intolerabile « onus obligare omnes homines ad conferendas sin- « gulas opiniones; praeterea existimo illam rationem « sufficientem; quia quandiu est iudicium probabile, « quod nulla sit lex prohibens, vel praecipiens actio- « nem, talis lex non est sufficienter proposita, vel « promulgata homini ».

4) *Ambitum principii.* Praecise tantum in casu in quo ad conclusionem practicam, in qua est conscientia, devenire non possumus alia via praeter quam directa illius legis dubiae consideratione. Ait enim (*l. c.* n. 6): « Intelligenda est autem haec conclusio praecise *ex vi huius capitis et ex directa obligatione illius legis, de qua versantur opiniones* ». Verbo: *unica* via directa ad conscientiam efformandam est lex, eaque dubia.

5) *Dubium circa res* (facti); ad hoc dubium solvendum principium non applicatur. Quia generatim tunc obstant alia principia quibus formatur conscientia certa, ut ex exemplis patet: de valore sacramentorum, de medicinis etc. Rationem affert: « quia homo « tenetur vitare illud malum, procurare hanc utilita- « tem; ergo tenetur vitare periculum, quia in mora- « libus hoc perinde est; sed si omittit viam certam, « aut securiorem non vitat periculum, nam illud sem- « per in re manet quidquid sit de probabilitate opi- « nionis. Unde confirmatur ex differentia inter iudi- « cium de iure et de re, *nam primum dicit ordinem « ad operantem et omnino tollit periculum malitiae.* « Secundum vero dicit ordinem ad rem ipsam et non « tollit periculum detrimenti quod est in ipsa re ».

« Unde in priore est sufficiens excusatio, seu « ratio sequendi probabile iudicium, quia nondum est « lex sufficienter proposita et non expedit hominem « obligationibus onerari ».

Habemus doctrinam Francisci Suarez de usu opinionis probabilis. Si ad crisim eam revocemus, instituta comparatione cum his quae postea erunt decursu temporis disputanda, apparet P. Suarez magnum habuisse influxum ad constructionem systematicam probabilismi. Propositio principii: *Lex dubia non obligat,* quod dein centrum constituet omnium disputationum de singulis systematibus, ipsi debetur.

Si haec, una cum ea quae Medina proposuit, componantur, habentur omnia elementa quibus primum systema morale ad dubium speculativum practice solvendum, constat.

Si de valore principii a Suarez introducti quaestio moveatur, secundum *P. Deman,* (1) iudicatum manet systema quod innititur principio a traditione alieno, introducto a viro nimium ad novitates propenso; secundum vero S. Alphonsum (2) « Horum principiorum (ad dubium solvendum) *principalissimum* est illud, quod *Lex dubia non potest certam inducere obligationem.* Veritas huius principii evidenter in Dissertatione mox enunciata probabitur ».

(Continuabitur)

ULPIANUS LOPEZ, S. I.

De nova Missa votiva D. N. Iesu Christi summi et aeterni Sacerdotis

In suis Litteris Encyclicis de Sacerdotio catholico Summus Pontifex sic novam hanc missam nuntiat: « opportunum duximus, adhibita in consilium Sacra Congregatione catholicis ritibus tuendis, propriam summi et aeterni Sacerdotis Iesu Christi votivam Missam

(1) *l. c.,* col. 477-478.
(2) *Theol. Mor.* lib. I, cap. 2, n. 26.

apparari, unaque cum hisce Litteris in lucem edi: *quae quidem Missa votiva, quavis feria quinta, ad liturgicas normas, celebrari poterit* ».

Primo aspectu duplici interpretationi prorsus contrariae haec verba ansam praebere possunt. Possit enim quis inde concludere hanc novam missam votivam aliquo modo esse privilegiatam, ita ut nonnumquam celebrari possit in Feria quinta in qua aliae missae votivae prohibentur, v. g. occurrente duplici vel per quadragesimam. Ex alia parte possit etiam quis concludere novam hanc missam votivam ita esse Feriae quintae alligatam ut numquam extra eam celebrari possit. Iamvero utramque hanc interpretationem esse eroneam statim patet legenti titulum quo ipsa Missa insignitur in *AAS* XXVIII (1936), p. 54: « Missa votiva D. N. Iesu Christi summi et aeterni Sacerdotis, quae in locum conventualis de Feria V communi in Choro suffici potest ».

Nempe in Missali duplex exstat series missarum votivarum, quarum prima praecise sub eodem titulo effertur: *Missae votivae quae loco conventualis de Feria communi in Choro suffici possunt.* In hac ergo serie numeranda erit nova Missa votiva. Altera series inscribitur: *Missae votivae ad diversa.*

Ex can. 413, §§ 1 et 2 quotidie a quolibet Capitulo in Choro celebranda est cum cantu Missa conventualis, quae normaliter debet iuxta rubricas et decreta esse conformis officio diei. Item, iuxta can. 610, § 2 missa officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum, quibus est obligatio Chori, et etiam, quantum fieri potest in religionibus mulierum, item ad Chorum adstrictarum. Attamen apud religiosos vel religiosas illa missa non debet necessario fieri in cantu, nec, iure consuetudinis vel Constitutionum secluso, ipsi tenentur ad plures

missas conventuales eodem die celebrandas, aut ad missam conventualem quotidie pro Benefactoribus applicandam.

A regula tamen quae vult ut Missa conventualis concordet cum officio diei dantur tamen quaedam exceptiones. Sic, nonnumquam pro Missa conventuali celebrari *debet* Missa praecedentis dominicae in propria die impedita, etsi officium de feria non fuerit ; sic etiam, extra quadragesimam et tempus paschale, et excepto mense novembri, prima die libera uniuscuiusque mensis, in qua fit officium de feria communi, et primo resumenda non sit missa praecedentis dominicae impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro defunctis, iuxta rubricas. Tandem, singulis per hebdomadam diebus, quando fit officium de feria (exceptis Feriis adventus extra sabbatum, quadragesimae, quattuor temporum, rogationum et vigiliarum), et primo resumenda non sit Missa dominicae praecedentis impedita, neque dicenda Missa conventualis defunctorum, iuxta rubricas; pro missa conventuali dici *potest* una ex Missis votivis primae seriei, prout per hebdomadam disponuntur. Hucusque feriae quintae assignabatur Missa de Spiritu Sancto, vel de SS.mo Sacramento; in posterum ergo, in casu etiam eligi poterit nova Missa de D. N. Iesu Christo summo et aeterno Sacerdote.

Et haec de Missis conventualibus. Extra vero Missam conventualem, *qualibet die* non impedita iuxta rubricas, dici possunt Missae votivae quae pro singulis hebdomadae diebus loco Missae conventualis assignantur, (ergo, etiam nova haec Missa) et insuper nonnullae aliae.

Nova haec Missa, quae iuxta decretum approbationis inter Missas votivas Missalis Romani inseri debet, locum obtinebit in prima serie Missarum votivarum post Missam de SS.mo Sacramento.

Quod ad modum illam dicendi, sive dicatur pro Missa conventuali, sive ut Missa votiva privata, in omnibus sequetur regulas Missae votivae privatae, nempe dicetur sine *Gloria* et sine *Credo* ; altera oratio erit commemoratio officii, tertia illa quae in Missa de die secundum locum obtineret. Praefatio semper erit *de cruce*, utpote huic Missae propria. Ultimum evangelium iuxta rubricas. Color huius Missae est albus. Possit, ut patet, Episcopus hanc Missam praescribere vel permittere ut Missa votiva sollemnis pro re gravi et publica Ecclesiae causa, quo casu in omnibus huius sequetur regulas.

IOS. PAUWELS, S. I.

De Religiosi Minoristae Saecularizati Incardinatione

Religiosus qui in religione ad tonsuram et ordines minores promotus est, postea, vel elapso tempore votorum temporariorum voluntarie ad saeculum revertitur, vel post professionem perpetuam indultum saecularizationis obtinet.

Quaeritur. 1. — An ipso facto ad statum laicalem reducitur?

2. — Si negative ad 1, a quonam Ordinario potest talis saecularizatus recipi et incardinari, a quonam debet excardinari?

C. M. R.

Resp. ad primum : Can. 211, § 2 dicit clericum minorem ad statum laicalem reduci « *ipso facto ob causas in iure descriptas* », quae causae in can. 132 § 2, 136 § 3, 141 § 2, 648, 669 § 2, 2305 § 1, et 2387 ac-

curate describuntur. Legislator igitur mentem suam de hac re clare manifestavit. Si religiosum saecularizatum ad statum laicalem reducere voluisset, id explicite dixisset. Nec licet can. 648 et 669, § 2, in quibus religiosus *dimissus* ipso facto ad statum laicalem reducitur, ad casum nostrum applicare. Nam in his canonibus reductio ad statum laicalem statuitur ut consequentia *dimissionis*, ideoque, etiamsi naturam poenae non habeat, saltem ut res odiosa, iurisque restrictiva *stricte* interpretanda est (can. 19) nec de casu ad casum est producenda. Religiosus ergo saecularizatus in casu nostro manet clericus.

Resp. ad secundum: Receptione tonsurae et ordinum minorum in religione clericus noster nulli dioecesi incardinatus est, cum erat religioni adscriptus (can. 111). Quid nunc facere debet? Duos casus distinguere debemus:

a) Si post vota temporaria elapsa libere ad saeculum rediit, cum propriam dioecesim non amiserit, ad illam ex analogia can. 641 § 1 redire debet. Ordinarius proprius *potest* eum recipere. Quod si faciat, ipso facto clericus in sua dioecesi incardinatur. Sed Ordinarius proprius talem clericum recipere *non obligatur*, cum per tonsuram in religione receptam in sua dioecesi incardinatus non erat.

b) Si clericus propriam dioecesim ad normam can. 585 per professionem votorum perpetuorum amiserit, vel si Ordinarius proprius in casu sub *a*) illum recipere noluerit, clericus debet quaerere Episcopum benevolum et, domicilio in eius dioecesi ad normam can. 92 acquisito, potest ab illo recipi ad normam can. 641, § 2.

Litterae excardinationis in neutro casu requiruntur, cum clericus de facto nulli dioecesi incardinatus est, sed simplici receptione Episcopi benevoli dioecesi incardinatur ad normam can. 641, § 2.

In utroque casu Episcopus benevolus clericum in seminario suo recipere potest sine notitiis quae pro religioso dimisso requiruntur (can. 1363) sed ex analogia can. 117, 2^0 a superioribus religionis quam clericus reliquit opportuna testimonia de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis obtinere debet.

Receptio temporalis novi clerici in dioecesi pro experimento practica esse non videtur, cum Episcopus clericum incardinatum quovis tempore ad statum laicalem reducere potest (can. 211, § 2). Si tamen Episcopus benevolus clericum tantum ad experimentum reciperet, probatio terminari deberet ante subdiaconatus receptionem, cum Episcopus tantum clericum incardinatum ad ordines promovere posset (cf. can. 956).

ADAMUS ELLIS, S. J.

Casus de abstinentia periodica in matrimonio

Calepodius, vir parum christianus, a paucis annis vitam agit cuncubinariam cum Bertha, catholica; quae frequenter adit parochum eum rogans ut componere velit res, ne in tam tristi statu permanere sinatur. Difficultas oritur relate ad matrimonium, ex eo solo capite quod Calepodius in matrimonium non vult consentire nisi sub conditione non habendi prolem.

Parochus, qui antea solutionem nullam invenire poterat, nuper legit quoddam opusculum in quo methodus Ogino-Knaus proponebatur; unde gaudens advocat Calepodium et Bertham, ipsis revelat novam doctrinam, qua audita Calepodius libenter consentit in matrimonium ineundum, sine ulla conditione, sed cum pactione de matrimonio utendo tantum tempore

agenesico, ne prolis nascatur. Rationem iustam ad prolem vitandam non habet; sed tantum movetur considerationibus egoisticis: fruendi pace et libertate, quae ex prole multum perturbantur: fruendi stipendio integre, sine ulla de futuro preoccupatione, qua premuntur patresfamilias; desiderio sibi robustam et floridam conservandi uxorem.

Quamvis hoc approbare non possit, bonus parochus, ad matrimonium celebrandum properat, et ad Calepodium absolvendum a peccatis praeteritis, reputans voluntatem Calepodii semper vitandi prolem, non esse nisi leviter peccaminosam, si coniungatur cum proposito nihil agendi contra naturam.

Quaeritur utrum bene ratiocinatus sit Parochus.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Vetera et nova de missa dialogata

Inter plurima florentis ac vigentis vitae liturgicae indicia non minimum sane est studium quo non solum ferventiores fideles sed etiam sacerdotes complures invalescentem missae dialogatae consuetudinem prosequuntur (1).

Cuius studii novum quoddam ac praeclarum documentum (2) nuper editum est, cum dubiis ab Eminentissimo et Reverendissimo Archiepiscopo Genuensi Cardinali Carolo Dalmatio Minoretti sibi propositis Sacra Rituum Congregatio die 30 novembris 1935 paucis pro more verbis respondit, solutionem iam pluries a se propositam iterando mentemque suam denuo definiendo.

Qui hoc cum antiquioribus contulerit rescriptum, sine magno quidem negotio intelleget principium ac normam solutionis quibus S. Congregatio a quindecim ferme annis in ista re usa est, eadem semper fuisse et nunc quoque manere, mentem autem eius pari modo plane secum constantem fuisse, at simul etiam ex modo quo solutio ista eiusque mens exprimitur, sen-

(1) Infinita est copia dissertationum, disceptationum aliorumque scriptorum quae de usu et ritu missae dialogatae his quindecim ferme annis edita sunt. Non omnia multum ad solutionem quaestionis contulerunt.

(2) Vide infra, inter Monumenta, p. 43.

tire sibi videbitur, maiorem quandam erga consuetudinem missae dialogatae benevolentiam in novissimo documento quam in prioribus demonstrari. Quod si animum suum non iam ad ipsa rescripta S. Congregationis sed ad quaesita quibus haec respondent adverterit, non minus perspicue cognoscet quantum tribus his lustris usus missae dialogatae huiusque doctrina progressa sit, cum in locum prioris confusionis ac temeritatis — temerariae certe dicendae sunt plures rationes saltem olim in missa dialoganda passim admissae (ut puta publica recitatio partium etiam secretiorum missae) — maior maiorque paulatim substitueretur intellegentia ac prudentia.

Ut autem lector ipse sibi harum rerum veritatem compertam habeat, quattuor ei hic rescripta subicimus, quae Sacra Congregatio Rituum annis 1921, 1922 et 1935 de negotio missae dialogae emisit (3). Ex quattuor namque his gravissimis documentis unum tantum, rescriptum scilicet anni 1922, in Actis Apostolicae Sedis et inde in collectione Decretorum authenticorum S. Congregationis Rituum editum est. Tria vero cetera in periodicis tantum nobis praesto sunt: duo priora in commentariis *Ephemerides Liturgicae,* postremum in *Rivista diocesana* Archidioeceseos Genuensis.

Aetate primum est rescriptum in causa Mantuana datum die 18 februarii 1921, cuius hic est textus (4):

> An liceat inducere vel tollerare morem aliquibus in locis incipientem, quo fideles vel religiosae coniunctim respondeant sacerdoti Missam celebranti et cum illo etiam recitent elata voce *Gloria, Credo,* etc.?
>
> Resp. Ad Rev.mum Ordinarium et ad mentem.

---

(3) Ex primo horum documentorum deducendum videtur iam ante mensem februarii anni 1921 S. Rituum Congregationem de invalescente consuetudine missam privatam dialogandi interrogatam mentem suam super illo negotio pluries aperuisse.

(4) *Ephemerides liturgicae,* 35 (1921), p. 313.

Mens est: Quae per se licent, non semper expediunt ob aliquod inconveniens, uti v. gr. si uni vel pluribus sacerdotibus celebrantibus confusionem et distractionem eiusmodi mos afferrat, ut in casu, iuxta alias similes responsiones ad similes petitiones. Praeterea praedictus mos differt a praxi communi et vigenti.

Primum istud responsum alterum mox subsecutum est quod ad episcopum Pisaurensem (Pesaro in Italia) die 25 februarii 1921 missum est, hoc autem modo redactum erat (5):

Pisauren.
Episcopus Pisaurensis a S. R. C. petit:

1. An liceat fidelibus qui Missae intersunt se adiungere ministro, elata voce respondendo sacerdoti celebranti, quoties minister respondere debet?

2. Si affirmative ad 1, an liceat populo una cum celebrante elata voce recitare *Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei?*

3. Licetne fidelibus ante communionem tum in Missa, tum extra Missam, recitare seu canere *Confiteor*, et sacerdoti respondere una vel loco ministri?

Ex Congressu die 25 februarii 1921.

Communicetur votum.

Quae per se licent non semper expediunt ob inconvenientia quae facile oriuntur, ut in casu nn. 1, 2, 3, et servetur praxis communis.

A. Card. Vico Ep. Portuen., Praef.
Alexander Verde, S. R. C. Secret.

Cum autem paulo postea etiam ab Ordinario Mechliniensi (Malines in Belgio) similis interrogatio ad S. Congregationem pervenisset, pro novo responso, die 27 aprilis 1921, transmissum est rescriptum in causa Mantuana duobus circiter ante mensibus editum (6).

---

(5) Ibid., p. 311.
(6) Ibid., p. 313.

Mechlinien.

M. 21/21

Die 27 aprilis 1921.

Datur rescriptum in Mantuana die 18 februarii 1921 super dubio:

An liceat inducere....

Praecipuum autem quattuor rescriptorum S. Congregationis Rituum quae ad missam dialogatam pertinent, illud est quod die 4 augusti 1922 prodiit. Etsi, ut supra diximus, in *Actis Apostolicae Sedis* (7) et inter *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum* (8) editum est, eius textum nihilo minus hic iterum exhibendum esse censuimus, quo lectori facilior evaderet labor quattuor documenta nostra inter se conferendi. En igitur textus rescripti qualis est in collectione Decretorum authenticorum S. Congregationis Rituum:

DUBIA

De coetu fidelium sacro adstantium: an respondere possint coniunctim pro ministro, vel legere elata voce quae sunt canonis.

Sacrorum Rituum Congregationi proposita sunt pro opportuna declaratione sequentia dubia; nimirum:

I. An liceat coetui fidelium adstanti sacrificio Missae, simul et coniunctim respondere, loco ministri, sacerdoti celebranti?

II. An probandus sit usus quo fideles Sacro adstantes, elata voce legant Secreta, Canonem, atque ipsa verba Consecrationis, quae, paucissimis in Canone verbis exceptis, iuxta Rubricas secreto dici debent ab ipso sacerdote?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus mature perpensis, ita respondendum censuit:

---

(7) T. 14 (1922), p. 505. Et inde etiam in *Periodica*, t. XI (1923), pp. 154-157, cum annotationibus Ios. Pauwels, S. I.

(8) N. 4375, *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum*, Appendix II, p. 39.

Ad I. Ad Rev.mum Ordinarium iuxta mentem. Mens autem est: Quae per se licent, non semper expediunt ob inconvenientia quae facile oriuntur, sicut in casu, praesertim ob perturbationes quas sacerdotes celebrantes et fideles adstantes experiri possunt cum detrimento sacrae actionis et rubricarum. Quapropter expedit ut servetur praxis communis, ut in simili casu pluries responsum est.

Ad II. Negative; neque permitti potest fidelibus adstantibus quod a Rubricis vetitum est sacerdotibus celebrantibus, qui Canonis verba secreto dicunt, ut sacris Mysteriis maior reverentia concilietur, et in ipsa Mysteria fidelium veneratio, modestia et devotio augeantur; ideoque mos enuntiatus, tamquam abusus reprobandus est, et, sicubi introductus sit, omnino amoveatur.

Atque ita rescripsit, declaravit atque decrevit. Die 4 augusti 1922.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae
S. R. C. Praefectus

Alexander Verde, Secretarius.

Recentissimum vero responsum, quod, Eminentissimo et Reverendissimo Archiepiscopo Genuensi missum, nobis scribendi causa fuit, hoc modo in *Rivista diocesana* Archidioeceseos Genuensis (9) redactum est, nisi quod partes illius quae ibi lingua italica exhibentur, nos hic in latinam convertimus (10):

Roma, 30 novembre 1935.

Eminentia Reverendissima

Dubiis ab Em. V. Rev.ma propositis:

I. In Seminariis, in Congregationibus, in aliquibus paroeciis inolevit usus quo populus una cum ministro respondet in Missis privatis, modo nihil confusionis afferat. Quaeritur utrum hic usus sustineri possit, imo et propagari.

II. In nonnullis locis, in Missis privatis, populus una cum sacerdote celebrante, alta voce et concorde, recitat *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Agnus Dei*. Propagatores huius usus hanc rationem reddunt: Missa privata est

(9) Mense Novembri 1935, p. 281.
(10) Ipsum textum reperies in *Periodica* XXV (1936) p. 43.

abbreviatio Missae decantatae. Atqui in missa decantata populus decantat *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Agnus Dei*. Ergo hoc fieri potest per recitationem etiam in missis privatis.

Quaeritur utrum sustineri possit et usus et ratio adducta.

Haec sacra Congregatio, audita quoque sententia Commissionis liturgicae, respondet ad normam decreti n. 4375 pertinere ad Ordinarium iudicare num in singulis casibus, spectatis omnibus rerum adiunctis, videlicet loco, populo, numero missarum quae simul celebrantur, etc., usus propositus, etsi per se laudabilis, inferat turbationem potius quam foveat devotionem. Quod facilius accidere potest in usu in altero dubio proposito, etiam praetermisso iudicio de ratione quae affertur, videlicet: *Missa privata est abbreviatio Missae decantatae.*

Secundum praedictam normam Eminentia Vestra Reverendissima pro prudentia sua plenum ius habet temperandi hanc pietatis liturgicae formam.

Inclinatus ad sacrae purpurae osculum, gratum habeo me profiteri

Eminentiae Vestrae Rev.mae dev.mum servum
ALFONSUS CARINCI, Secretarius S. Congr. Rituum.

E comparatione igitur horum documentorum in primis manifesta fit regula quam S. Congregatio in solvendis dubiis de missa dialogata sibi pluries propositis constanter secuta est. Clare haec depromitur in rescriptis diei 18 februarii 1921 et 4 augusti 1922, ubi dicitur: « Ad Rev.mum Ordinarium iuxta mentem » vel « et ad mentem ». His namque verbis non significatur decretum esse a S. Congregatione ut responsum suum ad Ordinarium mitteretur — ceteroquin responsum anni 1922 ad nullum determinatum Ordinarium mittendum fuisse perhibetur — sed Ordinariis singulis committendum esse ut ad mentem quidem S. Congregationis Rituum, at pro sua prudentia, spectatis omnibus rerum adiunctis, morem missae dialogatae permittant vel tollant, adprobent vel improbent, et si eum

adprobandum esse duxerint, pleno iure eius rationem temperent (11).

Etiam apertius res significatur in rescripto diei 30 novembris 1935, neque aliud dicitur in rescripto ad episcopum Pisaurensem dato verbis: « Communicetur votum ». Communicandum videlicet est cum Reverendissimo Ordinario votum unius saltem e consultoribus, ut ad istam normam res ordinetur.

Unum tantum S. Congregatio in responso anni 1922 ipsa plane reprobavit neque ullo modo permitti vel tolerari posse declaravit: morem nimirum quo fideles adstantes elata voce legant secreta, canonem atque ipsa consecrationis verba, quae omnia, paucissimis in canone verbis exceptis, iuxta rubricas secreto ab ipso sacerdote celebranti dici debeant.

Plane quoque secum constans fuit S. Congregationis mens, quoniam perpetuo hoc notissimo sancti Pauli principio nisa apparet, quod non quaecumque licent, etiam expediunt (1 *Cor.*, 6, 12), adeoque constanter censuit S. Congregatio missam dialogatam ob incommoda quae facile gignat, verbi gratia uni vel pluribus sacerdotibus eodem tempore et loco celebrantibus perturbationem et distractionem afferendo, etiam si per se liceat, nihilominus parum ut saepius expedire.

Attamen, ut iam diximus, non negandum nobis videtur una cum ista constantia maiorem quandam benevolentiam, vel etiam favorem, recentiore documento erga missam dialogatam exhiberi quam antiquioribus. Etenim cum in prioribus rescriptis non ambigue significaverit S. Congregatio suo iudicio missam dialogatam vix sine incommodo celebrari posse, ita ut

(11) P. Battistini C. M., *Consultationes. De coetu fidelium respondente Sacerdoti Missam privatam Celebranti,* in *Ephemerides liturgicae,* 47 (1933) p. 181-182.

eius morem plerumque non expedire dicendum esset, ultimo responso, licet non neget fieri posse ut missa dialogata potius perturbationem generet quam devotionem, praesertim ubi fideles sinantur non tantum sacerdoti celebranti respondere sed etiam cum illo recitare *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Agnus Dei,* hoc tamen incommodum nequamquam semper vel fere semper effici existimat, ideoque totum huius rei iudicium Ordinario remittit.

Praeterea cum in prioribus rescriptis constanter contra morem missae dialogatae obiectum sit eam praxi communi ac vigenti contrariam esse, hanc autem omnino tenendam esse decretum, in recentissimo rursus ista communis praxis iam non memoratur, hac profecto de causa quod in praesentia consuetudo missae dialogatae communi praxi adversari non iam dici potest.

Etenim si summae ecclesiasticae auctoritatis benevolentiam ac favorem maiorem demonstrat ultimum rescriptum S. Congregationis Rituum, multo quoque perfectiorem missae dialogatae exercitationem atque intellegentiam cum apud fidelem populum tum apud clerum sine dubio manifestant quaesita quae illius rescripti causae fuerunt. Non paucas namque confusiones, ignorantias, haesitationes, temerariasque novitates passim admissas produnt antiquiora quaesita, quas ipsa sapienter ac prudenter sanare studuerunt, et reapse iam prorsus vel magna ex parte sublatas ostendunt recentiora.

Prima quaedam confusio rerum in eo erat quod non distinguebatur consuetudo qua coniuncte populus *loco ministri* respondebat, ab usu quo id *una cum illo* agebat. Huius rei indicium praebent quaesita ordinarii Mantuani, cum nondum ullam mentionem faciunt praesentiae vel muneris ministri, ita ut incertum remaneat utrum in iis quaestio sit de more respondendi una cum ministro, an

id pro eo agendi. In quaesitorum autem Ordinarii Pisaurensis dubio primo distincte quidem petitur num liceat fidelibus se adiungere ministro elata voce respondendo — quod nihil aliud quam usum respondendi cum ministro significare videtur —, at in dubio tertio eorundem quaesitorum interrogatur num liceat fidelibus ante communionem, sive intra missam sive extra eam recipitur, recitare vel canere *Confiteor* et sacerdoti respondere, non solum una cum ministro sed etiam loco illius, et sacra Congregatio sine ulla distinctione respondet quae per se liceant, non semper expedire. Idemque fecit cum in quaesitis anni 1922 dubium ei propositum esset num liceret coetui fidelium loco ministri sacerdoti celebranti respondere. Liquet nimirum Sacram Congregationem in istis rescriptis verba « loco ministri » non respexisse sed eandem solutionem iteravisse quam antea dederat cum generaliter tantum quaereretur utrum fidelibus permitti posset ut in missa privata celebranti responderent (12).

Quod cum non esset ab omnibus intellectum, factum est ut passim permiscerentur duae res quae omnino inter se diversae sunt ac disiunctae, videlicet lex adhibendi in omni missa privata ministrum qui celebranti respondeat ac serviat, et facultas fidelibus facienda partem aliquam habendi in recitandis quibusdam precibus e missae formulario. Quanta autem confusio inde orta sit apud ipsos rerum liturgicarum doctores, recentes controversiae demonstraverunt. Neque minor generata est titubatio ac perturbatio in ipso cultu liturgico, quoniam compluribus in locis iam consuetudo obtinuerat, ut adstantes fideles non solum una cum ministro sed loco eius responderent, ita ut contra praescriptum canonis 813 missa privata sine mi-

(12) V. supra.

nistrante viro celebraretur, ubi hic sine nimio negotio haberi poterat (13).

Alteram confusionem quae pari modo in nonnullis locis haesitationum ac temeritatum plurium causa fuisse apparet, manifestant antiquiora quaesita de missa dialogata, cum vel ipsa nondum omnino aperte a ceteris distinguunt eas missae partes quae unius ac solius celebrantis necessario sunt, vel, e contrario, has quoque formulas in non nullis locis a fidelibus recitari solitas fuisse referunt. Sic quaesita Ordinarii Mantuani partes quae fidelibus una cum sacerdote recitari consueverunt non definiunt, sed ex iis duo tantum exempla proponunt; praeterea rationem non determinant cur ex omnibus formulis quae in missa privata a celebrante recitantur, pauca tantum et non alia a fidelibus quoque — una cum sacerdote — recitari possint. Quaesita porro Ordinarii Pisaurensis quamquam clare omnes formulas quas etiam populus una cum celebrante missae privatae pronuntiare possit, percensent — nimirum *Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei* — huius tamen delectus nullam causam affert et proinde integrum relinquit dubium cur populo fas non sit cum celebrante recitare etiam alios cantus: introitum, graduale, alleluia, tractum, offertorium, communionem, vel alias quoque formulas, ut puta brevem apologiam *Domine non sum dignus,* quam multi ab ipsis fidelibus pronuntiari velint.

Graviores porro abusus quosdam cum exponunt quaesita anni 1922, significare videntur quousque in hac re progressa fuerit nonnumquam confusio et imprudentia. Immo illa ad hoc significandum consulto redacta esse existimaverimus; sic namque offerebatur S. Congregationi occasio malis illis medendi.

---

(13) Ibid., p. 390-391.

Quaesita vero iussu Eminentissimi Archiepiscopi Genuensis nuper S. Congregationi missa utramque confusionem plene solvunt.

Etenim quaestionem utrum necne fidelibus unquam liceat in missa privata celebranti loco ministri respondere canone 813 Codicis Iuris plane solutam existimantia, unum tantum interrogant, num fidelibus fas sit, salvo istius canonis praescripto, una cum ministro respondere. Quod autem ad partes pertinet quas fideles una cum celebrante recitare possint, eas a ceteris omnibus perspicue distinguunt, hoc suae sententiae suggerendo principium quod missa privata aliud non est quam forma simplicior missae sollemnis, fidelibus vero licere debet ea in missa privata recitare quae in missa sollemni canunt. Praeter responsa igitur (quibus adnumeranda est supplicatio *Kyrie eleison*) aliae formulae quas fideles una cum celebrante in missa dialogata recitare possint non percensentur nisi *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus,* et *Agnus Dei.*

Quaesitis autem dilucide propositis facile fuit S. Congregationi claram quoque ac certam opponere responsionem. Dubium proinde nobis non videtur quin iam ex hoc capite novum documentum multum conferre possit ac debeat sapienti ac devotae celebrationi missae dialogatae.

Alia porro distinctio quaedam in eodem documento manifestior apparet quam in antiquioribus: distinctio nimirum formularum quae in missa dialogata a fidelibus una cum ministro et earum quae una cum celebrante recitari possint (14). Quae distinctio quam opportuna sit, quantumque iuvet ad recte intellegendam propriam missae dialogatae rationem ac si-

(14) Distinctionem duarum partium missae dialogatae clare quoque praestat P. Battistini, P. M., *Consultationes. De coetu fidelium simul respondente sacerdoti Missam privatam celebranti,* in *Ephemerides liturgicae,* 48 (1934), p. 121-123.

gnificationem, nemo est quin sentiat. Expedire tamen duximus rem paulo explicatius ac distinctius demonstrare simulque ostendere duos modos missam dialogandi seu geminas missae dialogatae partes ad unum principium reduci posse et debere, ne videatur nobilis iste ritus practicis tantum atque empiricis rationibus niti.

Quam sit igitur iusta atque utilis distinctio quam diximus, his argumentis probatur.

1. Perfecte congruit cum missae privatae euchologica constitutione. Haec enim e duabus partibus constat, quarum altera responsa, altera ceteras cunctas formulas complectitur; altera a ministro pronuntiatur, altera, modo demissa modo elata voce, ab ipso celebrante recitatur. Convenit quoque cum ratione missae sollemnis cuius missa privata non est nisi forma quaedam simplicior. In missa namque sollemni praeter orationes quae celebranti reservantur, ceterae omnes formulae iterum in duas species manifeste dividendae sunt. Prior continet brevissimas illas responsionis formulas, quae fere sine cantu pronuntiandae sunt et pro Ecclesiae disciplina cum antiqua tum hodierna ad munus populi proprium pertinent. Altera diversos cantus qui licet antiquitus aliqua ex parte etiam a populo canendi fuerint et hodie rursus, hortante ecclesiastica auctoritate (15), ex parte ab eo canantur, saepius tamen cuncti cantorum munus constituerunt et etiam nunc de facto constituunt.

2. Pluribus rebus alter ab altero prorsus discrepant duo modi missam dialogandi. Etenim:

A. Qui in missa privata celebranti respondet una cum ministro, socius efficitur muneris quod huic de iure et de facto ab Ecclesia commissum est; qui vero alias quasdam missae formulas una cum cele-

(15) De qua re vide notas ad finem huius articuli.

brante recitat, partem habet in officio quod hodie celebrantis sine dubio proprium est, etiam si istae formulae ex iis sunt quae in missa sollemni a cantorum schola et a populo canendae sunt.

Missa namque privata a sollemni non eo differt quod in illa quaedam partes omittuntur, sed quod res modo simpliciori et a paucioribus, seu a duobus tantum viris, aguntur. Omnia responsa quae in missa sollemni a ministris sacris (in initio missae, in supplicatione *Kyrie eleison,* in hortatione *Orate fratres*), vel a populo pronuntiantur, in missa privata verum, proprium ac stabile munus ministri constituunt, ita ut alius nullus in missa privata efficienter et legitime respondere possit quin in uno actu cum ministro consocietur (16). Reliquis autem officiis cunctis, nullo omisso, quibus in missa sollemni funguntur ipse celebrans, ministri sacri, cantores vel fideles, praestat in missa privata unus ac solus celebrans idque ex certa ac fixa Ecclesiae institutione, ita ut ne verbum quidem ex quovis missae cantu iure et cum effectu ab alio quolibet pronuntiari possit, nisi partem habendo in ipso celebrantis munere (17). Multo plus videlicet agit celebrans missae privatae quam sollemnis. In hac enim celebrans, prout celebrans est, suas tantum partes proprias, id est orationum recitationem rituumque sacramentalium perfunctionem, exercet, cetera vero — ut puta, hymni angelici, symboli ceterorumque cantuum pronuntiationem, epistolae atque evangelii recitationem, quippe quae ad ministros sacros, ad cantorum scholam vel ad populum pertineant — ipse, propriae dumtaxat commoditatis ac de-

---

(16) Dicit Codicis iuris canon 813, § 1. « Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat ».

(17) Totam missam, praeter responsa ministri, adeoque etiam recitationem cantuum et lectionum, vere a celebrante celebrari non est demonstrandum. Res liquet.

votionis causa, quasi separate et demissa voce — ne alios turbet — praestare festinat. Contra, ut supra diximus, in missa privata celebrans, ex perenni Ecclesiae institutione, non solum propriam suam partem sed ministrorum sacrorum, cantorum, populi vere et plene celebrat. Unum tantum non sibi assumpsit — etsi hoc fecit qui pro hodierna consuetudine privatim officium horarum recitat — nimirum ut ipse sibimet respondeat; hoc namque a compluribus saeculis leges ecclesiasticae ministro missae privatae commiserunt et imposuerunt.

B. Alterum discrimen inter duas rationes missae dialogatae manifestum fit, ubi iam non constitutio ipsius missae privatae consideratur sed ratio missae sollemnis, quae aliquo modo forma amplior missae privatae dici potest. Sic namque apparet eum qui in missa privata celebranti respondet id munus praestare quod in ampliore ista celebrationis forma fere totum populi fidelium proprium est; qui vero una cum celebrante *Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei,* introitum, graduale vel alium similem cantum pronuntiat, partem sibi sumere officii quod de iure vel de facto — ut saepius — cantorum scholae est (18).

C. Tertium, et hoc magni momenti, discrimen est quod tribus in missae locis ipse *Ritus servandus in celebratione Missae* munus una cum ministro vel etiam loco eius celebranti respondendi illis qui intersunt (19) seu circumstantibus (20) attribuunt, videlicet in confessione (21), in invocatione *Kyrie* (22) et in horta-

---

(18) De qua re vide notas ad finem articuli huius.

(19) *Ritus servandus in celebratione missae,* t. III, 9; t. IV, 2.

(20) Ibid., t. III, 10; t. VII, 7.

(21) Ibid., t. III, 9 et 10: « Cum minister et qui intersunt ....respondent *Confiteor*.... Facta a circumstantibus Confessione ».....

(22) Ibid., t. IV, 2: « Si minister vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit ».

tione *Orate fratres* (23). Porro cum istis rubricis generalibus, quae praesertim celebrationem missae privatae respiciunt, concordat ipse *Ordo missae* quod ad responsum *Suscipiat Dominus* pertinent (24). Ex eo autem quod responsio populi tribus tantum locis memoratur, non sequitur eum in aliis locis a respondendo prohiberi; in singulis enim istis locis ratio quaedam specialis erat muneris fidelium mentionem faciendi. Ceterum cum *Ritus servandus in celebratione missae* tum *Ordo missae* ipsa responsa quidem memorant, at fere numquam definiunt a quonam sint pronuntianda et etiam ubi affirmant ea danda esse a sacris missae sollemnis ministris vel a ministro missae privatae, id tamen non ita faciunt ut excludatur populus. Sic, v. g., psalmus *Iudica me* in principio missae alternatim recitandus dicitur a celebrante et a ministris sacris, vel a celebrante et a ministro uno missae privatae, invocatio *Kyrie eleison* in missa sollemni alternatim a celebrante et a ministris; diacono post pronuntiatum in missa sollemni titulum evangelii respondendum est a ministris (ab acolythis): *Gloria tibi Domine*, celebranti missae privatae a ministro: *Sed libera nos a malo* in fine orationis dominicae. At etiam tribus locis quibus memoratur fidelium pars in respondendi munere, hoc tamen praesertim ad ministros pertinere perspicue significatur. Rubricae videlicet *Ritus servandi in celebratione missae* et *Ordinis missae* ipsius celebrantis huiusque ministrorum officium describunt; munus vero cantorum, scholae, fidelium obiter tantum memorant, ubi ratio specialis id postulat. Nulla igitur rubrica populum e munere respondendi etiam in missa privata excludit, plures e contrario eum illius officii participem demonstrant.

---

(23) Ibid., t. VII, 7: « Et responso a ministro vel a circumstantibus: « Suscipiat Dominus »....

(24) « Minister seu circumstantes respondent »....

Rursus nulla rubrica populum celebrantis socium constituit in recitandis ceteris missae formulis, puta hymnum *Gloria in excelsis*, vel symbolum Constantinopolitanum.

D. Efficientius et verius cum celebrante missam concelebrat qui per totam missae celebrationem illi respondet, quam qui cum eo quasdam formulas recitat ad partem dumtaxat non sacramentalem missae pertinentes. E duabus igitur rationibus missam dialogandi prior, seu facultas populo facta celebranti respondendi, longe principalior apparet.

E. Ultimum denique quoddam discrimen inter duas istas rationes in hoc situm est quod munus respondendi multo facilius et a quibuslibet fidelibus, etiam latinae linguae ignaris, praestatur, minora incommoda ipsi celebranti generat, ceteros sacerdotes eodem tempore et loco celebrantes non tam cito perturbare potest, multo denique minus ipsorum fidelium molestiae, taedio ac satietati obnoxium est.

Ex iis quae diximus, liquet, ni fallimur, quantum iuvare debeat in constituendo communi quodam ac legitimo missae dialogatae ritu distinctio duarum rationum dialogandi quam ultimum responsum S. Congregationis Rituum tam clare statuit.

Quamvis tamen utilis ac iusta sit distinctio ista, eam non sic intellegere debemus, tanquam ritus missae dialogatae duobus quasi fundamentis nitatur. Unum videlicet totius institutionis principium in hoc tantum situm est quod quaelibet missa, sive sollemnis est, sive privata, veram quandam synaxim constituit seu conventus quidam est in quo fideles Ecclesiae catholicae communi atque hierarchica actione Deo secundum certam definitamque normam debitum cultum exhibent.

Talis est certe missa sollemnis.

Missa sollemnis videlicet non est dumtaxat ritus

in fidelium conventu perficiendus sed est etiam conventus in quo ritus iste agitur, sicut contio, v. g., non est tantum oratio quae in populi congressu pronuntiatur sed etiam populi congressus in quo ad eum oratio habetur. Conventum namque appellamus eorum coetum qui communi consilio seu e conspiratione quadam convenerunt.

Ritum autem missae sollemnis et conventum fidelium unum quid efficere eo manifestum fit quod ille ritus cum conventu aliquo perficiendus ipsa eorum celebrationis ratione constanter exhibetur. Etenim salutationes ac cohortationes celebrantis et monitiones diaconi semper plures fideles respiciunt eosque non solum praesentes sed in unum congregatos; orationes, praeter paucas privatas preces (quales sunt, v. g., illae quae communionem celebrantis antecedunt) omnes et singulas pro praesenti quadam communitate pronuntiantur; lectiones et cantus ratione sua non congruunt nisi cum frequentiore audientium coetu; complura verba in canone vel in aliis orationibus passim occurentia, ut puta: « Hanc oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae », « Nos servi tui sed et plebs tua sancta », « Praesta familiae », « Respice familiam tuam », vel « populum tuum », « Preces populi tui exaudi », etc., imprimis ad fideles qui missae intersint, manifeste spectant.

Idemque demonstrat tonus vocis a celebrante adhibendus, qui fere omnia quae sui muneris propria sunt, canendo pronuntiat (25).

Itaque iam hac ratione fideles qui missae sollemni intersunt, etiam si in ipsis eius ritibus perficiendis nullam partem haberent, nihilo minus eius actores existimandi essent, quoniam, ut diximus, missa non in

(25) *Rubricae generales missalis*, t. XVI, 3.

istis dumtaxat sollemniis consistit, sed etiam adstantium conventum complectitur.

Verum tamen missa sollemnis non solum ritum quendam sacrum et fidelium conventum in unum coniungit, sed eos tali ratione componit, ut ritus iste communiter ab omnibus in conventu praesentibus praestandus sit.

Etenim fideles qui missae intersunt, ipsa hac praesentia peculiari omnino ratione eucharisticae oblationis participes sunt, seu per sacerdotem consecrantem atque offerentem ipsi, praecipua quadam efficientia, corpus et sanguinem Christi Deo offerunt. Eorum praesentia videlicet activa omnino est atque efficiens. Simili porro modo in ceteris oblationibus, ut puta panis, vini, turis et in omnibus ritibus ac precibus quae in missa per sacerdotis ministerium aguntur, peculiarem societatem fideles praesentes habent.

Illam autem societatem ac communicationem idoneis signis manifestant adstantes, genua flectendo, corpora vel capita inclinando, modo stando modo sedendo, sese signo crucis signando, etc. Eorum est praeterea lectionibus scripturae sacrae, quae sua causa recitantur, sedentes vel stantes attente aures praebere; eorum quoque, ad normam novae vel innovatae cuiusdam institutionis, supplicationes *Kyrie eleison* et *Agnus Dei,* hymnos *Gloria in excelsis* et *Sanctus*, symbolum fidei una cum cantoribus concinere; eorum denique, celebrantis salutationes atque hortationes, diaconi monitiones non excipere tantum, sed iis statis formulis respondere.

At praesertim ad eos pertinet sese sacri ritus socios simul efficere et demonstrare, cum tempore communionis ad divina mysteria accedunt.

Nemo namque existimabit recitationem sacrarum scripturarum qua in missa sollemni funguntur ministri sacri, vel cantum psalmorum quem exsequuntur cantorum schola et populus meras esse caeremonias ac-

tioni missae ornatus causa adiectas. Illa enim recitatio, ille cantus ipsius missae partes sunt; immo si his in rebus munus ministrorum, cantorum, atque etiam populi cum officio celebrantis (qui in missa sollemni sacras lectiones et cantus omnes submissa voce recitare iubetur) (26) conferatur, hoc sine dubio secundarium, illud praecipuum declarandum est.

Qui igitur istam missae sollemnis naturam consideraverit, facile quoque intelleget cur plures Romani Pontifices tanta cura authentici cantus gregoriani instaurationem persecuti sint; in cantu namque liturgico partes suas agendo fideles efficacissime sacris mysteriis et publicae ac sollemni Ecclesiae precationi communicant et proinde procurandum est ut christianus populus, liturgico spiritu imbutus, ubi nondum assuevit, psalmodiam sacram et supplicationes publicas communiter concinendo, participare assuescat (27).

At non solum hodierni missae ritus demonstrant eam esse synaxim sed idem manifestum facit tota eius historia.

Ipsae evangeliorum narrationes et cetera documenta antiquissima quae ad eucharistiam pertinent ostendunt eam non solum in conventu fuisse celebrandam sed omnes fideles in isto conventu praesentes suam

---

(26) Ibid.: « Alia quae in missa privata dicuntur clara voce, in missa sollemni a celebrante dicuntur submissa voce ».

(27) Pius X, Motu proprio de Musica Sacra, 22 Nov. 1903; *Inter pastoralis,* et *Instructio de Musica Sacra* ipsi chirographo adnexa, c. II, n. 3: « si procuri di restituire il canto gregoriano nell'uso del popolo, affinchè i fedeli prendano di nuovo parte più attiva nell'officiatura ecclesiastica, come anticamente solevasi », in *Acta Sanctae Sedis,* 36 (1903-1904), pp. 331; 333; et inter *Decreta authentica S. C. Rituum,* n. 4121, Vol. VI, Appendix I, pp. 31; 33. Pius XI, *Litterae ad Cardinalem Bisleti,* De conventu consociationis a S. V. Caecilia decimo quarto, *Acta Apostolicae Sedis,* 20 (1928), p. 139: « quid denique agendum ut christianus populus liturgico spiritu interius imbutus, ubi nondum assuevit, sacra communiter concinendo participet »; Constitutio *Divini cultus,* 20 dec. 1928, *Acta Apostolicae Sedis,* 21 (1929), p. 35: « propterea quod populus christianus, liturgico sensu altius imbutus et eucharisticum ritum et psalmodiam sacram et supplicationes publicas participare impensius consuevit ».

quemque partem in sacris ritibus perficiendis habuisse. Quod facilius intelleget qui meminerit primis Ecclesiae temporibus eucharistiam constanter cum cena quadam fuisse coniungendam, quae ritus complures sibi adnexos habebat.

Sic S. Paulus in 1 ad Corinthios instanter significat eucharistiam in conventu fuisse celebrandam: « Non in melius, inquit, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam... Convenientibus ergo vobis in ecclesiam ... Itaque fratres mei, cum convenitis... », ipsum autem ritum tamquam commune omnium praesentium opus exhibet (28).

Cum hac descriptione concordat narratio *Actuum apostolorum* (29) de fractione panis ab apostolo in itinere Hierosolymitano Troade celebrata, praeceptum *Didaches* (30): « Die dominica autem convenientes frangite panem », et relatio Plinii Iunioris ad Traianum (31): « Adfirmabant autem (christiani) hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris quod essent soliti stato die ante lucem convenire... Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursus coeundi ad capiendum cibum ».

Etenim in conventu quoque et a conventu agendus erat ritus quem Iudaei dispersionis singulis sabbatis in suis synagogis celebrabant, christiani vero exemplum S. Pauli sequentes, retinuerant et in usum suum converterant (32).

Nihil igitur mirum quod missa quae coniunctione eucharistiae et ritus synagogalis orta est, naturam synaxeos a principio habuit semperque servavit.

Vivam antiqui conventus dominicalis imaginem

---

(28) *I Cor.*, 11, 17-34.

(29) *Act. apost.*, 20, 7-12.

(30) C. 14, edit. F. X. Funk, *Doctrina duodecim apostolorum*, p. 42.

(31) *Epistula ad Traianum* 96, edit. R. C. Kukula, 1908, p. 309.

(32) Praecipuum argumentum huius affirmationis in perfecta prioris partis missae et conventus synagogalis similitudine situm est.

praebet S. Iustinus Martyr (16317) in *Apologia* sua I[a] (33):

> Ac solis qui dicitur die omnium qui in urbibus aut in agris degunt, in eundem locum conventus fit... Postea (id est post apostolorum vel prophetarum recitationem) consurgimus communiter omnes et preces fundimus... (Cum ille qui praeest seu celebrans gratias agere desiit) populus fauste acclamat dicens: Amen, et distributio ac participatio eorum in quibus gratiae actae sunt, unicuique fit.

S. Augustinus (431) vero paucis verbis memorat fideles cum missae intersunt, ipsos per sacerdotem celebrantem sacrificium eucharisticum offerre (34):

> Sic enim sunt illae (feminae a Visigothis in Italia et in Hispania captae) in terra captivitatis suae, quomodo erant illi (Azarias et eius socii) in ea terra ubi nec sacrificare more suo poterant Domino, sicut nec istae possunt vel ferre oblationem ad altare Dei vel invenire ibi sacerdotem per quem offerant Deo.

Necessitatem quoque missam omnem in conventu celebrandi demonstrant nomina quae illi indita sunt, et in primis ipsum nomen *missae* quod iam in scriptis S. Ambrosii (397) (35) et S. Innocentii I (417) (36) legitur. *Missa* enim idem est quod *missio* adeoque dimissionem significat et inde, mutatis verbis seu metonymice, ipsam rem quae dimittitur, seu fidelium conventum. Etiam clarius est, licet minus frequens fuerit, nomen *collectae* quod aliud non est quam forma latina nominis *synaxis* in Oriente graeco olim usitatissimi. Constans est usus vocis collectae, v. g., in Actis proconsularibus sanctorum martyrum Saturnini

(33) *I Apologia*, c. 67, edit. Otto, t. I, p. 184.

(34) Epistula 1.., *Ad victorianum presbyterum*, 8, PL 33, 426.

(35) *Epistula ad Marcellinam sororem suam*, Epistularum l. I, 20, 4-5, *PL* 16, 995; *Sermones hactenus s. Ambrosio ascripti*, Sermo XXV, 5, *PL* 17, 656.

(36) Epistula 17, *Ad episcopos et diaconos Macedones*, 5, *PL* 20, 535. Idem nomen adhibetur etiam a s. Leone Magno (462), Epistula 9, *Ad Dioscorum Alexandrinum episcopum*, 2, PL 54, 627.

et sociorum, qui nimirum accusati erant quod contra interdictum imperatorum et caesarum collectas egerant, idque etiam integre, id est, ut videtur, una cum presbytero qui eucharistiam conficeret (37). Occurrit praeterea in iisdem actis verbum *celebrare* quo etiam fidelium opera in conventu sacro significetur. Haec porro vox non affirmabat tantum illos missae frequenter adfuisse sed etiam in isto conventu sollemnem quendam ritum una perfecisse. Talis certe est apud scriptores classicos sensus verbi, talisque fuit etiam inter christianos, quoniam etiam de singulis missae adstantibus usurpabatur et pro eo saepe vox *facere* adhibebatur. Ita in iisdem actis S. Saturnini eiusque sociorum, Dativus senator interrogatus a iudice num collectas fecisset, respondent se ad collectas supervenisse et dominicum cum fratribus congrua devotione celebrasse. Idem respondent Victoria et Ampelius (« feci collectas, dominicum celebravi ») (38). Similemque dicendi rationem ostendit etiam epistula quaedam S. Gregorii Magni (604) (39):

> Quoniam vero ecclesia S. Pancratii, quae erat commissa presbyteris, frequenter neglectum habuisse cognovimus, ita ut venientes dominico die populi missarum sollemnia celebraturi, non invento presbytero, murmurantes redirent...

Etiam partes quae olim fidelibus in sollemni missae celebratione concessae erant, manifestum faciunt eam veram semper fuisse synaxim.

Constans enim fuit consuetudo eaque saepenumero in documentis significata ut celebrantis vel diaconi salutationibus et monitionibus (etiam in initio praefa-

---

(37) *Actus proconsulares ss. martyrum Saturnini et sociorum, Acta Sanctorum,* ad d. 11 febr., nn. 3, 6, 9, 11, 12, 17, 19, pp. 515 ss.

(38) In locis supra indicatis.

(39) *Ad Maurum abbatem,* Epistularum lib. IV, ep. 18, *PL* 77, 687 A. P. de Goussanville in sua editione operum s. Gregorii (Parisiis, 1675), in locum vocis *celebraturi* verbum *audituri* contra fidem omnium manuscriptorum codicum substituerat.

tionis) populus responderet, orationes vero principales (etiam canonem) voce *Amen* concluderet (40). Supplicatio *Kyrie eleison,* cum primum a S. Gregorio Magno (590-604) instituta est (41), a clericis dicenda fuit et a populo respondenda, quamquam postea, saltem a saeculo IX usque ad recentem aetatem, tota a cantoribus et a schola cani solita fuit (42). Etiam hortationi *Orate fratres,* cuius usus saeculo IX institutus esse videtur, a principio adstantium fidelium munus fuit respondere et ista consuetudo hoc modo usque ad praesens tempus perseveravit quod in missa privata saltem circumstantes, id est fideles altaris viciniores, formulam *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis,* etc., recitare possunt una cum ministro (43).

Hymnus *Sanctus* quoque diu fuit a populo una cum celebrante et toto praesenti clero canendus. Refert enim *Liber pontificalis* in vita Xysti I (115-125), cui institutionem istius cantus adscribit: (44)

> Constituit ut intra actionem sacerdos incipiens, populo hymnum decantare Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus sabaoth.

In *Breviario* vero *ecclesiastici ordinis* cantus hymni hac ratione describitur: (45)

---

(40) G. Nickl, *Der Anteil des Volkes an der Messliturgie im Frankenreiche von Chlodwig bis Karl den Grossen,* 1930, p. 8-14; J. B. Ferreres, *Historia del misal romano,* 1929, p. 51-52; 96-101; 134; etc.

(41) *Ad Ioannem Syracusanum,* Epist. lib. IX, ep. 12, *PL* 77, 956 BC.

(42) G. Nickl, o. c., p. 16-19.

(43) Historia huius hortationis nondum scripta est. Plura documenta reperies apud Martène, *De antiquis ecclesiae ritibus,* l. I, c. 4, art. 12, edit. Antverpiensis, t. I, p. 166-249; A. Ebner, *Quellen und Forschungen zur Geschichte und Kunstgeschichte des Missale Romanum,* 1896; J. B. Ferreres, o. c.; etc. Unum ex antiquioribus documentis edidit V. Leroquais, *L'Ordo missae du sacramentaire d'Amiens,* in *Ephemerides liturgicae,* 41 (1927), p. 442.

(44) Edit. L. *Duchesne,* I, p. 128.

(45) Edit. C. Silva-Tarouca, *Giovanni « Archicantor » di S. Pietro e l' « Ordo romanus » da lui composto (anno 680),* Atti della Pont. Accademia Romana di Archeologia (Serie III), Memorie, Vol. I, parte I, *Miscellanea G. B. De Rossi* (Parte prima), p. 198 a. Cfr. *Capitulare ecclesiastici ordinis,* ibid., p. 199 b.

> Cum autem pervenerit (celebrans) ut dicat: « Subplici confessione dicentes: Sanctus », inclinent iterum diaconi et clerus cum omni populo proclamantibus vero cum magna reverentia et tremore: « Sanctus ».

Et in *Admonitione generali* iussu Caroli Magni (46) edita (789), n. 70, constitutum est:

> Ut episcopi diligenter discutiant per suas parrochias presbyteros... ut « Gloria Patri » cum omni honore apud omnes cantetur; et ipse sacerdos cum sanctis angelis et populo Dei communi voce « Sanctus, sanctus, sanctus » decantet.

Alia documenta similia praescribunt (47).

Denique etiam supplicatio *Agnus Dei* per plura saecula a populo una cum clero canenda fuit. Narratur enim in *Libro Pontificali* ubi opera Sergii I (687-701) percensentur (48):

> Hic statuit ut tempore confractionis dominici corporis « Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis » a clero et populo decantetur.

Qui mos fortasse usque ad saeculum VIII perseveravit (49).

Fideles vero in ceteris cantibus missae ullam unquam partem ante recentissimam aetatem iure habuisse nobis valde dubium videtur. Fortasse partem suam egerunt in canendis antiphonatim psalmis quandiu hi eo modo ad introitum et post communionem in usu fuerunt (50). Certe saeculo IX neque hymnus angeli-

---

(46) Edit. A. Boretius, M. G. H, *Capitularia Regum Francorum*, I, p. 59.

(47) V. g , *Ansegisi Capitularium*, l. I, n. 66, ibid., p. 403; *Capitulare Herardi Turonensis* (s. IX), c. 18, Harduinus, *Collectio Conciliorum*, V, p. 451.

(48) Edit. L. Duchesne, I, p. 376.

(49) G. Nickl, *Der Anteil des Volkes*, pp. 23-24.

(50) V. v. g. *Liber Pontificalis, Vita s. Caelestini* (422-432), edit. L. Duchesne, I, p. 230; de qua tamen notandum est voces « antephanatim ab omnibus » in priore editione *Libri Pontificalis*, ut videtur, defuisse. L. Duchesne, t. I, p. 88-89. Ceterum totus locus valde obscurus est atque incertus. V. etiam S. Leo I (461), Sermo III, *De Natali ipsius*, *PL* 54, 145 A.

cus neque symbolum, neque ullus e cantibus psalmodicis a fidelibus canebatur (51).

Denique, in antiquitate sicut hodie, semper fuit fidelibus plena facultas intimam ac manifestam sacri missae ritus societatem sibi eucharistica communione comparandi.

At haec omnia optimo iure dicta sint de missa sollemni. Verum valentne etiam de missa privata? Dubium nobis non est quin omnino valeant seu certum habemus missam privatam non minus quam sollemnem natura sua synaxim esse.

Omissis in praesentia aliis significationibus quas nomen missae privatae olim certe habuit (52), hodie missa duobus modis privata appellari potest. Privata primum est missa omnis quae sollemnis non est neque cantata adeoque etiam lecta vocari solet. Sollemnis autem est missa quae cum ministris sacris (id est saltem cum diacono et subdiacono), cum cantibus ac turificationibus et, nisi rubricae id prohibeant, cum ritu pacis ante communionem celebratur. Missa vero cantata a sollemni hoc tantum differt quod sine ministris sacris et sine ritu pacis perficitur. Altero sensu missa privata est omnis missa quae specialiter publica non est. Specialiter publica vocari potest missa cuius celebratio ob rationem generalem seu communem ab Ecclesia praecepta est; eo modo publica est omnis missa conventualis omnisque missa paroecialis seu « pro populo » celebranda, sive istae missae sollemniter aguntur sive secus (53).

Iam vero quocumque sensu vox privata accipitur,

---

(51) G. Nickl, *Der Anteil des Volkes*, p. 15, 21-22; J. B. Ferreres, *Historia del misal romano*, p. 90, ss.

(52) V., v. g., S. R. Bellarminus, *Controversiarum tomus III, De missa*, lib. VI, c. 9, De missis privatis, edit. Neapol. prima 1858 iuxta Venet. 1721, p. 540-543.

(53) Cfr. M. de Antonana C. M. F., *Manual de Liturgia sagrada*, edit. 4, t. I, 1930, p. 231-234; 242-256.

liquet rationem propriam missae privatae nullo pacto in eo sitam esse quod minor sit illius coniunctio cum coetu adstantium fidelium. A publica namque missa privata ob *causam* dumtaxat suae celebrationis, nequaquam vero ob huius *modum* discrepat, cum inter sollemnem et lectam totum discrimen in hoc consistat quod in missa lecta desunt ministri sacri et cantores et proinde necesse est ipse celebrans sacras lectiones et carmina, non canendo sed recitando, pronuntiet et quod semper omittuntur turificationes et pacis amplexus. Quae discrimina sane ipsam naturam missae non attingunt.

Ceterum quo unquam documento significavit Ecclesia se aliquid plane novum et a natura missae sollemnis diversum instituere voluisse cum missarum lectarum consuetudinem sancivit? Contrarium potius clare definire dicenda est, cum praecipit ut omnes ritus omnesque formulae missae sollemnis integrae in missa privata serventur, in primis ii ritus ac formulae quae naturam synaxalem missae manifestam faciunt, ut puta salutationes atque hortationes, earumque responsa quae omnia semper numero plurali sunt exprimenda: « Dominus vobiscum », « Orate fratres », « Habemus ad Dominum », etc.

Idem significat rubrica illa generalis quae praescribit ut in illa missa privata celebrans ea cuncta clara voce pronuntiet quae in missa sollemni ipse, ministri sacri, cantores, schola, vel populus canere consueverunt, in missa vero privata celebrans pro illis recitare debet, et praeterea antiphonam et psalmum *Introibo* ad introitum, confessionem et quae hanc sequuntur (praeter orationes *Aufer a nobis* et Oramus te), verba *Orate fratres, Nobis quoque peccatoribus* et *Domine non sum dignus*, et ultimum evangelium (54).

(54) *Rubricae generales missalis*, t. XVI, 1-2.

Quae autem clara voce dicenda sunt maxime curare debet sacerdos ut ea distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit, nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quae et devotionem moveat et audientibus ita sit accommodata ut quae leguntur intellegant. Quae vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet ut et ipse se audiat et a circumstantibus non audiatur.

Etenim minutae istae praescriptiones valde inutiles essent si perfunctio missae ad celebrantem tantum et ad eius ministrum pertineret, fideles vero illi non communiter sed pro se quisque interesse possent, neque ullam societatem in eius actione, ne per praesentiam suam quidem, haberent, sed animis suis dumtaxat devote ritibus a celebrante et a ministro eius gestis assentiri possent. Ad hoc enim minime necessarium est ut vox celebrantis in eorum auribus resonet!

Huc quoque spectant rubricae quae tribus in missae locis illis qui intersunt seu circumstantibus facultatem faciunt celebranti respondendi, videlicet in confessione, in supplicatione *Kyrie eleison* et in hortatione *Orate fratres* (55).

Quod autem circumstantes in missis privatis semper genua flectere iubentur (56) nequaquam affirmationi nostrae adversatur, quoniam liquet etiam ministrum nisi cum « actu » servit eundem situm tenere debere. Ceterum nonne etiam celebrans per totam missam eodem modo stare debet?

---

(55) V. supra.

(56) *Rubricae generales missalis*, t. XVII, 2. « Circumstantes in missis privatis semper genua flectant, etiam tempore paschali, praeterquam dum legitur evangelium ».

Denique non minor certe est communionis eucharisticae significatio in missa privata quam in sollemni, sed veram ac manifestam celebrantis et omnium communicantium in iisdem sacris ritibus agendis haud dubie demonstrat.

Porro non in praesenti Ecclesiae disciplina dumtaxat sed etiam in pristina missa privata, modo non fuerit plane solitaria, semper vera synaxis aestimata est.

Talis missae exemplum sit illa quam respiciebat Tertullianus cum scribebat (57):

> Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica celebrabimus ? ... Si colligere interdiu non potes, habes noctem, luce Christi luminosa adversus eam Non potes discurrere per singulos : sit tibi et in tribus ecclesia.

Ad eandem celebrationis rationem pertinebant missae quae in domibus privatis agebantur. Eas praeter alios iam memorant Paulinus Diaconus in vita S. Ambrosii (58) et S. Augustinus (59).

Constitutionem synaxalem etiam in missis privatis integram servare certe volebant decreta illa, saeculo IX a synodis et ab episcopis iterum atque iterum interposita, quibus sacerdotes soli missam celebrare vetabantur (60). Illuc quoque tendebat sententia concilii Basileensis (1431-1437) qua inter alios abusus condemnabatur consuetudo missam privatam « nimis basse » celebrandi, ita ut a circumstantibus audiri non posset, et « quod, missa etiam privata sine ministro... dicitur » (61). Idemque Patribus Tridentinis curae

---

(57) *De fuga in persecutione*, 14, *PL* 2, p. 119-120.

(58) *Vita sancti Ambrosii ad B. Augustinum conscripta*, 10, PL 14, 30 BC.

(59) *De civitate Dei*, l. 22, c. 8, 6, *PL* 41, 764.

(60) *Fungiturne minister missae privatae diaconi et subdiaconi vicibus ?* in *Ephemerides liturgicae*, 48 (1934), p. 406-412.

(61) Sess. XXI (fer. V, 9 iunii 1435), c. 8, Mansi, 29, 107 CD.

fuit qui cum iussu Concilii decreta contra diversos abusus ferenda pararent, de missa privata hoc decretum redegerunt (62).

> Item missa privata non dicatur, nisi utrimque candelae accendantur et ad minimum duo adsint auditores.

Neque desunt rationes existimandi canone 813 Codicis iuris in primis necessitatem inculcari synaxim etiam in missa privata sartam tectam praestandi (63).

Quaenam autem fuerunt olim partes fidelium in ipsis ritibus missae privatae agendis, quaenam in formulis eius pronuntiandis ?

Certe fatendum videtur e nullo documento constare fidelibus olim fas fuisse ea in missa privata una cum sacerdote celebrante recitare quae in missa sollemnibus canere poterant. Nec mirum, quoniam cum consuetudo missam privatim celebrandi invaluit, iam dudum fideles partem suam in cantibus missae sollemnis agere desierant (64).

Consueveratne saltem populus in missis lectis celebranti sicut in missa sollemni respondere? De hac re docent nos antiquiora decreta quae sacerdotes prohibebant quominus soli, id est nullo alio praesente celebrarent (65). Ex hac namque prohibitione seu ex norma sacerdotibus imposita saltem unum vel duos secum in singulis missis praesentes habendi deduci posse videtur quibuslibet missae adstantibus, etiam si plures erant, fas fuisse celebranti respondere.

Certe in ordine missae privatae a Ioanne Burckardo anno 1502 edito plura responsa ministro simul et « interessentibus », id est omnibus praesentibus, attribuuntur. Sic « interessentes » celebranti respondent vel

---

(62) *Concilii Tridentini Auctorum Pars V,* edit, St. Ensss, 1919, p. 918.

(63) Hoc demonstrare videtur historia decretorum munus ministri missae privatae spectantium.

(64) V. supra, p. 78*-81*.

(65) *Fungiturne minister missae privatae diaconi et subdiaconi vicibus?* in *Ephemerides liturgicae,* 48 (1934), p. 410-412.

respondere possunt una cum ministro vel etiam pro eo in psalmo *Iudica me Deus*, in confessione, in supplicatione *Kyrie eleison,* in hortatione *Orate fratres*, neque ulla ratio est existimandi cetera responsa non fuisse eodem modo pronuntianda, id est simul a ministro et ab « interessentibus », licet responsum *Sed libera nos a malo*, in fine orationis dominicae, et breves formulae *Deo gratias*, post lectiones, *Laus tibi Christe*, post evangelium, ministro tantum assignatae appareant (66).

Rursus multae missae privatae celebrabantur in quibus nullus praeter ipsum celebrantem communionem recipiebat sicque explicandum est cur tempore Concilii Tridentini nomine missae privatae talis missa designari solita fuerit in qua celebrans tantum communicaret (67).

Validissimo igitur fundamento nititur missa dialogata, quoniam perfecte cum natura missae congruit, prout haec, etiam cum privatim celebratur, semper est vera synaxis. Simul autem in hac perfecta congruentia suae exsecutionis regulam reperire potest. Omnis namque legitima in Ecclesia catholica synaxis necessario hierarchica est, seu ad hanc legem est ordinata quae unicuique suum adscribit.

Fidelium autem in synaxi praesentium ante omnia est ad illas formulas respondere quibus eos celebrans alloquitur, id autem aliter in missa sollemni aliter in missa privata, pro propria videlicet ratione utriusque

---

(66) *Ordo servandus per Sacerdotem in celebratione Misse sine cantu et sine ministris secundum ritum sancte Romane ecclesiae: et dici debent ex libro expedite: non tamen nimis festinanter: et fieri omnia ut iacent nihil obmisso: addito: aut in eis mutato: vel de ipsis minuto: et ordinem huiusmodi observant etiam summus Pontifex et domini Cardinales Patriarche: Archiepiscopi: et Episcopi: quando non celebrant pontificaliter sed in privato. Cum autem in pontificalibus celebrant: observant Cerimonias in pontificali et Cerimoniali positas* ». Nova ecit., J. W. Legg, *Tracts on the mass,* H. B. S., p. 119-178; altera F. Ravanat, Appendix ad *Ephemerides liturgicae,* 38 (1924).

(67) Sess. XXII, c. 6; can. 8. Denzinger, 944; 955.

celebrationis. Sic, in missa privata omnino cum conditione rerum convenire videtur ut fideles post ipsum celebrantem suam quoque confessionem faciant et eius hortationi ad orandum respondeant dicendo: « Suscipiat Dominus sacrificium », etc.

Iustum quoque est ut orationes suo nomine recitatas voce *Amen* concludant.

Ipsis rubricis praeterea illis iam concessum est ut alternis vocibus cum celebrante recitent supplicationem *Kyrie eleison*. Olim idem iis concessum erat facere in recitatione psalmi *Iudica me*.

Formulas autem *Deo gratias* et *Laus tibi Christe* lectionibus subiungere illis quoque permitti potest, quoniam lectiones officii canonici verbis *Deo gratias* a cunctis praesentibus concluduntur.

Utrum vero necne fideles possint in missa privata quasdam formulas una cum celebrante recitare et quaenam istae formulae esse possint, multo magis dubium est. Illam namque coniunctionis formam non postulat sicut ceteras, synaxis missae privatae. Ad normam porro *Instructionis* Pii X *de sacris musicis*, praeter melodias celebrantis et sacrorum ministrorum proprias, ceterae omnes cantus liturgici partes sunt chori levitarum propriae, horumque vices gerere possunt tantum probatae pietatis ac probitatis viri, quia exsecutio cantus liturgici liturgicum quoque officium est (68).

Constanti autem et antiquissimae traditioni Ecclesiae romanae adversaretur communis recitatio orationis dominicae. Hanc silentibus et audientibus ceteris omnibus recitat pro toto praesenti coetu solus celebrans. Qui utinam semper demonstraret se nobilis sui muneris plene conscium esse (69)!

---

(68) C. I, n. 1, *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum*, n. 4121, Vol. VI, Appendix I, p. 32.

(69) Cfr S. Gregorius Magnus (640), *Ad Ianuarium Syracusanum episcopum*, Epist., lib. IX, ep. 12, PL 77, 957: « Dominica oratio apud Graecos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote ». Quis autem contra tam venerandam traditionem facere velit?

Attamen quoniam in suis ecclesiis atque oratoriis etiam religiosae debitis cum cautionibus munus chori praestare possunt (70), supremae vero auctoritatis consilium in reformando cantu liturgico est ut fidelibus, viris ac feminis, facultas procuretur iustam aliquam partem etiam in cantibus missae coniuncte cum cantoribus suscipiendi (71); quoniam praeterea cum constitutione missae etiam privatae plane congruere videtur ut absentis chori munus excipiant una cum celebrante adstantes fideles, etiam cum natura missae concinere existimandum est consuetudinem ad quam fideles non solum celebranti respondeant sed cum illo etiam quaedam recitent.

Quaenam autem hae formulae esse debeant multo difficilius determinatur, quoniam nullo legitimo documento adhuc definitum sit quaenam sint partes populi in cantibus missae sollemnis. Normam aliquam suppeditat mos pro quo fideles alternis vocibus una cum cantoribus eas formulas canant quas complectitur libellus *Kyriale seu Ordinarium missae* inscriptus, id est *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus,* et *Agnus Dei.* Has igitur formulas etiam in missa privata una cum celebrante recitent, ubi hoc ad iudicium Ordinarii devote et sine incommodo fieri poterit. Quod tamen ad *Kyrie eleison* pertinet, convenientius est ut modo quem supra descripsimus, una cum ministro respondeatur. De recitatione tamen illarum formularum notandum est eam non plene cum earum cantu in missa sollemni convenire, quoniam in hac omnes alternis vocibus canendae sunt, immo quaedam, videlicet *Sanctus* et *Agnus Dei* sunt a cantoribus inchoandae.

---

(70) Decretum De Truxillo, 17 Sept. 1897, n. 3964, *Decreta authentica,* t. III, p. 334.

(71) V. acta Pii X et Pii XI quae supra memoravimus. Adde, quod ad cantum feminarum, ut pars populi sunt, pertinet, *Ordinationem* Em. Card. Respighi, Vic. Gener. S. S., 2 febr. 1912, c. I, n. 12; Angelopolitana, ad II, 17 ian. 1908, n. 4210, *Decreta authentica,* vol. VI, Append. I, p. 97.

Et proinde liquet principium quo affirmatur fideles posse recitare in missa privata ea quae in missa sollemni canere iure consueverunt, non esse sine discretione affirmandum neque sine prudentia exsequendum.

I. M. HANSSENS, S. I.

Actio Catholica in Republica Christiana

In numero praecedenti *Periodicorum* (1) dixi in Republica Christiana atque Catholica (quales tempore medii aevi erant saltem theoretice Regna Catholica), magistratus quoque temporales considerari posse ut organa, et quidem ut organa pretiosa, Corporis Christi Mystici.

Sunt, qui desiderent huius rei uberiorem quandam explicationem.

Ante omnia statuendum hanc ideam tempore scholasticorum sat communem fuisse. Iam in Concilio Parisino anni 829, post expositionem Episcoporum universalem Dei Ecclesiam unum esse Corpus cuius Caput sit Christus, statim additur illud Sanctae Dei Ecclesiae Corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem esse divisum, et hanc doctrinam a Sanctis Patribus fuisse acceptam (2). In opusculi *De Regno* lib. 3 cap. 17 statuitur: Imperatorum imperium ad exsequendum regimen fidelium secundum mandatum Summi Pontificis ordinari, ut merito dici possint ipsorum exsecutores esse cooperatores Dei ad gubernandum populum Christianum (3). Tota disputatio

---

(1) Cf. *Periodica* XXV (1936) p. 1*. ss.

(2) Conc. Paris. VI lib. 1 cap. 2 et 3: MANSI, *Sacr. Conc. nov. Coll.* XIV p. 537. Concil. habitum est iussu Ludov. Pii anno 829. Lib. III *ibid.* p. 574 ss. fuse agitur de officio principis Christiani.

(3) Cf. P. MANDONNET, *S. Thomae Aq. Opusc.* I, p. 417. Lib. III *De Regno* non est ipsius S. Thomae, sed continuatoris.

saeculi XIII et XIV inter theologos Curiae Romanae et regalistas supponit hunc conceptum. Dum regalistae dicebant in Corpore Mystico esse duo capita ministerialia, Papam scilicet et Imperatorem, theologi catholici defendebant unum tantum esse in Corpore Mystico Caput, Christum videlicet et eius Vicarium Petrum, Imperatorem autem considerabant velut organon, Christi Vicario seu Capiti Visibili subiectum, secundum alios directe, secundum alios indirecte tantum (4). Tum Corpus Iuris Canonici, tum S. Bellarminus, tum Suarez totam rempublicam Christianam, inclusa quoque civili potestate, sibi proponunt ut unum mysticum corpus, in quo potestas civilis et potestas spiritualis ad mentem S. Gregorii Nazianzeni sese habent ut corpus ad animam (5). In tractatu Suarezii *de lege humana et civili* vox *Ecclesiae* complexive regimen ecclesiasticum, et regimen civile comprehendit (6).

Dixerit quis: quomodo haec sese habent ad doctrinam Leonis XIII (7), Deum humani generis procurationem inter duas potestates partitum esse, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam; utramque in suo genere maximam; utramque habere certos, quibus contineatur, terminos eosque sua cuiusque natura causaque proxime definitos, unde aliquis velut orbis

---

(4) Cf. BONIF. VIII *Unam Sanctam:* Denzinger n. 468-469 cum nota. Vide notam sequentem.

(5) *Decr. Grat.* dist. 10, can. 6; BELLARM., *De translat. Imp. Rom.* I 12: ed. Nap. IV 2, p. 80; SUAREZ, *De legibus,* Lib. III, cap. 6, n. 5: ed. Vivès V, p. 193 et 194; GREG. NAZ., *Orat.* 17, 8-9: *MG* XXXV c. 975 coll. *Orat. II Apol.,* 3: *MG* XXXV c. 409. Vide etiam opusculum cit. not. 3 *De Regno* III, 10. ed. Mand. pag. 400, ubi ex comparatione corporis et animae deducitur potestas directa R. Pontificis in res temporales. « Sicut corpus per animam habet esse, virtutem et operationem, . .ita et temporalis iurisdictio principum per spiritualem Petri et successorum eius ».

(6) Cf. *De legibus* lib. III, cap. 6, n. 1: ed. Vivès p. 191; cap. 2, n. 4 vocat rempublicam *corpus quoddam mysticum.*

(7) Cf. LEO XIII, *Immortale Dei: ASS* XVIII (1885) p. 166, Denzinger n. 1866.

circumscribatur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur ?

Ad hanc quaestionem solvendam, duplex potest fieri consideratio, quarum altera historica est, proxime ad medium aevum spectans, altera theologica in omni valens suppositione Regni vere Christiani. Historica consideratio attendit ad partem, quam habuerit Ecclesia in condendis Regnis Christianis medio-aevalibus; theologica consideratio ad principia immutabilia dogmatica. Omissis historicis theologica tantum exponam.

Etiam in statu supernaturali, in quo gratia Redemptoris vivimus, nec finis nec objectum formale potestatis civilis est indolis religiosae et supernaturalis, sed unice versatur in ordine temporali et naturali (8). Distinguendum autem bene est inter magistratum qua personam et ipsam potestatem politicam qua talem. Magistratus catholicus qua persona potest omnes suos actus, ideoque etiam exercitium muneris politici, ad finem ultimum supernaturale referre; in munere suo fideliter implendo secundum legem Dei potest dare exemplum egregium suis subditis, et tale exemplum ut apostolatum supernaturalem intendere; et quia publica prosperitas est conditio aliqua haud spernenda, quo Regnum Christi facilius extendatur, in laboribus suis politicis qua Christianus potest directe prae oculis habere finem ipsius Ecclesiae.

Aliud autem est finis operis, aliud finis operantis. Licet homo Christianus edendo et bibendo possit respicere ad Gloriam Dei, tamen ipsa comestio qua comestio manet res naturalis, cuius finis directus est bonum corporis et cuius objectum formale est actio, quae ratione sui cum supernaturalitate nil habet commune. Idem prorsus erit dicendum de regimine politico.

Ex praedicto autem minime concludi potest, poli-

---

(8) Cf. Suarez, *De legibus* III, 12, 9: ed. Vivès V, p. 214.

teiam in republica Catholica nullo modo distingui a politeia in statu religiose indifferenti. Absit! Nam non unice spectandus est finis directus et obiectum formale, sed etiam finis indirectus, obiectum materiale et modus actionis. Et secundum haec tria elementa exoritur magna aliqua differentia. De quibus singulis breviter erit dicendum.

1⁰ Finis indirectus. — Finis directus politeiae est bonum temporale commune. Illud bonum temporale non causat bona supernaturalia huius vitae et multo minus bona aeterna supernaturalia, ideoque bonum temporale nulla ratione est finis quidam intermedius ad vitam aeternam consequendam. Ex altera parte tamen pax et iustitia socialis, immo etiam moderata quaedam prosperitas temporalis, sphaeram aliquam prosperrimam creat, in qua supernaturalia facilius appeti et attingi queant. Et hac de causa in politeia aliqua Christiana bonum regimen politicum viam sternit ad regimen saluberrimum supernaturale, cuius igitur potestas civilis vere Christiana indirecto modo rationem habere debet.

2⁰ Obiectum materiale. — Quod ad obiectum materiale actionis politicae spectat, notandum est in hoc ordine tale obiectum per accidens esse posse obiectum supernaturale. Dubitari nequit, quin respublica v. g. sese indifferentem habere non possit erga matrimonia civium. Dum autem respublica natura sua matrimonium spectat prout est contractus fluens ex ipsa hominis natura, a cuius stabilitate etiam salus ordinis socialis dependet, Ecclesia idem matrimonium spectat prout contractus ille iam natura sua quid religiosi continet (9), et praecipue prout a Christo elevatus

(9) In ordine mere naturali, et etiam in ordine supernaturali, quamdiu a Deo nondum instituta est societas aliqua supernaturalis, cui ex voluntate Dei speciali omnes res religiosae subiiciantur, matrimonium, etiam prout in se quid religiosi habet, Reipublicae est subiectum, quae subordinatio per accidens perseverare potest, v. g. ubi Christianismus nondum est praedicatus.

est in ordinem supernaturalem Sacramenti, figurantis unionem mysticam Christi et Ecclesiae. Et hac de causa Respublica vere Christiana, obiectum illud tractans prout habet aspectum quendam civilem, semper prae oculis habere debet leges Christi et iura Sponsae Christi circa idem obiectum prout est religiosum et in ordinem altiorem elevatum.

3⁰ Modus actionis. — Relate ad modum, quo Respublica Christiana actionem civilem et politicam exercet, tria puncta mihi videntur statuenda:

Prae ceteris notandum est etiam rempublicam qua talem debere religionem profiteri. Nam homo non tantum ut individuum, sed etiam ut ens politicum, omnino dependet a Deo, Eiusque benedictione indiget. Haud aliter ac agricola pro fertilitate agrorum, etiam regimen politicum pro salute publica eget auxilio Dei. Ubi igitur Respublica agnovit veritatem revelationis Christianae Christique religionem amplexa est, etiam secundum cultum huius religionis debet efflagitare per Christum Dominum nostrum adiutorium Sanctissimae Trinitatis, Eique gratias agere pro omnibus beneficiis publicis, et sic in exercitio muneris civilis bono exemplo praelucere subditis suis, ut et ipsi in suis muneribus temporalibus eodem religioso modo procedant.

Secundo loco bene prae oculis habendum est societatem in actione sua politica debere semper rationem ducere legis divinae, et consequenter Rempublicam Christianam in suo ordine nil facere posse, quin obsecundet severissime legibus Christi secundum Spiritum Novi Testamenti. Id autem respublica facere nequit, quin sese submittat magisterio Ecclesiae ut stellae rectrici, bene attendens, etiam in ordine naturali multas veritates religione Christiana clarius et infallibili certitudine esse propositas.

Tandem: ut respublica rem prosperam agere possit, vera religiositas et moralitas in populo adsit oportet.

Utraque directe et ratione sui subest auctoritati Ecclesiae. Sed finis ipsius societatis politicae ipsumque bonum naturale reipublicae exigit, non solum ut respublica ad moralitatem publicam attendat, quatenus eius laesio gravi nocumento esse possit bono communi, sed haud minus ut omnibus quibus potest mediis naturalibus Ecclesiam adiuvet, ut ipsa id efficere possit, quod etiam pro Republica est conditio, sine qua in vero flore esse nequeat. Nam quamquam media supernaturalia non causant bonum temporale, tamen id producunt, quo in hoc ordine causae sociales unice cum fructu salubri agere valeant.

Liceat praedicta omnia claritatis gratia exemplo simplici illustrare. Lege gratiae ars medicinalis in se nullo modo mutata est. Suas leges naturales habet, suos terminos quibus contineatur, ipsa natura proxime definitos. Sed quamquam medicina habet obiectum formale prorsus naturale e fine naturali, ipse tamen medicus in exercenda arte sua saluberrima debet intendere finem supernaturalem, apostolatum boni exempli, propagationem Regni Christi. Ipse quoque, qua homo Christianus, corporibus sanandis directe intendere potest fructus spirituales, qui saepius difficillime acquiruntur carne aegrotante et decadente. Sed et ipsum munus medicinale licet ratione sui non mutetur, tamen ratione finis indirecti, et obiecti materialis, et modi procedendi religione Christiana modificatur. Nam primo ipsa medicina in hoc ordine iuvare debet, ut in corpore sano mens sana officia supernaturalia facilius explere possit. Deinde medicina in hoc ordine indiget benedictione Christi et Ecclesiae; in multis debet sequi normas moralitatis Christianae; et haud raro debet patientes eo adducere, ut adhibeant media supernaturalia ad corporis sanitatem recuperandam, puta sinceram peccatorum confessionem vel Extremae Unctionis gratiam, ut de multiplicibus sacramentalibus taceam.

Tandem in hoc ordine aliquando medicinae est iudicare de rebus, quae etiam aspectum supernaturalem habent, v. g. de possibilitate ieiunii, de admissione ad statum religiosum vel clericalem, vel etiam de miraculis ad Sanctorum canonisationem propositis (10), quin tamen finis et obiectum formale medicinae terminos sibi a natura indicatos stricto sensu excedat.

Quae omnia si quis bene mente perspiciat, facile videbit, quomodo ex una parte in Regno vere Christiano politeia et regimen ecclesiasticum intima aliqua unione coniungantur, et respublica ita a spiritu Ecclesiae penetretur, ut salva maneat antiqua traditio de unico quodam Corpore Mystico, cum Ecclesiam tum Statum civilem complectente ; ex altera parte verba magistralia Leonis XIII de terminis definitis, quibus cum Respublica tum Ecclesia in sua quaeque provincia contineantur, intacta servari debeant.

Accedit autem et alia consideratio, in qua exponenda iterum ad medicinae exemplum confugio. Nemo nescit medicum saepe saepius ibi habere accessum, ubi sacerdotes difficillime intrare et munus suum salvificum exercere possint. Nil mirum Ecclesiam ut piam matrem, medicum, ut filius Ecclesiae est et charactere baptismali participat sacerdotium Christi, adire posse eumque rogare : « Visne obsecundare vocationi meae et mecum directe collaborare in missione mea apostolica, ubi sacerdotes mei repudiantur ? Visne ex mandato meo collaborare in omnium divinorum divinissimo ? » Quae cum ita sint, cur ad magistratus civiles ea applicari non possent ? Immo ulterius procedo et rogo, cur ea applicari non possent ad Rempublicam Christianam qua talem ? Est enim Respublica vere Christiana - de ea sola nobis est quaestio - persona

(10) Cf. *CIC* can. 2028, 2118, 2119. Vide etiam can. 1976 ss. de inspectione corporali.

aliqua moralis, quae publica et sociali professione fidei quodammodo baptizatur, quae agnitione legislationis Christianae et magisterii Ecclesiae etiam in sua actione politica quodammodo Spiritu Christi vivit, ideoque nexu quodam intimo ita coniungitur cum Corpore Christi, quod est Ecclesia, ut remotiori aliquo sensu membrum Corporis Christi nuncupari queat. Minime mihi repugnare videtur fieri posse, ut Ecclesia talem personam moralem suae missionis divinae participem faciat, quippe quae et aliis organisationibus socialibus canonicam missionem non denegat (11). Quid obstaret, ut v. g. in missionibus longinquis, sacerdotum numero deficiente, Ecclesia magistratus civiles qua tales ideoque ipsam rogaret Rempublicam, ut in instruenda iuventute indigena ex Ecclesiae solemni mandato id ex parte perficeret, quod Christus Ecclesiae munus severum imposuit? In tali casu ipsa Respublica non solummodo in modo agendi, sed in ipsa sua actione, organum speciale (12) Corporis Mystici fieret, quod in hac actione specifica directe Ecclesiae subesset. Qua subordinatione directa ipsa potestas civilis non in gradum inferiorem reiceretur, cum non agatur de obiecto formali ipsius potestatis politicae, sed potius in ordinem altiorem elevaretur et regimen altius participaret, cum servire Deo modo altiori et modo altiori regnare sit.

Dixerit quis, se minime negare decursu temporum respublicas aliquando munera excercuisse, quae per se spectarent ad praesules ecclesiasticos; res tales autem historice explicandas esse et nomine usurpationis esse qualificandas! Minime nego considerationi historicae

---

(11) In Actione Catholica non tantum personis physicis datur missio canonica sed etiam moralibus; etiam associationibus economico-socialibus: non in quantum praecise finem temporalem intendunt, sed quando et in quantum praeter finem socialem oeconomicum etiam bona religiosa membrorum promovenda curant.

(12) Quo sensu vox organi sit intelligenda, in sequenti numero *Periodicorum* exponam, ubi erit quaestio de relatione Actionis Catholicae et Hierarchiae.

in historia ecclesiastica suum deberi locum, sed theologice existimo considerationibus istis nil explicari. Nam Ecclesia vel non agnovit talem usurpationem vel eam toleravit. In primo casu agitur de subversione ordinis a Christo volito, et iam ruit suppositio facta de Regno vere Christiano. In altero casu ipsa possibilitas talis tolerantiae theologicum quoddam fundamentum habeat necesse est. Tale autem fundamentum nil aliud esse potest nisi quaedam participatio sive expressa sive tacita ipsius potestatis ecclesiasticae, quae subsistere nequit nisi ex mandato quodam canonico. Exemplum habes in potestate patriarchali. Negari nequit, patriarchas quosdam sibi attribuisse iura quedam, quae proprie spectabant ad Sedem Apostolicam, Ecclesiam autem pacis causa talem usurpationem tolerasse. Eo ipso autem, quod Ecclesia talia toleravit, iura ista patriarchalia, licet modo inhonesto vindicata, legitima reddita sunt. Fundamentum autem, cur talia legitima fieri possent, in eo erat, quod omnis potestas supra-episcopalis participatio quaedam est potestatis primatialis, qua Romanus Pontifex totam regit Ecclesiam, ex qua aliis communicat diversimode, prout id tempora et locorum conditiones postulant. Sicut autem agnitio alicuius potestatis supra-episcopalis ex parte Ecclesiae, necessario supponit, eam potestatem modo legitimo communicari posse: sic etiam agnitio tacita potestatis alicuius, a potestate civili usurpatae, necessario supponit, Ecclesiam talem potestatem reipublicae ut suo mandatario delegare posse (13). Et hac de causa minime omnis potestas spiritualis a potestatibus politicis decursu temporum exercita, necessario haberi debet ut usurpatio, sed agi potest et revera aliquando agitur de missione aliqua honorifica ab Ecclesia data, seu de

(13) Cf. F. Cappello S. I., *Summa Iuris publ. Eccl.* ed. 3, Romae (Pont. Univ. Gregor.) 1932 p. 344: « Status potest punire nomine Ecclesiae violationem legum ecclesiasticarum circa res spirituales. Dicitur *nomine Ecclesiae,* ideoque procul abest quaevis iniuria sive deordinatio ».

actione aliqua Catholica sensu strictissimo. Si omnes catholici vocari possunt ad Actionem Catholicam, certo certius etiam princeps catholicus, et respublica ei coniuncta ut corpus capiti.

* * *

Servire Christo regnare est. Et hac de causa nil honorabilius Principi vere Christiano, etiam quatenus Princeps est, quam famulari Sponsae Christi, quae est Ecclesia. Hoc iam olim claris verbis dictum est a Sancto Augustino, qui in capite 24 libri 5 *de Civitate Dei* (14) agens de vera felicitate principis Christiani, affirmat ipsos tunc summam felicitatis habituros, « si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilitandum Maiestati eius famulum faciant ». Et S. Gregorius Magnus eadem docet, ad Mauricium Augustum scribens (15) : « Ad hoc enim potestas super omnes homines dominorum meorum Pietati coelitus data est, ut qui bona appetunt iuventur, ut coelorum via largius pateat, ut terrestre regnum coelesti regno famuletur ». Quodsi Principes Christiani talem famulatum non dedignentur, sed ut S. Ludovicus multique alii (16) summam sibi gloriam reputent, modo supremo participabunt missionem apostolicam Ecclesiae, et praeter gloriam regalem, gloriam quoque sacerdotalem ita sibi vindicabunt, ut et de iis proferri queant verba honorifica, quae Leo Papa Magnus direxit ad Theodosium

(14) Augustin., De Civ. Dei, v. 25 : *ML* XLI c. 171.

(15) Greg. Magn., *Epist.* III, 65 : *ML* LXXVII c. 663.

(16) Rev.mus Dominus Mons. Costantini, olim Sinarum Delegatus Apostolicus, in oratione habita 31 Iun. 1933 haec dixit : « Primus Sinarum Apostolus, Ioannes Montecorvinus, anno 1305 scripsit, bonum Regem Georgium, ex haeresi Nestoriana conversum ad catholicismum, reduxisse ad veram fidem magnam populi sui partem, et deinde regali quadam magnificentia construxisse templum pulcherrimum in honorem SS. Trinitatis, eamque nuncupasse ecclesiam Romanam. Nonne ista dicenda sunt splendida Actio Catholica ? » Cf. *La Documentation Catholique* 1933 II p. 796.

Augustum (17): « Quantum praesidii Dominus Ecclesiae suae in fide Clementiae Vestrae praeparavit, his etiam litteris, quas ad me misistis, ostenditur, ut vobis non solum regium, sed etiam sacerdotalem inesse animum gaudeamus » (18).

SEB. TROMP, S. I.

QUAESITA VARIA

De Electione Superioris Generalis

Ut quis Superior Generalis in nostra Congregatione eligatur, Constitutiones nostrae, a Sede Apostolica approbatae, requirunt ut eligibilis duas tertias partes suffragiorum in tribus primis scrutiniis adipisci debeat. Si in tertio scrutinio nemo tot suffragia adeptus fuerit, quartum habendum est scrutinium in quo soli *duo* eligibiles vocem passivam habent qui in tertio scrutinio maiorem numerum suffragiorum acceperunt. In hoc quarto scrutinio si neuter duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, ille qui maioritatem absolutam, i. e. unum suffragium plus quam dimidiam partem suffragiorum adeptus est, superior generalis electus erit; quod si ambo suffragia aequalia adepti fuerint, electus habetur senior professione perpetua.

Quaeritur I - In tertio scrutinio *tres* eligibiles suffragiorum numerum aequalem adepti sunt, sc. 15-15-15. Quid faciendum ?

---

(17) LEO MAGN., *Epist.* 24: *ML* LIV c. 735.

(18) Quoad totam quaestionem conferas SUAREZ, *De legibus* III, 12, 9-11: ed. Vivès V, p. 214-215; S. BELLARM. *De translatione Imperii Romani* I, 12, ed. Nap. IV 2 p. 80-81; et F. CAPPELLO S. I., *Summa Iuris publ. Eccl.*, ed. 3, lib. II, cap. 3, art. 6, p. 328 ss.

II - In casu quo unus ex tribus supra enumeratis *postulatur,* an postulatus admittendus est ad quartum scrutinium ?

III - Si in *quarto* scrutinio suffragia adhuc aequalia pro tribus manserint, quid faciendum, cum Constitutiones postulent vel maioritatem absolutam, vel saltem dimidiam partem omnium suffragiorum ut quis eligatur ?

R. B. M.

Resp. ad I: Constitutiones duo requirunt: primo ut habeatur *quartum* scrutinium; secundo, ut tantum *duo* in hoc quarto scrutinio vocem passivam habeant. In casu nostro quartum scrutinium omnino habendum est, sed cum per accidens tres eligibiles suffragia aequalia adepti sint, omnes tres ad quartum scrutinium admittendi sunt.

Resp. ad II: Ante omnia tria principia generalia de postulatione hic recolenda sunt: *a* - Si postulatio cum electione concurrat, semper saltem duae tertiae partes suffragiorum requiruntur ut vim habeat (Can. 180, § 1); *b* - Quando postulatio cum electione concurrat ad normam can. 180, § 1, in tertio scrutinio eligibilis valide eligitur maioritate relativa, excluso postulato (Resp. Com. ad Cod. interpret. 1 iulii, 1922: *AAS* XIV (1922) p. 406); *c* - Si plures sint eligibiles in tertio scrutinio, inter eligendos valide eligitur qui obtinuit maioritatem relativam, excluso hoc quoque in casu postulato (Id. Resp. Com.).

In casu nostro Constitutiones *duos* tantum eligibiles ad quartum scrutinium admittunt. Postulatus igitur si sit unus ex *duobus*, admitti potest ad quartum scrutinium. Sed de facto est unus ex *tribus*, et cum alii duo *certum* ius ad quartum scrutinium habeant, postulatus vero tantum ius *conditionatum* (ut sc. duas tertias partes suffragiorum obtineat), hic probabilius a quarto scrutinio excludendus est. Postulatio

enim favore iuris non gaudet in electione religiosorum, nam tantum in casu extraordinario admitti potest (can. 507, § 3; cf. etiam Litteras circulares S. Cong. de Rel. die 9 martii, 1920, circa eiusdem personae repetitam electionem ad munus moderatricis generalis: *AAS* XII (1920) p. 365).

Resp. ad III: Secundum Constitutiones electio est nulla, cum nemo maioritatem absolutam, vel saltem dimidiam partem suffragiorum adeptus sit. Quid igitur faciendum? An *quintum* scrutinium tentandum? P. Creusen hoc affirmare videtur quando sine addito dicit: « Ius tamen particulare exigere potest ut, etiam in tertio scrutinio, eligendus partem absolute maiorem suffragiorum obtineat. Quo casu, inter electos renovatur scrutinium » (Vermeersch-Creusen, *Epitome I*, ed. 5, n. 298). Fortasse cl. Canonista his verbis tantum indicare vult S. Congregationem approbare Constitutiones in quibus post tria scrutinia inutilia, permittitur ut instituatur quartum, ut in casu nostro. Nunquam tamen potest esse quaestio de quinto scrutinio. Legislator enim modum procedendi iuris antiqui in hac re mutavit in novo Codice, « ut disceptationes in electionibus abbrevientur, quae saepe dissentiones generare possunt et discordias... Hinc existimavit legislator, post tria scrutinia, quando res satis examinata est et discussa, negotium esse omnino decidendum » (Ojetti, II, *De Personis*, p. 135). Eadem est sententia P. Vidal qui haec habet: « Criterium ergo Codicis hoc videtur esse, ut, sive agatur de electione sive de quolibet alio negotio, tertio actu collegiali legitimo res maneat decisa » (Wernz-Vidal, *De Personis*, p. 34).

Quae omnia in casu nostro ad quartum scrutinium in Constitutionibus concessum applicanda sunt. Nulla igitur potest esse quaestio de *quinto* scrutinio. Quid igitur faciendum?

Constitutiones cum iam casui nostro non provideant, ad normam can. 20 recurrendum est ad ius commune quod in can. 101, § 1 negotium decidendum esse maioritate *relativa* determinat: « quod si suffragia aequalia fuerint (nihil refert quot sint eligibiles qui suffragia aequalia habeant) et praeses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ». Constitutiones observandae sunt in quantum fieri potest, nam ipse canon 20 dicit: « nisi aliud iure... particulari statutum fuerit ». Praeses ergo in casu nostro paritatem dirimere non potest, cum Constitutiones explicite provideant ut *quartum* habeatur scrutinium ad hoc evitandum. Ergo senior professione perpetua inter tres eligibiles dicendus est electus, excluso semper postulato, si hic ad quartum scrutinium admissus fuerit.

ADAMUS ELLIS, S. J.

De Transitu ad aliam eiusdem Religionis Classem

Frater N., elapsis duobus annis cum dimidio in votis temporalibus religionis, ad servitium militare vocatus est in quo per integrum annum permansit. Servitio militari expleto, ad suam domum religiosam revertitur; sed superiores, eum qualitatibus intellectualibus necessariis pro clericis conspicientes destitutum, ad classem laicalem, ipso consentiente, redigere decernunt.

Quaeritur: - I An superioribus maioribus fas sit talem decernere transitum?

II - An *teneatur* transiens renovare vota temporalia ut ad novitiatum classis laicalis admittatur, vel potius possit transire sine votis, non obstante can. 542, 1°: « qui ... obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae », et Decreto *Inter Reliquas* circa renovationem votorum post militiam, itemque can. 577, § 1.

III - Quid de professione huiusmodi religiosi expleto novitiatu?

A. P. A. R.

Resp. ad I: Quamvis Codex de transitu religiosi ab una classe ad alteram eiusdem religionis nihil explicite dicat, possibilitas tamen huiusmodi transitus subest canoni 558 in quo dicitur novitiatum pro altera classe peractum, pro altera non valere. Superiores qui religiosos a votis temporariis dimittere, vel a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere possunt, etiam transitum ab una classe in aliam decernere possunt, secundum principium in R. 53, R. J. in VI⁰ statutum: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus ». Inhabilitas vero ad studia clericalia est causa iusta et rationabilis ad excludendum religiosum a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua (cf. can. 637 et 647); ergo et sufficientem rationem praebet superiori ut transitum religiosi a classe clericorum ad classem conversorum decernat. Religiosus enim qui post servitium militare expletum ad religionem revertitur in eodem fere statu est ac religiosus in fine triennii votorum temporalium. Ad eius casum explicite applicatur can. 637 in Responso die 15 iul. 1919 a S. Cong. de Religiosis dato.

Resp. ad II: Primum notandum est can. 542, 1⁰ nullam in nostro casu habere applicationem cum supponat *separationem* religiosi a religione in qua « obstringitur vel obstrictus fuit vinculo professionis religiosae ». Sed Frater noster a religione separatus non fuit, nam idem Responsum supra allatum explicite dicit: « perdurante militari servitio, alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat, sub auctoritate superiorum, qui de eo curam habere debent ».

Frater noster *iam est religiosus.* Religiosus vero sine votis manere non debet (can. 577, § 1). Quare

Decretum *Inter reliquas* praescribit N. II: « A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, *saltem ad annum*, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant »; et N. VI: « praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis... ad renovandam professionem temporariam admittantur ». Prima igitur obligatio Fratris nostri post servitium militare completum est repetere statum normalem religiosi, renovando sc. vota temporaria. Per accidens tunc, propter transitum ad aliam eiusdem religionis classem, novitiatum pro altera classe conversorum facere debet. Est igitur in conditione simili religioso qui votis ligatus ad aliam religionem transit, de quo can. 633: « Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis,... ipse obligatione tenetur superioribus... et ipsi novitiorum magistro parendi etiam ratione voti obedientiae ».

Resp. ad III: Anno novitiatus et votorum temporariorum transacto, Frater noster libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas et rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere.

Sed supponitur in casu Fratrem velle manere in religione, et Superiores velle eum in religione retinere. Qualis debet esse professio eius?

Cum iam ante servitium militare per duos annos cum dimidio in votis temporariis fuerit, et post servitium militare per annum completum, nullum est dubium quin triennium professionis temporariae a can. 574 § 1 ad perpetuam professionem requisitam compleverit; quare, nisi ius particulare longius tempus votorum temporaneorum postulaverit, Frater, si annum vigesimum primum expleverit, professionem perpetuam emittere potest. Superiores vero temporariam professionem prorogare possunt, non tamen ultra aliud triennium (can. 574, § 2).

ADAMUS ELLIS, S. J.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Actio Catholica et Hierarchia

In numero penultimo *Periodicorum* agens de Actione Catholica dixi pag. 24* Actionem Catholicam esse Hierarchiae *quodammodo insertam*, et apostolatum Actionis Catholicae aliquando nuncupari *Apostolatum Hierarchicum*. Hanc ultimam locutionem bene esse intelligendam, sensu analogico, non verum proprio. Addidi Hierarchiam et Actionem Catholicam aequo quidem tractu procurrere; minime vero ut res aequales, vel etiam ut res gradu quidem, non intrinsece diversas.

Variae mihi factae sunt interrogationes. Estne Actio Catholica participatio missionis hierarchiae? estne organon ecclesiasticum? estne pars hierarchiae? estne organon hierarchiae? est inserta in hierarchia? estne apostolatus hierarchicus? estne complementum hieraticum?

Ne in vanum erremus, et absque criterio solido locutiones istas diiudicemus, videndum quid Romanus Pontifex in litteris variis atque allocutionibus de relatione Actionis Catholicae ad Hierarchiam edixerit.

1 - Actio Catholica est essentialiter opus laicorum, prout laici contradistinguuntur cum a clero, tum a religiosis. Hac de causa associationes eius diriguntur a laicis, assistente tamen viro ecclesiastico.

2 - Actio Catholica inde ab Encyclica *Ubi Arcano* pertinet ad ministerium pastorale et vitam Christianam. Cf. CAVAGNA (1), pag. 7, 15, 22-23, 26, 49, 52, 415, XII. Immo est pars integrans ministerii sacerdotalis, pag. 45.

3 - Actio Catholica habet ut finem internum participationem ministerii sacerdotalis, pag. 283, ut finem externum et campum actionis eundem finem et campum ac Hierarchia Ecclesiastica, pag. 8, 214, 216, 248, 299, 391, 520, IV.

4 - Actio Catholica est collaboratio et cooperatio cum Hierarchia, pag. 8, 22, 49, 159, 214, 216, 248, 282, 306, 390, 415.

5 - Actio Catholica est participatio apostolatus Hierarchiae et ministerii sacerdotalis, pag. 8, 36, 39, 45, 49 (ter), 214, 222, 223, 248, 270, 283 (bis), 298, 343, 390, 414, 415, 520, II, V. Ista participatio est scopus et anima Actionis Catholicae, et debet eam penetrare in omni activitate, pag. 283. Ipsa efficit, ut omni alio apostolatu sociali sit superior, pag. 390. Est deinde participatio propriae ipsius missionis Ecclesiae, pag. 333, 343.

6 - Actio Catholica est apostolatus auxiliaris, quo debet adiuvari, nonnumquam etiam suppleri, tandem integraliter compleri apostolatus Hierarchiae, pag. 24, 36, 47, 49, 300, 316, 415, II.

7 - Actio Catholica est actio ex mandato Hierarchiae, a qua sola eadem Actio Catholica potest accipere mandatum suum et normas directivas, p. 415, 49, 133, VI. Inde est missio quaedam, pag. 415.

8 - Actio Catholica, utpote actio essentialiter religiosa, dependet ab Hierarchia, pag. 333; directe dependens est ab auctoritate ecclesiastica, pag. 343; Hierarchiam sibi habet ut centrum disciplinae, p. 343;

---

(1) Hic et in sequentibus lector adeat A. CAVAGNA, *Pio X e l'Azione Cattolica*, ed. 2. Romae.

est sub directione et disciplina Hierarchiae, pag. 45, 52, 299; subordinata est Hierarchiae, pag. 133; coordinata et subordinata est Hierarchiae, pag. VI; accipit normas directivas ab auctoritate ecclesiastica, pag. 415. Inde responsabilitas Hierarchiae cf. pag. 320.

9 - Actio Catholica non est in ordine theorico, sed in ordine practico exsecutionis, pag. 333, 343, 415. Non est in ordine theorico, quia accipit normas directivas ab auctoritate ecclesiastica, pag. 133, 415. Est in ordine practico, quia sese sistit ad dispositionem Hierarchiae, ut cum ea possit cooperari in defendendis, propagandis, practice applicandis principiis Christianis ad vitam individualem, domesticam, civilem, pag. 415, et in praeparanda actione propria sacerdotum, cf. infra pag. 70.

10 - Associationes Actionis Catholicae, licet apostolatum exerceant ex mandato et sub oboedientia Hierarchiae, a qua accipiunt normas directivas magis vel minus generales, minime tamen quoad modum exsecutionis propria carent responsabilitate. Non enim qui in ordine exsecutivo dirigunt associationes sunt clerici, sed sunt laici, assistente tantummodo viro ecclesiastico, cuius est communicare normas ab Episcopis datas, invigilare earum observantiam, dare consilia religiosa et moralia, praeparare et formare apostolos laicos, prae aliis ipsos dirigentes, cf. pag. 159. Brevi assistens ecclesiasticus est Angelus Custos Actionis Catholicae, pag. 249 et quasi medium inter Actionem Catholicam et Hierarchiam, pag. 133.

11 - Actio Catholica est organismus quidam, corpus organicum, ex variis organis compositum, pag. XIII, III, 172, 343. Organismus ille parallelus est organisationi Hierarchiae, pag. 133, XII, et extra quadrum Hierarchiae intellegi nequit, pag. 172. In specie directoria superiora A. C. sunt organa specialia, qualificata, immediata R. Pont. et Episcoporum, pag. 133.

Quibus praedictis ad responsionem quaestionum accedam.

1 — *Estne Actio Catholica participatio missionis Hierarchiae ?*

Ad hanc quaestionem, utpote maxime fundamentalem, paululum fusius mihi videtur respondendum.

Est Actio Catholica organisatio apostolica laicorum. Causa materialis huius associationis sunt laici. Forma physica est compositio et ordo, seu coniunctio sociorum prout inter se vinculis coordinationis et subordinationis sunt colligati. Illa autem forma physica exoritur ex forma metaphysica. Cum enim Actio Catholica sit organisatio quaedam finalistica, ratio autem et forma metaphysica eorum, quae sunt ad finem, desumi debeat ex fine, eius compositio a fine necessario est determinanda. Finis autem internus et forma metaphysica Actionis Catholicae est participatio apostolatus hierarchiae et ministerii sacerdotalis ad propagandum Regnum Christi. Exoritur autem illa participatio, quia Actio Catholica accipit mandatum apostolicum ab Ecclesia hierarchica in eum fere modum, quo Ecclesia hierarchica accipit mandatum apostolicum a Christo. Vide CAVAGNA, pag. 49.

Est autem participatio multiplex. Est participatio secundum partem et secundum virtutem; est participatio secundum esse proprium et secundum esse analogon seu secundum similitudinem quandam.

Ante omnia vero A. C. non est participatio secundum partem, sed secundum virtutem. Non enim Hierarchia cedit Actioni Catholicae partem sui apostolatus; sed Hierarchia ex plenitudine suae virtutis, quam a Christo accepit et quam semper in plenitudine retinet, virtutem limitatam suo modo communicat Actioni Catholicae.

Illa autem virtutis participatio non est secundum esse proprium, sed secundum similitudinem. Dum enim

missio Hierarchiae omne, quod iuridice est et habet, debet mandato ipsius Christi, quo misit divinitus Hierarchiam, eamque solam: Actio Catholica omne, quod iuridice est et habet, debet mandato ecclesiastico, quo ipsa mittitur ab Hierarchia fere in eum modum, quo Hierarchia missa est a Christo. Sicut igitur missio Hierarchiae est participatio immediata missionis Christi, sic missio Actionis Catholicae est participatio immediata missionis Ecclesiae. Cum autem omne id, quod secundum suum esse est participatio alterius, sese habet ad id, cuius est participatio, ut causatum ad causans, ut inferius ad superius, ut subditum ad regens, necessario sequitur, ut Actio Catholica Hierarchiae plene sit subiecta. Illa autem dependentia non est aliquid extrinsecum ipsius Actionis Catholicae, sed aliquid a quo sustentatur omnis eius esse iuridicum, et ideo Actio Catholica sese habet ratione missionis ad Hierarchiam eo modo, quo ens ab alio sese habet ad ens per se. Quare missio Hierarchiae et missio Actionis Catholicae praedicantur analogice. Et hac de causa Hierarchia et Actio Catholica in exercitio apostolatus non concurrunt ut res eiusdem ordinis, gradu solummodo inaequales, sed ut res intrinsece diversae.

Sed et aliud principium participationis considerandum est. Omne enim id quod participat, participat secundum capacitatem participantis. Sunt autem membra Actionis Catholicae laici, et ideo participatio ista numquam secum ferre potest, quod natura sua transcendat conditionem laici et soli Hierarchiae vere sit proprium. Hac de causa ista participatio non potest esse participatio ordinis; hac de causa illa participatio non potest esse in ordine directivo sive magisterii sive iurisdictionis; sed debet manere in ordine exsecutivo applicationis. Scilicet laicus omnes vires nervosque intendit, ut in praxi applicentur doctrinae et

leges ad vitam individualem, familiarem, socialem. Cum autem etiam in exsecutione apostolatus principaliora dependeant a potestate ordinis et iurisdictionis, Actio Catholica natura sua debet esse apostolatus, quod quasi viam sternit ad actiones, quae propriae sunt Hierarchiae, et hoc sensu complet apostolatum sacerdotalem. Est igitur natura sua apostolatus auxiliaris.

Dixerit quis: quae si ita sint, quid novi affert Actio Catholica apostolatui, qui laico imponitur eo ipso quod est membrum Corporis Christi? Respondeo: Primum Actio Catholica fit ex vocatione quadam speciali et mandato quodam particulari, quare habet decorem quendam et responsabilitatem sui generis. Deinde Actio Catholica est actio organizata, quae qua organizata sese sistit ad dispositionem Hierarchiae. Qui autem libere sese tali organisationi adscribit, debet eius leges observare, et sic obligari potest ad actiones apostolatus auxiliaris, ad quas per se minime teneretur. Accedit quod actio illa organica quodammodo parallele procedit cum actione Hierarchiae atque speciali modo ab ea dirigitur, ex qua habet specialem efficaciam. Deinde illi qui sese tradunt ut membra activa Actioni Catholicae in apostolatu auxiliari exsecutionis, modo aliquo speciali ius habent ad dona Spiritus Sancti, quae natura sua spectant ad applicationem principiorum ad vitam practicam, sc. ad dona prudentiae et fortitudinis. Tandem aliquando membris Actionis Catholicae mandato speciali facilius concredi possunt, quae quidem natura sua non sunt stricte propria Hierarchiae, attamen propter bonum commune Ecclesiae secundum canones reservantur Hierarchiae, puta v. g. instructionem religiosam publicam, non authenticam (cf. *CIC* can. 1328). Et sic A. C. saepe supplet actionem Hierarchiae.

2 — *Estne Actio Catholica organon ecclesiasticum?*

Responsio facilis est. Actio Catholica est organisatio specialis laicorum ex speciali vocatione Ecclesiae et ex mandato speciali Ecclesiae ad augmentum Corporis Christi, in quo munus sibi attributum habet apostolatus auxiliaris; cuius vocationis radix ultima ex parte vocantis est necessitas Ecclesiae, ex parte vocati character baptismate et confirmatione impressus, quo suo modo laicus conformatur Christo Sacerdoti. Inde autem ab Encyclica *Ubi Arcano* illa organisatio ex voluntate Vicarii Christi iuridice ita Ecclesiae innexa est, ut pertineat non solum ad vitam Christianam, sed etiam ad munus pastorale. Hac de causa sive Ecclesiam ut Corpus Mysticum spectas, sive ut societatem perfectam, Actio Catholica est organon ecclesiasticum. Bene autem distinguas inter organum iure determinatum et organum iurisdictionis. Organum iure determinatum est organum, cui iure locus determinatus in organismo totali assignatus est; organum iuridicum est organum, quo iurisdictio exercetur. Etiam in republica temporali organa sunt, quibus iure publico munus assignatum est in bonum commune, quin sint iurisdictionis organa, verbi gratia instituta computabilitatis financiariae, sanitatis publicae, cetera. Est autem Actio Catholica organon iuridice determinatum, non vero iurisdictionis.

3 — *Estne Actio Catholica pars Hierarchiae?*

Etiam hic responsio haud molesta est. Actio Catholica nullo modo est pars Hierarchiae. Etenim est actio apostolica laicorum inter se coniunctorum, qua laici sunt. Laici autem qua tales opponuntur clericis, inter quos solos Hierarchia continetur, ut clare indicatur *CIC* canonibus 948 et 108. Deinde est actio, quae in

ratione sua specifica, i. e. in exercitio apostolatus practici exsecutionis, a laicis dirigitur, ita ut propriam habeant responsabilitatem a responsabilitate Hierarchiae distinctam. Quare assistentes ecclesiastici, qua tales, sese habent ut Angeli Custodes, qui viam demonstrant, a malo avertunt, bona consilia inspirant, educant ad opus apostolicum, non autem ipsi per se quod laicorum est perficiunt. Accedit, quod Actio Catholica est apostolatus auxiliaris. Auxilium autem datur Hierarchiae, quae, qua adiutata ab Actione Catholica, ab ea distinguatur necesse est. Rationi autem minime convenit, ut membra Actionis Catholicae tonsura vel ordine quodam minori Hierarchiae adscribantur. Eorum enim non est actiones exercere quae natura sua Hierarchiae sunt propria, nec convenit primam tonsuram et ordines illis conferre, quia ascendendi ad presbyteratum propositum per se non habent. Cf. *CIC* can. 973.

4 — *Estne Actio Catholica organon Hierarchiae?*

Cum haec formula bonam et malam interpretationem admittat, statim erit distinguendum. Si sic explicatur, ac si Actio Catholica esset organon quoddam minus quod constitueret partem quandam integrantem in organismo totali Hierarchiae, ut v. g. digitus in organismo totali totius manus continetur, sine dubio formula est reicienda. Si autem hac locutione significatur, Actionem Catholicam esse organum non-hierarchicum, attamen ad dispositionem Hierarchiae, ut ipsa per illud ministerium suum sacerdotale cum integrali perfectione possit excercere, formula est verissima. Aliis verbis: in Corpore Christi sunt organa multa et varia, non autem omnia hierarchica. Sicut v. g. congregationes permultae religiosarum, quae sese tradunt instructioni religiosae barbarorum, organa pulcherrima

sunt Corporis Ecclesiae, ad dispositionem quidem et auxilium Hierarchiae, minime tamen hierarchica.

Contra praedicta autem oggeri possunt duae difficultates.

Prior haec est. Dixerit quis: obiectum apostolatus Actionis Catholicae et Hierarchiae inadaequate saltem coincidunt. Ergo etiam organa debent inadaequate coincidere. Organon enim specificatur a sua actione, actio verum ab obiecto. Quod etiam insinuare videtur R. Pontifex, dicens Actionem Catholicam esse partem integrantem ministerii sacerdotalis.

Ad ea, quae theoretice obiciuntur, dico organa prorsus inter se diversa tamen habere posse obiecta inadaequate tantum distincta, si organa sunt diversi ordinis et tantum analogo modo circa suum obiectum agunt; deinde idem fieri posse, ubi organa in idem obiectum tendentia sese habent ut principaliora et auxiliaria. Quod observari potest in corpore humano. Tum intellectus tum sensus pro obiecto cognitionis habent qualitates rerum externas; attamen organa illa sunt intrinsece diversa, quia modo analogo idem obiectum attingunt. Deinde dentes certe distinguuntur a stomacho, attingit tamen et stomachus et dentium acies idem obiectum, scilicet cibum; dentes autem solummodo, ut adiuvent stomachum in praeparando cibo ita ut assimilari possit a corpore. — Cum autem dicit R. Pontifex Actionem Catholicam constituere partem integrantem ministerii sacerdotalis, hoc prae aliis intendit: esse partem integrantem muneris hierarchici, ut associationes laicorum in bonum animarum erigant earumque summam curam habeant. Igitur *cura* Actionis Catholicae, non actio ipsa laicorum est pars integrans ministerii sacerdotalis.

Altera difficultas sic enuntiari potest: Si Actio Catholica est organon non-hierarchicum quidem, attamen organon ad dispositionem Hierarchiae in asse-

quendo ipso fine Hierarchiae: Actio Catholica et Hierarchia sese habent in ordine causalitatis efficientis ut agens instrumentale ad principale. Causa autem instrumentalis non agit per virtutem formae propriae, sed solum per motum quo dirigitur ab agente principali, et ideo effectus instrumenti magis assimilatur formae principalis agentis, quam formae propriae. Sequitur, ut effectus, licet totus procedat ab utroque agente, multo magis sit dicendus effectus causae principalis, quam agentis inferioris. Quibus principiis positis, apostolatus Actionis Catholicae esset magis apostolatus Hierarchiae quam laicorum; quod tamen videtur toti conceptui Actionis Catholicae perfracte contradictorium, ut iam statim elucet ex officio assistentis ecclesiastici per modum angeli custodis.

Ad hanc aporiam solvendam, bene intelligendum est, non omnia instrumenta esse eiusdem generis. Sunt enim diversa pro diversa ratione, qua motum ab agente principali accipiunt; et pro hac diversa ratione sunt vel adaequata vel inadaequata. Instrumentum adaequatum habetur, ubi causa principalis non tantum virtute sua primum motum tribuit, sed etiam virtute continuo permanente decursu totius actionis motum instrumento tribuere pergit. Tale instrumentum est exempli causa securis illa, mota ab artifice qui conficit lectum. Et cum hac instrumentalitate recte v. g. comparatur actio auctoris humani inspirati. Alia autem instrumenta sunt, quae principium quoddam motus ab agente principali accipiunt, et accepta hac virtute, sibi relicta, absque ulteriore actuali influxu agentis principalis, opus suum perficiunt. Tale instrumentum v. g. est horologium, quod ferro quodam spirali ab agente humano fortiter contracto, tum ex contractione ab extra accepta, tum etiam ex reactione naturali ferri spiralis, sine permanente adiutorio moventis, horas indicat; causa principali post primum motum iam non actu

influente, sed solummodo moderante, ubi horologium per defectum a recta temporis indicatione deficeret. Et cum hac instrumentalitate haud pauca comparari debent, quae fiunt in ordine morali et iuridico. Ubi habetur instrumentum adaequatum, effectus principaliori modo tribuitur agenti principali. Est enim qui lectum facit magis artifex quam securis. Ubi autem instrumentum inadaequatum habetur, res aliter sese habet. Est enim quod horas indicat horologium magis quam homo, licet horologium excitationis et directionis hominis indigeat. Statuta igitur differentia inter instrumenta et instrumenta, dico Actionem Catholicam accipere motus sui principium ab Hierarchia, quia tota eius virtus apostolica ex mandato Hierarchiae et participatione apostolatus Hierarchiae originem ducit, nec minus motum suum perficere sub moderamine quodam Hierarchiae. Ex eo autem minime concludi posse, actiones eius proprie esse actiones Hierarchiae, licet Hierarchia hac in re sua responsabilitate non careat.

5 — *Estne Actio Catholica inserta Hierarchiae?*

Mihi certe praeplaceret formula paululum modificata, scilicet: Actio Catholica inserta est actioni Hierarchiae. Sed et formula prout iacet defendi potest. Bene notes: aliud esse *insertum,* aliud *organice insertum* seu *insitum.* Actio Catholica non est insita Hierarchiae, non enim constituit cum Hierarchia unum quoddam organismum hierarchicum. Iure autem potest vocari *inserta*, quae vox, nisi addatur illud *organice,* nil aliud indicat nisi intimam quandam coniunctionem. Est enim Actio Catholica Hierarchiae ligata vinculo oboedientiae, subordinationis, manuductionis et directionis doctoralis. Accedit quod Actio Catholica sic efformanda est, ut eius structura quodammodo structurae Hierarchiae correspondeat. Immo quamquam vox

insita est exaggerata, ex altera parte vocula *inserta* debilior est, cum id quod solummodo est insertum, per se in suo esse ab alio cui inseritur non dependeat. Diximus autem Actionem Catholicam totum suum esse canonicum, suam missionem apostolicam habere ex participatione apostolatus Hierarchiae eiusque mandato. Ratio autem cur Hierarchia modo tam intimo influere possit in Actionem Catholicam in eo est, quod cum Hierarchia tum Actio Catholica organa sunt vitalia eiusdem Corporis Christi, quod est Ecclesia; quae organa licet absolute distincta, minime sunt separata, cum omnia simul, organa superiora et inferiora, etsi habent actus diversissimos, unum sint in Christo Iesu. Ex hac unione explicatur quoque, cur Actio Catholica ratione missionis in suo esse totaliter dependeat ab influxu Hierarchiae, ex altera parte in apostolatu executionis speciali modo indigeat donorum Spiritus Sancti prudentiae et fortitudinis. Unitas enim totalis Corporis Ecclesiae efficit, ut organa quaedam minora ratione sui esse canonici dependeant ab organis superioribus e quibus fluit missio, ratione autem vitalitatis supernaturalis ab anima Corporis Mystici, quae est Spiritus Christi. Quod et in corpore hominis videmus. Diverso modo enim in suo esse dependent organa inferiora corporis humani ab influxu cordis et aliorum organorum vitalium, diverso modo ab anima, quae ubique adest, in organis maioribus et minoribus, ibique praesens operatur, quin tamen desinat indirecte sustentare organa minora per organa maiora, ut bene explicat Chrysostomus.

6 — *Estne Actio Catholica apostolatus hierarchicus?* (1)

Ex praedictis apparet, quonam sensu hic modus loquendi admitti possit, quo sensu sit repudiandus.

---

(1) In celeberrima epistola *Quae nobis* italice, CAVAGNA pag. 50, legitur:

Si sic intelligitur, acsi Actio Catholica sit apostolatus directe exercitus ab Hierarchia; vel apostolatus laicorum, prout constituunt partem Hierarchiae; vel apostolatus laicatus, prout est organon ipsi Hierarchiae vere insitum: locutio admitti nequit. — Si vero sic explicatur, quod Actio Catholica est apostolatus laicatus, prout constituit organon quoddam non-hierarchicum ad dispositionem Hierarchiae, formula vera est, bene tamen prae oculis habita ratione inadaequata huius organi. — Quodsi subintelligitur Actionem Catholicam esse apostolatum tum ratione missionis, tum subordinationis, tum manuductionis, tum structurae organicae, intime cum Hierarchia coniunctum; locutio est approbanda. — Si subauditur, Actionem Catholicam speciali modo pertinere ad curam Hierarchiae: formula etiam est verissima. — Tandem si hac locutione significatur, apostolatum Actionis Catholicae in ordine exsecutionis habere eundem finem eundemque campum actionis atque ipsam Hierarchiam, verba sunt rectissima. Et hoc ultimo sensu dixit Romanus Pontifex: « Talis cooperatio ad dilatandum Regnum Christi est apostolatus verus et proprius, per apostolatum sacerdotalem, episcopalem, per apostolatum ipsius Romani Pontificis » cf. CAVAGNA, pag. 214.

7 — *Estne Actio Catholica complementum hieraticum?*

Haec vox, graece *πλήρωμα ἱερατικὸν*, est Ioannis Chrysostomi. Duplici modo verti potest: complementum sacerdotale et complementum hierarchicum.

Nullum autem dubium est laicos, et modo aliquo particulari laicos Actioni Catholicae adscriptos, vocari

---

Una soda pietà etc.... *sono il fondamento necessario per qualsiasi partecipazione all'apostolato gerarchico,* dum recensio latina habet, *AAS* XVI (1928), p. 386: *Solida(m) pietate(m)* etc.... *qui careat, apostolatum hierarchicum non is fructuose exercere poterit.*

posse complementum *sacerdotale.* Licet enim non habeant sacerdotium ordinis per manuum impositionem, tamen habent regale illud sacerdotium universale, quod fundatur in charactere baptismatis et confirmationis, quo omnis fidelis suo modo participat sacerdotium Christi. Hoc sacerdotio universali initiati possunt una cum Episcopo et presbyteris offere Deo sacrificium illibatum; hoc sacerdotio initiati, ut pulcherrime dicit Clemens Alexandrinus *In I Petr.: MG* IX c. 730, oratione et doctrina salvant animas, quas in sacrificium offerunt Deo. Et hoc sensu laici complent Episcopos, ut unum constituant corpus sacerdotale sub capite Christo, summo Sacerdoti.

Possunt etiam vocari laici apostoli complementum *hierarchicum,* non illo sensu, acsi Hierarchia qua Hierarchia non esset completa absque laicorum cooperatione; sed hoc sensu verissimo, quod *actio* ipsa apostolica Hierarchiae suppletur in quibusdam et completur ab actione apostolica laicatus, prout explicavimus ad mentem R. Pontificis.

Et haec sufficiant. Gratum mihi erit, si aliquid lucis attulerint (1).

SEB. TROMP S. I.

---

(1) Quo tempore haec lucubratio prelo tradita est, R. D. A. MENICUCCI in ephemeride *L'Osservatore Romano,* 30 Apr. 1936, egregie disseruit de configuratione iuridica A. C., quam dissertationem ibidem continuavit die 29 Maii. Haud paucas quaestiones, quas nos attigimus, et ipse exposuit vir doctus, ex sola tamen ratione iuridica. - Ante aliquos dies ipse R. Pontifex memorabilem allocutionem habuit ad delegatos A. C. universae, cf. *L'Osservatore Romano,* 1 Iunii 1936. De hac oratione, qua quaedam eorum quae explicavi, confirmari videntur, postea.

Thesis probabilismi ex Sto Thoma demonstrata

II

Controversiae circa probabilismum

Pauca historice delibare necessarium videtur, ut status quaestionis bene intelligi possit (1).

Fatentibus omnibus, doctrinae tum Medinae tum Suarezii sine magna difficultate ab auctoribus diversarum scholarum admissae fuerunt. Imo si P. Thyrsum Gonzalez, S. I., audiamus, « In primo statu, ab anno 1578 vel 1580, quo M. Bartholomaeus typis mandavit suam 1am 2ae, in qua speciosis argumentis probabilismum stabilivit, doctrina illa penetravit in celebriores orbis catholici universitates, in Parisiensem, Salmanticensem, Lovaniensem, Complutensem et alias, penetravit in omnes familias religiosas, in quibus inventi sunt auctores, qui hanc quaestionem reflexam de usu opinionum probabilium attingerent... » (2).

Haec, quae ex testimonio minime suspecto habemus, confirmantur simplici inspectione auctorum, qui tunc temporis de hac materia opera ediderunt. Praecipuos apud R. P. Deman citatos invenies (3) qui aperte fateri cogitur, probabilismum receptum fuisse ab auctoribus omnium scholarum et quidem *non a iuristis vel casuistis sed a magnis theologis; et praecise, dum instituunt commentarium in Summam Sancti Thomae!* Cur ita? « *Une ironie de l'histoire...* » respondit R. P. Deman, *l. c.* col. 481.

---

(1) Cf. *DTC*, art. *Laxisme, Probabilisme* - ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España*, VI, p. 146 ss.

(2) *De ortu et origine probabilismi.* Opusculum historico-theologicum. Sect. XIX, pag. 137. Romae, Bibl. Casanatense, *Mss.* 1361. Citationem desumimus ex ASTRAIN, *o. c.* p. 143.

(3) *DTC*, fasc. CXIV-CXV, col. 469, 482-490.

Mirum sane responsum a theologo inventum ad explicandam *innovationem*, a traditione theologica prorsus alienam !

Donec argumentis efficacioribus probabilismi, quoad fundamenta, novitas ostendatur, videtur nobis merito affirmari posse consensum auctorum, ut Medina et Bañez et Joannis a Sto. Thoma, ex inclito ordine Sancti Dominici, et Suarez et Vazquez e Societate Iesu, una cum magnis theologis ex aliis scholis, multis in aliis quaestionibus dissentientibus, argumentum esse non spernendum pro antiquitate doctrinae, quae in probabilismo evolvitur.

Sic recte explicatur cur, sine ulla admiratione, recepta sint asserta Medinae, cur ab auctoribus repetantur, perficiantur, magisque firmentur; cur etiam dum diligentissime et minute disputatas quaestiones exponere consueverint, breviter casum de usu opinionis probabilis solvant. Periculum ex probabilismi extensione ipsos latebat. De novitate eius ne suspicabantur quidem. Unde Vasquez, qui diligenter et latius quam alii quaestionem exponit, asserere potuit: « *Veram igitur existimo sententiam quam sequitur Bartholomaeus Medina in art. 6⁰ huius quaestionis, iamque in scholis et* **multo ante**, *communis fuit* » (1).

Quidquid sit, tamen de interpretatione ipsius, factum historicum manet inconcussum: Usque ad annum 1656, in quo incipit motus contra ipsum, Probabilismus tum in scholis tum in praxi, sedem obtinet, a paucis et leviter tantum impugnatus (2).

---

(1) VASQUEZ, *Comm. ac Disput. in Primam Secundae S. Thomae.* Lugduni, 1631, Disp. 62, cap. 4, n. 14, et seq. Utique disputant auctores de diversis solutionibus dandis in singulis casibus, de ipsa extensione principii, at caput doctrinae fundamentale, quod, scilicet, opinio probabilis sit elementum validum ad conscientiam practice efformandam, ab omnibus tamquam traditioni conforme admittitur. Itaque ut novum habetur systematica expositio, minime doctrina ipsa.

(2) Ita ipse P. DEMAN, *l. c.*, col. 481. « Jusqu'aux premières

Probabiliorismi genesis

Perdurante hac periodo duae tendentiae morales manifestantur e diametro oppositae quae probabilismum attingunt : *rigorista* una, *laxista* altera. Ut optime notare videtur D. Amann (1), multum ad confusionem fovendam contulit factum historicum controversiae ianseni-sticae, quae eodem tempore, magna passionum agitatione, mentes occupabat. Factum est ut tendentiae rigidae iansenistis, tendentiae benignae probabilistis tribuerentur.

Unde quaestio doctrinalis, extra proprios fines educ-ta, valde partium disceptationibus obscurata fuit (2).

Interventus Sedis Apostolicae ex utraque parte provocatus est et nonnullae propositiones damnatae sunt, quae ad rem nostram faciunt. In illis certo at-tingitur laxismus, certo damnatur rigorismus et ianse-nismus. Num ex his damnationibus, contra ipsum pro-babilismum concludere licet ?

Id ex consideratione propositionum patebit.

Afferri possunt propositiones, in primis ab Alex-andro VII annis 1665 et 1666 damnatae, ex quibus 1,26 et 27 passim contra probabilismum ab adversa-riis adducuntur (3).

Prima sic sonat. « *Homo nullo unquam vitae suae*

---

grandes réactions, en 1656, le probabilisme s'établit ainsi dans l'enseignement et dans l'usage, peu gêné encore par les que-relles et les resistances isolées auxquelles il donne lieu durant cette période ».

(1) *DTC*, vol. XVII, col. 41.

(2) Vide, si placet, rationes historicas in L.von Pastor, *Geschichte der Päpste*, XIV Band, 2 Abt. Freiburg 1930. Inno-centius XI, cap. IV; Innocentius XII, cap. III; — vel in versione italica, a Mgr. Cenci facta, eodem loco.

(3) Cf. de his Viva. *Damnatarum thesium Theologica trutina*, ed. 3, Patavii, 1712, pag. 9, 68, 82, 85. Amann, *DTC*, vol. XVII, col. 74. P. Deman *DTC*, Fasc. cit., col. 531.

tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium ». *Denz.*, ed. 18-20, n. 1101.

Secunda: Prop. 26. « *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio* ». *Denz.*, ed. cit., n. 1126.

Tertia: Prop. 27. « *Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem* ». *Denz.*, ed. cit., n. 1127.

Nobis, qui de probabilismo ut a suis auctoribus proponitur agimus, theses istae difficultatem creare non possunt. Vidimus quid auctores, Medina et Suarez exigant ut sententia aliqua habeatur ut probabilis, quid maxime Suarez exigat ad probabilismum applicandum; ex quo patere videtur, sententias ab Alexandro VII damnatas non magis ex probabilismo fluere quam haereses ex Christianismo. Laxistae, quidem asserebant has et alias perversiones sensus moralis ad sententias *probabiles* pertinere; sed num inde licet concludere, merito, logice eas fluere ex principiis probabilismi? eas esse iam probabiles, eas vere in probabilismo contineri? Iam vero nisi hoc demonstretur, frustra invocantur hae propositiones contra ipsum probabilismi systema (1).

Bellum contra ipsum probabilismum, qui ut doctrina propria Societatis Iesu ab insectatoribus eius exhibebatur recrudescere tamen coepit, hac illis opportunitate abutentibus.

Universitas lovaniensis, in qua rigorismus florebat, et iansenistae novas propositiones in quibus ma-

---

(1) Cf. A. ASTRAIN, S. J. *Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España*, vol. VI, pg. 146 ss. — P. BLIC, S. J., *DAFC*, vol. IV, col. 328.

gis directe ipse probabilismus impugnabatur, paraverunt (1).

Itaque Innocentio XI plus 100 propositiones exhibuerunt inter quas haec continetur: « *Potes sequi opinionem practicam probabilem circa honestatem obiecti, relicta quoque probabiliore et tutiore, quamvis tua, etiam in materia Iuris naturalis* » quae certo contra probabilismum converti poterat. At in Decreto S. Inquisitionis die 2 Martii 1679, quo damnabantur 65 propositiones « *ut minimum tamquam scandalosae et in praxi perniciosae* » haec propositio una cum aliis quae magis ad rem faciebant, exclusa est. Vide omnes in *Denz.*, n. 1151 ss.

Ex his invocantur contra probabilismum: Prop. 1, respiciens usum opinionis probabilis in usu sacramentorum. *Denz.*, n. 1151.

Nihil ad nos facit, quia vidimus qua ratione Suarez positive neget, ratione allata, applicationem probabilismi in casu. De Medina, qui id videtur concedere, vidimus quomodo nihil asserat quod bene explicari nequeat.

Affertur celeberrima prop. 3 « *Generatim,* dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, *quantumvis tenui,* modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, *semper* prudenter agimus ». *Denz.*, n. 1153.

Sufficiat advertere ad verba a nobis typis italicis excussa, ut appareat in his deformatio probabilismi, ex corruptione conceptus opinionis probabilis, et ex attributa universalitate in applicationibus, ut appareat discrimen inter laxismum, qui hic merito impugnatur, et probabilismum.

Utrum omnes illae propositiones e libris moralis-

---

(1) Cf. PASTOR, *o. c.;* ed. italica Vol. XIV, part. 2, cap. VI, pag. 313 s.

tarum revera sint excerptae, merito dubitatur, quamvis ex Historia nobis certo constet, tam apud scriptores Societatis Iesu, quam apud alios non defuisse qui, nimia opinandi cupiditate doctrinas laxas et perniciosas sustinuerint (1).

Sed iam ad celeberrimum Decretum Innocentii XI de ipso probabilismo deveniamus, die 26 iunii 1680 datum. *Denz.*, n. 1219.

Ad intelligentiam Decreti pauca ex historia in mentem revocanda sunt (2).

Iam ab anno 1656 in omnibus scholis serio agebatur de impedienda illa opinandi nimia libertate, quae ansam praebebat haereticis contra moralem catholicam agendi. Id in ipsa Societate Iesu magis necessarium apparebat, quatenus ipsa prae aliis a iansenistis oppetebatur. Inter scriptores Societatis ergo non defuerunt qui excessus corrigere conarentur, imo qui studio avertendi a Societate inculpationem ligaminis cum probabilismo, novas vias quaesierint ad quaestionem de usu opinionis probabilis solvendam (3).

Eminet inter omnes P. Thyrsus Gonzalez, futurus Praepositus generalis S. I. Iam anno 1670 agere coepit contra probabilismum. Anno 1681, magister in Universitate Salmantina, litteras dedit ad Innocentium XI, quibus manifestabat se velle per integrum annum, in omnibus scholis, de hac materia agere, et opus conscribere contra probabilismum. Ita luce clarius apparebit, qua libertate auctores Societatis gauderent ad

---

(1) Cf. ASTRAIN, *o. c.*, p. 150.

(2) Vide plura, apud PASTOR, *o. c.*, p. 318 ss. — ASTRAIN, 208. Contra probabilismum adhibitum maxime fuit a R. P. FRANCISCO TER HAAR, C. SS. R. in opusculo *Ven. Innocentii Pp. XI de probabilismo decreti historia et vindiciae...* Tornaci, 1904, et a P. L. WOUTER C. SS. R., *De minusprobabilismo....* Parisiis 1905. Contra illos scripsit P. LEHMKUHL, S. J. opusculum *Probabilismus vindicatus*, Friburgi Brisgoviae,1906.

(3) Vide apud ASTRAIN, *o. c.*, p. 153.

impugnandum probabilismum. Opus revera conscripsit, et exhibuit censoribus tum Ordinis tum a Magistro Sacri Palatii deputatis, a quibus tamen approbatum non est. Iure suo utendo ipsum Romanum Pontificem adiit, qui per S. Inquisitionem duplex ad propositum edidit decretum, ad P. Thyrsum Gonzalez aliud, ad Praepositum Generalem Societatis alterum.

Hoc est celebre Decretum de quo tot disputationes motae sunt. Ideo nobis licebit breviter de ipso agere.

Mirum, in primis, hoc est in hoc decreto quod textus authenticus *usque ad annum 1902,* absconditus mansit. Ideo duae redactiones proponebantur, in quibus sequens variatio habebatur:

REDACTIO APOCRYPHA	REDACTIO AUTHENTICA (1)
« Iniungendum Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, *ne ullo modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione minus probabili, et impugnare sententiam asserentium, licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in occursu probabilioris sic cognitae et iudicatae,* verum etiam scribat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, pro suo libitu, libere scribat pro opi-	« Iniungatur Patri Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suae, *ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et iudicata,* licitum sit sequi minus probabilem ; verum etiam scribat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suae esse, ut quilibet, prout sibi

(1) Vide in *Denz.*, n. 1219. Redactio authentica communicata est et publici iuris facta est anno 1902, ab assessore S. Congr. S. Off. et videri potest apud LEHMKUHL, l. c. p. 81, et ASTRAIN, *o. c.*, p. 208.

nione magis probabili et impugnet contrariam praedictam... ».

libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam praedictam... ».

Quid in decreto continetur ?

In prima parte, ad Patrem Thyrsum Gonzalez, ei significatur laus R. Pontificis et voluntas « *ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat, et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt* etc. ».

In secunda parte continetur praeceptum Praeposito Societatis Iesu datum, quo iubetur : *ut plenam concedat sociis suis, libertatem scribendi contra probabilismum.* Praeterea nihil.

Ad hoc merito P. Generalis Societatis P. Ioannes Oliva, respondere potuit, ut in eodem documento constat : *quamvis nec per ipsum, nec per suos praecessores, fuerit umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili eamque docere* ».

Iterum apparet absentia cuiusvis vestigii, quo decisio doctrinalis manifestetur. Defenditur libertas scribendi contra probabilismum; inde sequitur quod non habetur a R. Pontifice ut doctrina catholica. Manet tamen eadem libertas pro ipso scribendi, ipsumque defendendi.

Non defuit tamen in obedientia praestanda Praepositus Generalis ; unde illico litteras dedit ad universam Societatem, quibus mandatum R. Pontificis exsequebatur. His contentum S. Officium, decreti documentum adservari iussit in archiviis usque ad annum 1693, in quo, casu inventum, traditum est, ad suam consolationem, novo Praeposito Societatis Iesu, *P. Thyrso Gonzalez.*

Si inter sodales vix inventus est, qui hac libertate uteretur ad impugnandum probabilismum, ipse prae-

positus diligentissime operam dedit ad librum, iam diu paratum, in lucem edendum.

Itaque anno 1694, apparuit liber cui titulus: *Fundamentum Theologiae moralis* Romae, sumptibus Konark. Magna expectatione acceptus, uno anno 12 editiones habuit. Postea spatio 200 annorum aliam tantum meruit editionem, in cursu Theologico Migne; postea nullam.

In eo P. Praepositus Societatis Iesu doctrinam proponit *probabiliorismi,* qui per saecula erit systema praedilectum apud auctores Ordinis Praedicatorum.

(Continuabitur) ULPIANUS LÓPEZ, S. I.

VARIA QUAESITA IN RE LITURGICA

De Missa in aliena ecclesia

Regulariter Missa debet esse conformis Officio. Antiquitus conformitas exigebatur cum Officio Celebrantis, unde regulae sat intricatae pro celebratione in aliena ecclesia. Verum, cum Missa nullo modo sit actus quidam devotionis personalis et privatae Celebrantis, sed essentialiter et per se actus cultus publici, in quo Celebrans proinde personam publicam induit et sacrificium offert in nomine quidem totius Ecclesiae, sed speciatim tamen in nomine assistentium, conformitas Missae, etiam privatae, cum Kalendario huius coetus magis videtur congruere, et ideo decreto suo 3862, 9 iulii 1895, S. R. C. ius hucusque vigens prorsus mutavit. Quod decretum die 9 decembris eiusdem anni specialiter approbavit et confirmavit Summus Pontifex Leo XIII, qui Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia in contrarium

facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogavit, ita ut etiam Regulares qui habent privilegium, iuxta quod concessio illis per Apostolicam Sedem semel facta, iam amplius non debet revocata censeri, nisi de praedicta concessione fiat mentio specialis vel saltem habeatur clausula revocatoria privilegii, etiam speciali mentione digni, sub eo comprehendantur (1).

Porro, nova haec regula sic in *Additionibus et Variationibus in Rubricis Missalis* fuit inserta: « Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares quam regulares, Missas, etsi Regularium proprias, omnino celebrent iuxta Kalendarium Ecclesiae vel Oratorii publici, in quo celebrant » (2). Regula ergo est prorsus generalis; iure excipiuntur soli Cardinales a sua promotione in Consistorio (3) et Episcopi sive residentiales, sive titulares, ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis (4) qui facultate gaudent in omnibus Ecclesiis et Oratoriis Missam celebrandi proprio Kalendario conformem. Quae exceptio sane iustificatur eminenti positione Cardinalium et Episcoporum in hierarchia ecclesiastica.

« Idem servetur in Oratorio semipublico, sive in Capella *principali* Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum et similium (5) idemque dicendum de Capella Episcoporum (6). Capella principalis hic intellegi debet, non solum Oratorium semipublicum, quod deficiente Ecclesia vel Oratorio publico, horum locum tenet, sed etiam, exstante Ecclesia vel Oratorio publico, Capella in qua Communitas convenire solet ad exercitia spiritualia peragenda et imprimis ad Sacrum audiendum; nec

(1) Decr. 3883, 8 febr. 1896.
(2) *Add. et Var.* IV, 6.
(3) Can. 239, § 1, 9°.
(4) Can. 349, § 1, 1°.
(5) *Add. et Var.* IV, 6.
(6) Decr. 3910, 22 maii 1896.

aliquid obstat quominus in eadem domo religiosa plures tales inveniantur, si nimirum diversae partes Communitatis in diversis Oratoriis conveniant pro suis exercitiis spiritualibus, v. g. si in una Capella conveniant professi, in alia novitii, in tertia demum alumni.

Kalendarium ergo cui standum est, in Ecclesiis et Oratoriis saecularibus est Kalendarium dioecesanum, additis tamen officiis huic Ecclesiae vel Oratorio propriis, puta Dedicationis vel Titularis Ecclesiae aut Patroni loci. In Ecclesiis vero et Oratoriis religiosorum aut religiosarum qui proprio Kalendario gaudent, standum est Kalendario religiosorum, quod etiam valet de Ecclesia vel Oratorio alicui religiosae familiae (non tantum personae privatae) in perpetuum vel indefinitum tempus concreditae (7). In Ecclesiis tandem et Oratoriis quae pertinent ad Congregationem proprium Kalendarium non habentem, standum iterum Kalendario dioecesis, cui tamen addenda Officia propria, ut Titularis vel Dedicationis Ecclesiae, Sancti Fundatoris Congregationis et alia iure aut ex Indulto his religiosis concessa. In omnibus ergo istis Ecclesiis et Oratoriis ita standum est huius Ecclesiae vel Oratorii Kalendario, ut omnino Missa celebretur officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorio conformis, sive de Sancto, sive de Beato, et sive illa Missa in Romano, sive in Regularium Missali contineatur (8), et in ea fiant omnes et solae Commemorationes quae huic Officio conveniunt (9); nec licet ritum mutare aut Symbolum addere (10). Potest tamen ubique Religiosus in oratione *A cunctis,* si haec praescribitur aut permittitur, addere nomen Sancti Fundatoris, itemque, si tale habet privilegium, in *Confiteor* (11).

---

(7) Decr. 4051, 15 dec. 1899 ad 1 et 2; 4248, 11 febr. 1910; 4252, 22 apr. 1910.

(8) Decr. 3862, 9 iul. 1895.

(9) *Add. et Var.* V. 1.

(10) Decr. 3924, 3 iul. 1896 ad 3.

(11) VERMEERSCH, *Theol. Mor.* III, 334.

Ex alia parte omnino excluduntur ritus Ordinum et Ecclesiarum proprii (12). Et ideo, ut rite monet R. D. Can. CROEGAERT (13) manet practicum et observandum monitum Benedicti XIV ut pro extraneis sacerdotibus ad illas Ecclesias accedentibus, in sacrario semper paratum retineatur Missale Romanum cum suo Proprio ex quo isti debitam Missam iuxta ritum romanum dicere possint (14).

« Si vero, iuxta Kalendarium Ecclesiae aut Oratoriorum praefatorum, Missae votivae vel aliae permittantur, easdem celebrare valeant [praedicti Sacerdotes extranei], servatis tamen Rubricis et Decretis » (15). Parvi ergo refert quodnam officium ipse Celebrans recitaverit, et in Missis votivis pro commemorationibus faciendis unice attendet ad officium Ecclesiae vel Oratorii in quo celebrat (16).

Plerumque poterit etiam in casu Missam celebrare proprio Officio conformem. Dixi plerumque, quia fieri potest ut haec Missa in aliena Ecclesia sit prohibita, v. g. si officium proprium fuerit de Beato cuius cultus huic ecclesiae non fuerit concessus. Beati enim coli non possunt nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit (17); unde eorum Missa nullomodo celebrari potest in Ecclesiis vel Oratoriis quibus id vel in Brevi Beatificationis, vel postea per speciale Indultum non fuerit concessum.

Quaestio igitur est quomodo haec Missa conformis officio proprio in aliena Ecclesia vel Oratorio celebrari valeat vel debeat. Et primo quidem, si agitur de Missa festi, haec certe celebrari debet modo festi-

---

(12) *Add. et Var.* IV, 6.

(13) *Tractatus de Rubricis Missalis*, p. 192.

(14) *Institutiones Ecclesiasticae.* Inst. XXXIV § 5 n. 2; *De Sacrificio Missae* Lib. III, cap. 23, n. 1.

(15) *Add. et Var.* IV, 6.

(16) *Add. et Var.* V, 1.

(17) Can. 1277 § 2.

vo, non vero votivo (18), idemque dicendum de Missa alicuius festi in proprio officio commemorati (19). Sunt qui inde concludunt in hac Missa celebranda prorsus neglegendum esse Kalendarium Ecclesiae et standum Kalendario proprio, tum quod ad ritum, tum quod ad commemorationes faciendas, Symbolum addendum, vel omittendum, Praefationem dicendam etc. (20). Quod tamen admittere non possumus; etenim in novis rubricis nullum circa hanc Missam privilegium legitur, nec hoc eruitur ex decretis supra allatis, modus festivus dicendi Missam etenim implicat quidem additionem Hymni angelici *Gloria,* sed non aliquem ritum determinatum, et quod ad commemorationes faciendas obstare videntur rubricae (21) quae volunt ut in Missis, quae non sunt de officio diei, primo fiat commemoratio ipsius officii, deinde commemorationes quae praescribuntur ad Laudes, iuxta Kalendarium Ecclesiae vel Oratorii publici vel semipublici (ut supra) in quo Missa celebratur. Unde apparet in Missa celebrata diebus permissis iuxta proprium Kalendarium Celebrantis in aliena Ecclesia, semper faciendam esse commemorationem officii Ecclesiae et addendae commemorationes in hoc officio occurrentes, nisi forsan aliqua ex iis omittenda sit propter identitatem.

Sed contingere potest ut in domo aliqua religiosa, praeter Capellam principalem, de qua supra, exstent et alia Oratoria. Haec et ipsa sunt semipublica, cum erecta sint in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium non vero in privatis aedibus tantum familiae vel personae privatae (22); et in eis proin satisfieri potest legi de audiendo Sacro (23). Illa tamen Oratoria, sicut et oratoria stricte privata, sub re-

(18) Decr. 3892, 14 mart. 1896 ad 5.
(19) Decr. 4020, 24 apr. 1899.
(20) *Ephemerides Liturgicae* 1921, p. 228 ; 1926; p. 347; 1930, p. 324.
(21) *Add. et Var.* V, 1 et 2.
(22) Can. 1188 § 2, 2º et 3º.
(23) Can. 1249.

gula superius data non comprehenduntur, ut clare patet ex ipso textu qui in sola Capella *principali* hanc rubricam servandam praescribit. In eis igitur certe adhiberi *non debet* Kalendarium loci, sed recte adhibetur Kalendarium Celebrantis (24). Idem a fortiori valet pro Oratoriis stricte privatis, pro quibus vix sermo esse potest de Kalendario loci cuius locum tenet Kalendarium ipsius Celebrantis (25). Unde, iuxta communiorem theologorum et liturgistarum sententiam, sacerdos inibi celebrans *debet* suo Kalendario sese conformare (26). Excipiendi tamen sunt dies festivus Patroni loci, de quo in Oratorio privato Missa celebranda est, quia hoc festum totum locum afficit, necnon festa Dedicationis et Titularis Ecclesiae Cathedralis quae in tota Dioecesi celebranda sunt (27). Attamen nonnullis haec obligatio non videtur manifesta, cum nullibi in rubricis aut decretis explicite inculcetur, et cum lex dubia non obliget, ipsi Celebranti in alieno (28). Oratorio privato, aut in secundario piarum Communitatum sacello, optionem dant confirmandi Missam sive suo proprio sive Kalendario loci (29). Atque, donec res authentice dirimatur, non videtur deneganda probabilitas huic opinioni quae hoc magnum commodum habet quod non raro practicam tollat difficultatem, cum saepe in Missalibus talium Oratoriorum desideretur Proprium extranei Celebrantis.

Namurci IOS. PAUWELS, S. I.

---

(24) Decr. 4248, 11 febr. 1910 ad 3, uti authentice explicatur in Indice Vol. VI Decretorum S. R. C. p. 142.

(25) Decr. 4363, 12 ian. 1921, III, 2, *f.*

(26) P. PAULINUS A GEMERT, *Rubricarum ac Caeremoniarum Promptuarium,* n. 214. — VERMEERSCH, *Theol. Mor.* III, n. 334. — GENICOT-SALSMANS *Inst. Theol. Mor.* II, n. 255. — *Eph. Liturg.* 1904, p. 691; 1907, p. 416.

(27) P. PAULINUS A GEMERT, *Ibid.*

(28) In proprio Oratorio privato, ut patet, Kalendarium loci est ipsum Celebrantis Kalendarium.

(29) P. VICTORINUS AB APPELTERN, *Sacrae Liturgiae Promptuarium,* I, n. 162. — G. B. MENGHINI, *Le Sacre Ceremonie,* p. 44 et 125. — CROEGAERT, *Tractatus de Rubricis Missalis,* p. 193. — *Eph. Liturg.* 1901, p. 420; 1921, p. 231.

Potestne iuxta rubricarum praescripta permitti, ut tabernaculum cum SS.mo ad commodius distribuendam S. Communionem, ad tempus extra altare super tabulam aliquam collocetur ?

Non raro in aliquot dioecesibus in presbyterio conspiciendae sunt parvae tabulae, ad modum altaris ornatae mappa atque candelabris, quibus impositum est aliquod tabernaculum, quod facile auferri potest, in quo mane infra missas servatur SS.mum ut ex hac tabula saepius, statuto tempore, v. g. singulis quadrantibus, fieri possit S. Communionis distributio ; immo etiamsi praeter altare maius unum vel plura adsint altaria, in quibus non continuo celebratur, ab hac tabula non raro S. Communio ad fideles deferri solet. Videtur tamen usus huius tabulae permitti minime posse ne pro ecclesia quidem, in qua unum tantum habetur altare, nam :

a - Solummodo « *nocturno tempore* » gravi suadente causa ab Ordinario loci probata servari potest SS.mum « *extra altare* » : can. 1269, § 3.

b - Respondit S. R. C. 21 Aug. 1863 (1) non amplius licere SS. Eucharistiam servare in pastophoria, columna, turri vel alio in loco « praeterquam in Tabernaculo in medio altaris posito ».

c - « Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo *inamovibili* in media parte altaris posito » (can. 1269, § 1), et quidem per se in uno altari (can. 1268, § 1 ; S. R. C. 21 Iul. 1696 ad 3, no. 1946), quamquam *ad tempus* ob iustam causam permittitur custodia SS.mi in *duobus* altaribus (S. R. C. 2 Iun. 1883 ad 6, no. 3577).

(1) VAN DER STAPPEN, *S. Liturgia*, IV, Q. 153, not. 1 ; hoc decretum vero in authentica collectione non habetur.

d - In decretis, in quibus licentia praebetur ad parvum tempus servandi Eucharistiam praeterquam in altari maiori in alio altari, semper agitur de altari *laterali,* quae denominatio ad tabulam aliquam referri nequit (S. R. C. 18 Maii 1878, ad 3, n. 3449; 2 Iun. 1883, ad 6, n. 3577).

e - Magnus est numerus decretorum S. R. C., in quibus sermo est de asservatione SS.mi, atque omnia haec decreta exigunt ut custodiatur SS.mum non solummodo in *tabernaculo*, sed insuper in tabernaculo super *altare* posito. Vide v. g. S. R. C. n. 1946, ad 3; 1966, 2033, 2912, 3335, 3562, 4071 ad 2, 4205, 4213 ad 3, 4230 etc.; pro altaribus in via processionis, ad quae datur benedictio cum SS.mo, expresse statuit S. R. C. 23 Sept. 1820 haec debere prius esse « a probo Caeremoniarum perito auctoritate Episcopi visitata ». Iamvero evidens est *tabulam sine petra sacra* minime vocari posse *altare*, iuxta definitionem *altaris* in can. 1197 latam, in quo, ut ait Benedictus XIV, Const. *Accepimus*, 16 Iulii 1746, al. *Tertio loco* quandoque immo « passim missa celebratur ».

Traiecti-ad-Mosam HUB. BEIJERSBERGEN, S. I.

Celebrans, post missam privatam recitans preces, quas Leo XIII dicendas praescripsit, potestne manu sinistra tenere calicem?

In una alterave regione mos invaluit quo Celebrans in fine missae cum calice ab altari descendit ad preces recitandas, acsi verba *Ritus servandi in celebratione Missae,* Tit. XII, no. 6 « Sacerdos accipit sinistra calicem, dexteram ponens supra bursam... descen-

dit ad infimum gradum » de *hoc* descensu verificarentur. Hic usus vero omnino improbandus est, atque nulla consuetudine excusare posse videtur, etenim :

a - Preces a Celebrante *aut* memoriter recitantur, *aut* leguntur ex tabella.

Si *memoriter* recitantur preces, sine dubio Celebrans manus iunctas teneat oportet ante pectus iuxta modum in *Ritus servandus...*, III, 1 notatum ; etenim in quavis functione ad altare tenentur manus iunctae, nisi aliud praescribitur (1) (vide in *missa* pro *Offertorio Rit. s.*, VII, 1, pro *Communione* XI, 1) ; atque *extra missam* regula generalis est, ut orationes dicantur *manibus iunctis*, ut patet v. g. ex rubr. bened. *candelarum* (rubr. missae ad 2 Febr.), *cinerum* (rubr. miss. ad fer. IV Cin.), *palmarum* (rubr. miss. ad Dom. in palmis), ex ordine *exsequiarum* ad orat. « *Non intres* » (*Rit. R.*, VI, c. 3, no. 7), etc. (2).

Si autem *ex tabella* legit preces Leonis XIII Celebrans, evidens est rubricas non posse permittere ut sinistra manu gestetur calix, dextera vero manu teneatur tabella ; nam pro fine missae notat *Rit. serv.*, XII, 6 quod « Sacerdos accipit sinistra calicem, dexteram (utique « extensis et iunctis pariter digitis » *Rit. s.*, III, 1) ponens supra bursam « *ne aliquid cadat* », atque si manus dextera tenens tabellam *non ponitur* supra bursam periculum est « *ne aliquid cadat* », si *ponitur* supra bursam digiti non sunt extensi nec iuncti, atque non decens est talis manus sinistrae impositio : « magis adhuc alienam a regulis est, ait VAN DER STAPPEN (3), « minusque decet una manu tenere calicem et altera tabellam aut hanc super bursam manu tenere » (4).

b - Quamquam rubricae missalis non supponunt, dicto ultimo evangelio, ante discessum ab altari preces

(1) CALLEWAERT, *Caeremoniale*, no. 10.
(2) Est argumentum depromptum ex *Ephem. lit.*, XLV (1931), p. 416.
(3) *Sacra Liturgia*, III, Q. 324, 5.
(4) Eodem modo dicit DE HERDT, *S. Lit. praxis*, I, no. 295.

esse dicendas, tamen ex verbis notatis *Rit. s. in. cel.*, XII, 6 probari potest, has preces non esse recitandas dum calix manu sinistra tenetur. Dicunt enim rubricae in dicto tit. XII, 6 Celebrantem calicem sinistra accipere « *omnibus absolutis* », atque ante preces dictas minime omnia sunt absoluta ; unde recte animadvertit GATTERER (1) : « preces... si persolvendae sunt, Cel. genua submittat... ; *omnibus absolutis* sacerdos accipit sinistra calicem... »

c - Insuper respondit S. R. C. 18 Iun. 1885, ad VIII (No. 3637) expleta missa non praescribi nec prohiberi inclinationem capitis versus crucem altaris, unde deducunt auctores posse ad libitum Celebrantem, ut dicat preces, *aut* directe a parte Evangelii descendere *aut* prius ad medium altare accedere (2) ; ast *semper* esset ad medium altare accedendum si calix ante recitandas preces iam posset accipi.

d - Tandem unanimis, ni fallor (3), hac in re est auctorum consensus v. g. MARTINUCCI, *Manuale S. Caeremoniarum*, vol. I, pag. 367 ; GATTERER, *Praxis celebrandi*, no. 187, 2, 3 ; HARTMANN, *Repertorium rituum*, p. 373 ; MENGHINI, *Le SS. Ceremonie*, p. 180 ; *Il nuovo Baldeschi*, p. 38 ; CAPOFERRI, *Caer. missae privatae*, p. 135 ; MORETTI, *Caeremoniale*, no. 423, 424 ; CALLEWAERT, *Caeremoniale*, no. 156 ; VAN DER STAPPEN, *S. Liturgia*, III, Q. 324, 5 ; DE HERDT, *S. Lit. praxis*, I, no. 295 ; *Ephemerides liturgicae* XLV, (1931), p. 416.

Traiecti-ad-Mosam HUB. BEIJERSBERGEN, S. I.

---

(1) *Praxis celebrandi*, no. 187, 2, 3.

(2) « Discende *obliquamente*, non essendo prescritto di ritornare prima in mezzo, avanti alla mensa dell'Altare (D. 3637, VIII) ». — MENGHINI, *Le SS. Ceremonie*, p. 180. — MARTINUCCI, *Manuale S. Caer.*, Pars I, vol. I, p. 367 dicit : « Quin redeat ad medium... descendit » et in nota allegat decr. S. R. C. no. 3637, VIII.

(3) MÜLLER, *Zeremonienbüchlein*, p. 75, quin ullum argumentum praebeat addit restrictionem : « wenigstens wenn man die Gebete laut mit dem Volke verrichtet ».

Periodicorum *sociis pium obitum nuntiamus clarissimi Ephemeridum Conditoris, magni Doctoris, dulcissimi Patris* ARTHURI MARIAE THEODORI VERMEERSCH, *e Societate Jesu, qui annos septuaginta et septem natus pretiosissimam vitam posuit die duodecima Julii anni millesimi nongentesimi trigesimi sexti.*

Post omnia quae de egregii viri vita et praeclare gestis ubique iam scripta sunt iterum vitae cursum contexere cum supervacaneum videatur, id unum nostrum esse duximus ut cum Ephemeridis sociis, qui vix non omnes amantissimo Patri intimae necessitudinis vinculis adstringe-

bantur, commotos doloris sensus communicemus, omnesque enixe rogemus ut supplices preces pro animae eius requie nobiscum fundant.

Adsit e caelis Ephemeridis Auctor laboribus nostris; ipse optavit ut eo modo opus continuaretur quo ultimis annis iam fecimus et in posterum facere nitemur; ipseque pium IESUM precetur ut eo conatus nostros dirigat, quo semper ipse omnia sua defixa habebat: ad maiorem DEI gloriam.

REDACTIO

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Sanctus Bellarminus Episcopus de frequenti Communione

Duos ante annos edidi in *Periodicis* propositionem S. Roberti Bellarmini de Communione frequenti (1) quam conscripsit quo anno ordinatus est sacerdos.

In propositione illa iuvenis Doctor claris verbis exprimit unicam viam Ecclesiae reformandae esse S. Eucharistiae usum frequentem (2).

Quod autem studio Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum intime sibi persuasum habebat, non in cordis secreto retinuit, sed palam coram hominibus professus est. En verba quaedam iam anno 1570 directa ad studiosos celeberrimae Universitatis Lovaniensis (3):

« Multi sunt in hac urbe, qui praeclare et magnifice de tanto Sacramento loquuntur et sentiunt, et illud certatim honorare contendunt. Sed mihi credite, illi maxime hoc honorant, qui ipsum pura atque integra conscientia frequentare student. Et cur, obsecro, tantum

(1) *Periodica* XXIII (1934) p. 209*-217*.

(2) *Loc. laud.* p. 215.

(3) *Cont.* 37, Dom. 2 post Pent. infra Oct. Corp. Christi, ed. Col. 1615 p. 330, ed. Napol. V, 2 p. 256. De hac celebri contione, cf. *Autobiographiam* Bellarmini cap. 23 et SEB. TROMP S. I., *S. R. Bellarmini liber de locis communibus*, p. 13-19: *Textus et Documenta*, ser. theol. 17, Romae (Pont. Univ. Gregor.).

in nobis refrixit charitas? Cur vita et mores nostri tantum absunt a vita et moribus primorum illorum Christianorum, ut illi veri, nos depicti Christiani (4) esse videamur? Nisi quia obliti sumus comedere panem nostrum: illi vero, ut ab Apostolis didicerant, quotidie ad hunc utilissimum et saluberrimum cibum accedebant. Inde nimirum fortes, inde robusti, inde alacres, inde ad martyrium et omnes labores subeundos idonei erant. Illorum ergo similes esse studeamus in terris, ut consortes quoque esse mereamur in coelis per Christum Dominum nostrum ».

Semel tantum in anno et quasi coacte communicare, ut sincere dicam, Bellarmino non magis est impletio officii gravissimi, quam signum quoddam reprobationis. In contione octava *de Tribulatione*, Lovanii habita feria altera Paschatis anni 1573 (5), aperte declarat non tantum haereticos, sed ipsum quoque diabolum omnibus quibus potest modis fidelibus suadere conari, ut quam rarissime, ut semel in toto anno, ad sacram mensam accedant. Et senex componens *Explanationes* in epistolas Paulinas sic lamentatur (6):

« Multi confitentur peccata in hebdomada sancta, quia sic est consuetudo in Ecclesia Christiana, non autem quia pungit eos conscientia, quia poenitet eos vitae prioris, quia vere cupiunt in gratiam cum Deo redire. Alii communicant Corpori Domini in Paschate, quia timent excommunicationem, non autem quod vere esuriant panem vitae, alioqui per omnem vitam numquam ad sacram illam mensam accessuri, si censuris ecclesiasticis et confusione apud populum non coge-

(4) Imago praedilecta Bellarmini, cf. *Periodica* loc. laud. p. 215.

(5) Colon. ed. 1615, p. 648; ed. Napol., V, 2 p. 256. Contio haec habita est anno 1573, quia commemoratur inundatio Diliae eiusdem anni. Errore in margine editionis primae legitur 1574.

(6) Arch. P. U. G. 384, fol. 373v. Explanationes S. Roberti in epistolas Paulinas, hucusque inobservatae et ineditae, inveniuntur sparsim inter sermones Capuanos. Explanatio citata in 2 *Cor.* 9 et 10 conscripta est anno 1613-1615.

rentur. Isti igitur currunt in incertum et bravium non apprehendunt ».

Eodem modo in contione quadam Capuana (7) exponit, multos Christianos interrogatos, an concupiscant patriam coelestem, respondere affirmative, sed convinci mendacii. Quod enim nauseant ad manna de coelo, patere, cum vix multi adduci possint, ut saltem singulis annis communicent. Et in sermone alio (8) notat triste factum, multos Capuanos dicere se fidem habere, sed factis ostendere, se potius non credere, cum irreverenter vel tam raro communicent: eos non accurrere ad Eucharistiam, sed egere baculo.

Christiani gravissimum munus est singulis annis communicare. Qui autem semel singulis annis communicat, a Bellarmino non facile habebitur *bonus* Christianus. « Ogni *buon* Christiano dovrebbe communicarsi *almeno* una volta al mese », ita patronus catechistarum (9).

Inter sermones pastorales, quos Bellarminus Episcopus ad gregem Capuanum direxit, esse quasdam gemmas pretiosas, lectoribus *Periodicorum* ignotum non est. Mea autem opinione sermones isti omnes pulchritudine et unctione vincuntur oratione, quam de Communione frequenti habuit in Ecclesia Cathedrali anno 1603 dominica tertia post Pentecostem. Est oratio, ut ex manuscripto patet, recompositio quaedam sermonis iam antea habiti, quem secundum formam definitivam, nunc prima vice in lucem edo (10). Ut et antea feci, ipsum textum aliis verbis Bellarminianis, hucusque ineditis, illustrabo.

---

(7) Arch. P. U. G. 384, fol. 630v-631r.

(8) Arch. P. U. G. 384, fol. 576r et 579v.

(9) *Dottr. Crist. breve*, ed. Vivès XII. p. 270; Cf. *Dottr. Crist. più copiosa*, ibid. p. 321 : *converrebbe farlo più spesso secondo il consiglio del confessore.*

(10) Arch. P. U. G. 384, fol. 581r-586v.

« *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis* » [I *Petr.* 5, 7]

Haec sententia sequitur post illam, quam exposuimus dominica superiore (11). Volumus exponere hanc sententiam et applicare ad fiduciam, quae debet poni in Sanctissimo Sacramento; deinde tractare de frequenti usu Sacramenti; et ultimo de praeparatione.

[I — *De fiducia Sacramenti*]

Beatus igitur Petrus, postquam dixit: *Humiliamini sub potenti manu Dei*, dicit: *Omnem sollicitudinem proicientes in eum.*

Utile praeceptum, si credatur et impleatur. Quicumque es in hoc mundo, non cares sollicitudine, quae te angit. Collige ergo omnes sollicitudines, quas habes de victu, de vestitu, de honore, de uxore, de morbo, de morte etc. Fac inde fasciculum et proice in sinum Dei et securus esto, quia omnia bene succedent. Non dico, ut nihil agas, sed ut agas, quod scis et potes, sed cum pace animi sine anxietate, ita ut cum feceris, quod scis et potes, confidas in Deo et secure dormias.

Unde nos certos facis? — Ecce tibi tres testes: Primus David [*Ps.* 54, 23]: *Iacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet.* Iste loquitur, doctus a Deo et ab experientia, quia fuit in maximis angustiis et periculo vitae saepissime; et quia fecit, quod dixit, ex paupere pastore ovium factus est rex magnus, et in senectute bona reliquit filios, haeredes regni etc. — Secundus est Christus in Evangelio [*Matth.* 6, 31]: *Nolite solliciti esse, quid manducabimus, quid bibemus, quo operiemur etc.* Iste, qui ita loquitur est Veritas, unde non potest fallere. Et tamen dignatur rationibus

(11) Arch. P. U. G. 384, f. 575r-579v.

tibi persuadere: quia Deus pascit aves, quae non serunt neque metunt (fol. 581^{v}); quia vestit lilia agri, quae non sciunt nere neque serere; quia pascit gentiles; quia vult vobis dare regnum etc. — Tertius testis est Petrus [1 *Petr.* 5, 7], qui didicerat ex Davide et ex Christo, et expertus erat in se multis annis discurrendo per mundum sine pecuniis, dives in fide et fiducia. Ideo concludit securissime: *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.*

Sed haec veritas probatur adhuc magis ex Sacramento Eucharistiae. Nam si vere Christus adest, et venit ad nos, et manet in nobis: quomodo non erit tutissimum iacere in illum omnem sollicitudinem? Una tantum sollicitudo sit: dignum et saepe eum recipiendi, et omnem aliam in illum proicere licet. Immo etiam hanc sollicitudinem in eum proicere poteris, modo facias quod in te est sine anxietate et turbatione.

Quod ita sit, probatur. — Nam si arca Dei, manens in domo Obededom, implevit illam domum omnibus bonis, ut Scriptura dicit 2 *Reg.* 6, 12: *Benedixit Dominus Obededom et omnia eius propter arcam;* si angelus Raphael, manens aliquamdiu cum Tobia, tam multa toti illi domui contulit, ut diceret Tobias senior [*Tob.* 12, 3]: *Per eum omnibus bonis repleti sumus;* si Elias divertens ad domum viduae, multiplicavit illi farinam et oleum et suscitavit filium eius mortuum [3 *Reg.* 17]: quid fieret, si saepe Christus ipse verus Deus ad nos intraret? Semel intravit in domum (fol. 582^{r}) Zachaei et totam domum eius salvavit [*Luc.* 19, 1-10]: quid fieret si saepe ad nos intraret?

Praeterea Christus per Eucharistiam non simpliciter intrat in domum nostram, sicut arca vel angelus vel Elias vel ipse Christus in domus, de quibus dictum est, sed longe mirabilius.

Primum enim per Eucharistiam admittit nos ad mensam suam. Si rex pauperum hominem admitteret ad suam mensam, quandocumque pauper ille vellet, sine dubio non daret illi solum cibum, sed etiam vestes et alia necessaria ad comparandum coram se. Et nemo esset, qui non eum honoraret et respectaret tamquam regis familiarem. Sic igitur Christus admittens ad mensam, dat cumulum omnium bonorum; *Parasti*, inquit David [*Ps.* 22, 5], *in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Nam ipsi etiam daemones timent eum, quem vident assidere tam divinae mensae.

Nec solum admittit ad mensam, sed fit ipse cibus noster et proinde tamquam mater lactat nos proprio lacte, ut bene notat Sanctus Chrysostomus (12). Sicut enim lac est substantia carnis, sed accommodata ad usum infantium, qui non possunt carnem integram comedere: sic etiam, quia nos sumus infantes respectu beatorum, et non sumus capaces cibi illorum in propria forma, dat nobis veram carnem et veram divinitatem, sed in specie sacramentali, cuius capaces sumus (13). Quanta est haec benevolentia, quanta dignitas, ut velit esse sapientia divina nutrix nostra! Si infans uteretur ratione, nonne tutissime posset confidere in matre, quae proprio lacte illum pascit?

Nec solum nos pascit propria carne, sed vult nobis ita uniri, ut fiat unum corpus nobiscum. Hoc

---

(12) Ioan. Chrysost., *In Matth.* hom. 82, 5: *MG* LVIII c. 744.

(13) *In Matth.* 24, 28, Dom. 4a post Pent. (anno 1601), Arch P. U. G. 384, fol. 700r-700v: « Qualis illa dulcedo (visionis beatificae) erit, nunc experiri et multo minus explicare possumus, quia in cor hominis non ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se. Tamen habemus aliqua signa. Primum est Sacramentum Corporis Domini, ubi habemus cibum illum coelestem, de quo angeli comedunt. Unde dicitur [*Ps.* 77, 25]: *Panem angelorum manducavit homo.* Sed habemus involutum duplici cortice. Nam divinitas est involuta in humanitate et humanitas in Sacramento: nec possumus in hoc mundo vesci Deo, nisi cum isto cortice. Et tamen multi Sancti, gustantes hunc cibum prae dulcedine fiebant quasi ebrii, ut patet de Sancto Francisco, de quo dicit Sanctus Bonaventura: *Flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis etc.* ».

enim significat illud [*Ioan.* 6, 55]: *Qui manducat meam carnem, in me manet et ego in eo.* Amantes complectuntur se in signum, quod vellent unum fieri, si possent absque laesione. (fol. 582 v); Christus invenit modum, quo id sine laesione fieret. Proinde qui ita nos amat, ut unum nobiscum fieri velit, quomodo non poterimus tutissime illi fidere? Fit enim Christus per hoc sacramentum Caput nostrum, et nos membra eius non tantum fide et charitate, sed realiter, ut dicit Chrysostomus (14), et naturaliter, ut dicit Hilarius (15). Quod autem est caput, quod non provideat diligentissime omnibus membris?

Adde, quod in hoc Sacramento non quomodocumque datur nobis Christi caro, sed ut immolata pro nobis in cruce. Ideo enim Apostolus 1 *Cor.* 10, 19 comparat mensam Domini cum altari gentilium; et prohibet, ne comedant de immolatis idolorum, qui comedunt de carne Christi immolata Deo nostro. Et cap. 11, 24 aperte dicit in hoc Sacramento fieri memoriam mortis Christi, et sic declarat illud verbum: *hoc facite in meam commemorationem* (16). Unde et Sanctus Augustinus lib. 9 *Confessionum* cap. 13 dicit de matre sua, quod allegaverat animam suam ad Sacramentum pretii nostri, unde noverat dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Itaque quando communicas, dicitur tibi realiter, Christum esse mortuum pro te et applicare tibi meritum mortis eius. Et tunc potes di-

---

(14) Ioan. Chrysost., *In Matth.* hom. 82, 5: *MG* lviii c. 743-744 et *In Ioan.* 46, 2-3: *MG* lix c. 260: κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα (realiter).

(15) Hilar., *De Trinit.* 8, 13-14: *MG* x c. 247: *quomodo non naturaliter in nobis manere exsistimandus est.*

(16) *Serm. in Luc.* 14, 6, Dom. infra Oct. Corp. Christi (anno 1602 vel 1604): Arch. P. U. G. 384, fol. 560v: « Est cibus suavissimus, quia dum homo considerat realiter sibi uniri Verbum incarnatum, cogitat cum incredibili suavitate Verbum ex nimio amore voluisse incarnari, et Verbum incarnatum, cucurrisse ad mortem pro nostra salute, et se ipsum nunc dare in pignus veri amoris et vitae aeternae. Qualis delectatio est, videre se diligi a tali Sponso et tanta signa dilectionis haberé ».

cere cum Paulo [*Gal.* 2, 20]: *Christus dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Quod si tibi dedit vitam suam et seipsum, quomodo non dabit omnia alia? Sed si haec sunt vera, unde est, quod sumus tam mi- (fol. 583r) seri et tot bonis caremus tum animi tum corporis? Quia vel raro communicamus, vel indigne communicamus.

Videamus igitur, quam frequenter sit communicandum, et postea, qua praeparatione. (fol. 583v)

[II — *Quam frequenter est communicandum?*]

Ecclesia habuit varias consuetudines. In Africa, in Italia et Hispania quotidie, ut refert Cyprianus *de Oratione Dominica*, Ambrosius lib. 5 *de Sacramentis*, S. Hieronymus in *Epistola* ad Lucinium Baeticum, et S. Augustinus in *Epistola* 118 ad Ianuarium (17). In Graecia singulis dominicis et festis et praeterea feria quarta et sexta et sabbato, ut refert S. Basilius in *Epistola* ad Caesariam Patritiam, et S. Ioannes Chrysostomus hom. 5 in priorem *ad Timotheum* (18).

Sed consuetudo universalior et ab omnibus laudata est, ut singulis dominicis omnes communicent. Ita tradit S. Iustinus in Apologia 2ª, ubi (19) dicit diebus dominicis omnes convenire solitos ad ecclesiam, ad lectionem, concionem, communionem et eleemosynam faciendam, et quod [ad] absentes ob aliquam necessitatem mittebatur Eucharistia per diaconos, ut omnes die dominico communicarent. S. Hieronymus

(17) Cyprian., *De dom. orat.* 18: *ML* iv c. 531; Corp. Vind. 105, 3, 1 pag. 280; Ambr., *De Sacr.* 5, 4: *ML* xvi c. 452; Hier., *Ep.* 71, 6: *ML* xxii c. 672; Aug., *Ep.* 118 (nunc 54) 3, 4: *ML* xxxiii c. 201. Cf. P. Browe, s. i. *De frequenti Communione in Occid.: Text. et Doc.*, ser. theol. 5. Romae (Pont. Univ. Gregor.) 1932.

(18) Basil., *Ep. ad Caesar.*: *MG* xxxii c. 484; Chrys. *In I Tim.* cap. 1, hom. 5, 3: *MG* lxii c. 529-530.

(19) Iust., *Apol.* 1, 67: *MG* vi c. 429.

in apologia *contra Iovinianum* non laudat nec vituperat, quod saeculares quotidie communicent et in caput quartum *ad Galatas* laudat, quod communio fiat singulis dominicis (20). Augustinus *de ecclesiasticis dogmatibus* cap. 13: *Quotidie communionem percipere nec laudo nec vitupero ; singulis tamen dominicis suadeo et hortor* (21). Basilius et Chrysostomus, qui hortantur communicare saepius in hebdomada, primo loco ponunt diem dominicam. Cyprianus serm. *de oratione dominica,* et Ambrosius lib. 5 *de Sacramentis* cap. 4 hortantur ad communicandum quotidie. Ergo multo magis singulis dominicis (22). (fol. 584r) Sed si qui nolunt, saltem nemo deberet diutius differre quam per mensem.

Ratio idem probat, quia institutum est hoc Sacramentum in specie panis, et vocatur panis et caro [*Ioan.* 6, 52]: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* In cibis corporalibus cibi magis ordinarii et substantiales sunt panis et caro. Et sicut qui longo tempore ab his abstinent et nutriuntur herbis aut fructibus, macescunt, pallescunt, debiles fiunt ad operandum et ferenda onera et bellandum, ita etc.

Denique idem experientia docet. Nam Ecclesia, quae initio communicabat frequenter, ferventissima erat; et — ut dicit Chrysostomus — surgebant ab ista mensa tamquam leones ignem spirantes. Et postea paulatim cessante usu frequenti huius cibi, Ecclesia facta est debilis et deformata. Ideo modus reformandae Ecclesiae non videtur esse alius quam reversio ad frequentem usum Sacramentorum (23). Qui enim saepe communicant, saepe etiam confi-

(20) HIERON., *Ep.* 48, 15: *ML* XXII c. 506; *ad Gal.* II, 3 (4, 11): *ML* XXVI c. 405.

(21) [AUGUST.], *De eccl. dogm.* 23 (nunc 53): *ML* XLII c. 1217.

(22) Vide supra notas 17 e 18.

(23) Cf. *Periodica* XXIII (1934) p. 215.

tentur ; et nisi sint omnino deplorati, cessant ab usuris, a concubiniis, a blasphemiis etc. (24)

« At multi saepe communicant et non proficiunt ! » Immo : qui raro communicant, pessimi sunt et numquam proficiunt. Ex iis, qui saepe communicant, multi valde proficiunt. Si aliqui parum proficiunt, est ex indispositione.

« At difficile est tam saepe se disponere ! » Immo facile est. Et difficillimum ac fere impossibile se bene disponere semel tantum in anno.

[III — *Qua praeparatione communicandum*]

Sed videamus nunc, quid requiratur ad digne communicandum.

Duplex est dignitas : una absolute aequalis, altera aequalis secundum proportionem. Illa est absolute aequalis, quae respondet dignitati personae, quae recipitur ; et hoc modo nemo est dignus, etiamsi habeat puritatem Angelorum et Sancti Ioannis Baptistae sanctitatem. Et hoc modo dicimus : *Domine, non sum dignus* [*Matth.* 8, 8] (fol. 584^{v}), quomodo Ioannes dixit [*Luc.* 3, 16] : *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* Dignitas proportionis est, quae respondet viribus recipientis, quando recipiens facit, quod potest et quod requirit ipse qui recipitur. Et hoc modo possumus digne recipere vel saltem non indigne. Et de hoc modo dicit Apostolus [1 *Cor.* 11, 27] : *Qui indigne manducat, reus est Corporis Domini*, et rursum [vers. 29] : *Qui indigne manducat, iudicium sibi manducat*, id est : condemnationem.

Ad recipiendum digne hoc secundo modo, duo re-

(24) *Serm. in Invent. Cruc.* (Martianisis 1603 vel 1604) : Arch. P. U. G. 385a, fol. 53r : « Et vere Sacramentorum frequentatio est optima medicina : confessio semel generalis et confessio particularis frequens, quia augetur gratia et homo erubescit eadem dicere ; et frequens communio, quia sollicitudo praecedens et gratia subsequens multum prosunt ».

quiruntur, quae Sanctus Paulus ponit in epistola : nimirum ut iudicemus nos et iudicemus Corpus Domini et addit [vers. 30], quod nisi iudicemus bene, Deus iudicabit nos in hoc mundo et in alio. *Probet seipsum homo*, id est : discutiat se et diiudicet. Sic enim ipse declarat : *Si nosmetipsos iudicaremus, non utique iudicaremur.* Itaque examinanda est conscientia et si invenitur peccatum mortale, confessione purganda est, ut Concilium Tridentinum (25) declarat. Hoc enim Sacramentum, licet sit medicina quaedam, ut omnia alia Sacramenta, non tamen est medicina proprie febricitantium, sed convalescentium, quos confortat, roborat, pinguefacit etc. Ratio est, quia qui accedit ad mensam Domini, profitetur se esse amicum et familiarem. *Cum discipulis meis*, inquit [*Matth.* 26, 18] *facio Pascha* (fol. 585^{r}). Ideo qui est inimicus et accedit, est proditor sicut Iudas, et mallet Christus, amator puritatis, proici in lutum, quam in animam peccatricem. Ideo Paulus clamat [1 *Cor.* 11, 27], quod qui accipit, *reus est corporis Domini et iudicium sibi manducat.* Gravissimum est hoc peccatum, quia est iniuria in ipsum Christum immediate. Unde in principio Ecclesiae Deus mox puniebat morte vel gravi aegritudine indigne accedentes, ut Paulus dicit [vers. 30]. Et Cyprianus refert in *Sermone de lapsis* (26) mulierem indigne accedentem, dum ipse daret communionem, continuo cecidisse mortuam, ac si gladium accepisset in gutture. Nunc id non fit, et est pessimum signum. Quia tunc puniebat in hoc mundo, ut non puniret in alio. Dum iudicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. At nunc videtur non existimare nos dignos correptione temporali. Non tamen di-

(25) *Denzinger* 880. Cf. etiam *Serm. in Luc.* 14, 6, Arch. P. U. G. 384, fol. 563v : « Si magni labores et sumptus faciendi essent pro acquirenda communione, certe fieri deberent. At nunc solum requiritur, ut mundes conscientiam a peccato, quod etiam alias est necessarium ».

(26) Cypr., *De lapsis* 25 : *ML* iv c. 484-485.

cit Paulus: *non sis cum peccato*, sed: *proba te ipsum* Nam non cogit te ad impossibilia. Forte habes peccatum et es oblitus. Non cogit te, ut facias quod non potes, sed quod potes, examinando te et confitendo. Si habes peccatum et ignoras, si ignorantia est culpabilis, quia debuisti scire, non excusaris. Si oblitus es, et non te examinasti, non excusaris etc. Sed si etc.

Secundum iudicium est circa Corpus Domini, ut cogites esse vere Christum, quem recipis; et ideo cum timore reverentiaque accedas. Ideo enim non datur infantibus nec stultis, qui non diiudicant Corpus Domini.

Sed praecipua praeparatio est amor et desiderium sive fames tam necessarii et tam pretiosi cibi. Ista enim fames facit levem laborem examinis, confessionis, restitutionis, orationis, ieiunii etc. Sicut vere famelicus cibi corporalis libenter expendit pecunias ut emat, libenter sumit laborem quaerendi panem, libenter suffert verecundiam manducandi etc. Ideo ad hoc nos hortantur Patres. S. Ignatius *Epist.* 10 ad Ephesios: *Festinate frequenter ad Eucharistiam accedere.* Chrysostomus adfert (fol. 585^{v}) similitudinem infantis, qui maximo impetu fertur ad mammillas matris, quia lac est illi pro omni cibo et ideo avidissime illud sugit (27). Sanctus Franciscus flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullorum.

« At si fames est optima dispositio, bonum erit raro sumere! Cibus enim quo rarius sumitur, eo magis appetitur ». Id verum est in cibo corporali, qui

(27) Ignat., *Ad Ephes.* 13: *MG* v c. 656, collocata epistola interpolata, ibid. p. 745; Chrys., *In Matth.* hom. 82, 5: *MG* lviii c. 744. Cf. *Serm. de S. Andrea* (anno 1604), Arch. P. U. G. 385v, fol. 189r: « Hic cibus facit homines similes Christo. Plus enim saepe confert nutrix quam mater. Mater parit filium minimae quantitatis; sed nutrix auget illum et facit triplo maiorem. Et quale est lac, talis evadit complexio pueri. Sic qui nutriuntur lacte corporis Christi, fiunt illi similes in humilitate, patientia, charitate etc. Spiritus enim est, qui facit homines spirituales et animosos etc., et Spiritus Christi hauritur, quasi lac ex mammilla, ut dicit Chrysostomus, ex sacra Communione ».

replet stomachum et suffocat calorem naturalem. Sicut etiam omnia sensibilia immoderata laedunt sensum: magnum lumen excaecat, magnus (fol. 586[r]) sonus surdum facit, magnus calor comburit manum; multus cibus suffocat calorem naturalem etc. Sed si cibus aliquis dilataret stomachum et augeret calorem, quo magis sumeretur, eo magis appeteretur. Talis est cibus mentis: non laedit, non replet, non suffocat, sed dilatat, auget etc. *Qui edunt me, adhuc esurient* [*Eccli.* 24, 29].

Totum negotium consistit in gustando. Qui enim non gustat, non facile credit esse rem tam bonam, et ideo non appetit (28). Sed qui semel gustavit, rapitur amore et non potest sibi temperare. Hinc est quod aliqui debent cogi ad abstinendum, qui gustarunt et experti sunt. Nihil est simile in caelo et in terra!

Sanctus Thomas, Sanctus Antoninus et alii quotidie communicabant; et hoc non contenti audiebant aliam Missam, ut saltem alium viderent comedentem etc. Et aliis grave est semel Missam dicere, et si desit stipendium malunt otiari. Unde hoc? Quia non gustant. Et quare non gustant? Quia habent os plenum malis humoribus, et stomachum plenum glandibus et cepis et alliis (29). Sed si semel deliberarent evacuare malos humores per verissimam conversionem et inciperent puro corde manducare coeleste manna, daret illis Deus gustare etc. Oro, ut saltem experiamur. (fol. 386[v])

---

(28) *Ad novitios* (anno 1599?), Arch. P. U. G. 384, fol. 557r: « In magna parte mundi homines amiserunt gustum huius coenae, et ideo non vadunt nisi coacti praecepto Ecclesiae. Et quia quod non sapit, non nutrit, ideo sunt homines tam debiles, ut minimis tentationibus succumbant ».

(29) *In 1 Cor. 10, 6,* Dom. 9a post Pent. (anno 1603), Arch. P. U. G. 384, fol. 631r: « Sicut manna erat melior cepis. . . sic S. Communio reficit animam et dat vitam aeternam corpori, et habet omnem saporem, si palatum non sit corruptum ». Cf. *Num.* 11, 5.

Ultimo requiritur quies in comedendo et post comestionem. *Surgite, postquam sederitis, quia manducatis panem doloris etc.* [*Ps.* 126, 2].

* * *

Hucusque Bellarminus.

Parva haec oratio potius meditanda est quam legenda. Et meditanti eam facile apparebit, quid ipsi Bellarmino fuerit Sacra Communio. Nemo ipso melius continua sciebat experientia, Eucharistiam esse panem de coelo omne delectamentum in se habentem. Et hac de causa quasi spontanee ex corde eius exsurgit haec lamentatio (30): « Haec est maxima poena in hoc mundo, quando Deus in poenam ingratitudinis privat homines gustu Eucharistiae et rerum spiritualium. Et hoc nunc experimur, quia oportet compellere homines ad Sacramentum, quasi ad amaram medicinam! Et tamen si haberemus palatum animae sanum, nullus maior dolor nobis esset quam privari hoc cibo ».

Amor Eucharistiae Bellarminum quoque instigavit, ut Sacram Communionem distribuendam curaret cum maxima verecundia accipientium. Hac in re erat rigorosissimus. Utinam et hodie omnes pastores eodem rigore procederent absque respectu humano erga ditiores, quorum indigent eleemosynis. Sic ipse (31): « Si om-

(30) Sermo *in Luc.* 14, 16, Dom. infra Oct. Corp. Christi (anno 1602 vel 1604): Arch. P. U. G. 384, fol. 563v.

(31) Sermo *in Evang. Quinquag.* (anno 1604): Arch. P. U. G. 384, fol. 439v. Vide etiam serm. *in Nativ.* (anno 1604): ibid. fol. 138r: « Tempore nostro Card. Borromaeus publico edicto et sub poena interdicti Ecclesiae iussit, ut omnes mulieres, etiam nobilissimae, non intrarent ecclesiam, nisi velatae, ita ut capilli non viderentur. Et tamen illa civitas est amplissima et plena nobilibus. Ego non id facio, quia nec tanti sum apud vos, nec populus est tam docilis, ut sperem obtinere. Sed facio, quod faciebant Chrysostomus et alii Sancti Patres, et quod Isaias propheta, qui non faciebant leges, sed saepe reprehendebant istas vanitates, quae venerunt ex Asia et Perside et Indiis, non ex more Christiano vel etiam ex more Romanorum, et sunt vere genus stultitiae. Quid opus est fatigare aures novo onere pendentium, quasi non potuisset Deus addere aliquid, si utile fuisset. Expecto, ut etiam ad nares aliquid appendatur, ut fit in Indiis ».

nes confessarii et curati decernerent, non audire confessiones neque dare communionem, nisi videlicet personis in habitu decenti, optime facerent. « At viri sic volunt, ut uxores accedant ornatae! » Nescio an sit verum. Unde sic: Quando ad viri domum accedis, [transeat]; sed quando ad domum Sponsi coelestis, quae est ecclesia, et ad mensam eiusdem Sponsi, quae est Communio, et praesertim ad petendam veniam ab eodem in confessione, veni ut placet Sponso coelesti! Cui certe non placet, ut perdas tantum temporis et tantum pecuniae, ut te ornes in detrimentum animae tuae et aliorum ».

Utinam et hisce nostris temporibus, quibus ubique terrarum efflorescit Actio Catholica, quae est collaboratio laicorum cum clero in dilatando Christi imperio, omnes cum pastores tum oves plene sibi persuasam haberent, Bellarmini quae est de frequenti Communione doctrinam. Nam Papa est qui plantat et rigat; est autem quae incrementum dat voluntaria Spiritus Sancti pluvia. « Per Sacramentum autem », dicit Sanctus Episcopus, (32) « quae sunt veluti canales, ad nos descendit aqua coelestis, quae est Spiritus Sanctus. Quare quo magis haec frequentantur, eo magis crescit in nobis gratia Spiritus Sancti, et ipse Spiritus firmius manet in nobis ».

In antiqua Ecclesia laici erant synathletae Apostolorum. Undenam? Respondit Bellarminus (33): « Post ascensionem suam dedit Christus (Apostolis) magistrum Spiritum Sanctum, a quo didicere unum mirabile documentum ad amorem Dei augendum et stabiliendum. Id fuit quotidie communicare! »

SEB. TROMP, S. I.

---

(32) *Serm. de Spir. Sancto* (anno 1608): Arch. P. U. G. 384, f. 541r.
(33) *Sermo de S. Andrea* loc. laud., not. 27.

Novissimum responsum S. Officii de dubio baptismo relate ad matrimonium ante diem 19 Maii 1918 contractum

Iam non semel in his periodicis actum est de praesumptionibus legalibus in ordine ad impedimentum *disparitatis cultus,* ubi agitur scil. de baptismo dubie valide suscepto, v. g. in *Periodica* XVII (1928) p. 154* ss.; XX (1931) p. 10* ss. Liceat mihi, praecipue propter valde recens particulare responsum S. Officii diei 15 Maii 1936, iterum paucis hanc materiam proponere.

1 - Ante diem 19 Maii 1918 communiter inter auctores in serio dubio sive facti sive juris circa baptismum valide susceptum tenebatur praesumptio juris ecclesiastici pro foro externo saltem in favorem baptismi validi in ordine ad validitatem matrimonii; responderat enim S. Officium 17 Nov. 1830 ad 2 (*Collect. S. C. de P. F.*, N^0 821) « quod si dubium persistat.... censendum est validum baptismum in ordine ad validitatem matrimonii », atque plura responsa S. Officii nullum declaraverant matrimonium inter partem non-baptizatam et dubie baptizatam propter disparitatis cultus impedimentum (cf. S. Off. 18 Dec. 1872 N^0 1392; 14 Julii 1880 ad 1 N^0 1536; 4 Febr. 1891 N^0 1746; 10 Junii 1896 N^0 1940).

Invaliditatem horum matrimoniorum cl. ARENDT (1) potius explicat ex praesumptione iuris de iure divino, cum ex solide probabili baptismo habeatur certa subjectio legibus ecclesiae, cui sententiae favere videntur verba S. Officii 4 Febr. 1891 (N^0 1746): « Qui valide aut *dubie* baptizati fuerint, ii subsunt impedimentis etiam iure ecclesiastico dirimentibus ».

(1) *Jus pontificium* V (1926) p. 133 ss.

2 - Post diem autem 19 Maii 1918, inducto jure novi Codicis, ponitur praescriptum C. 1070 § 2 : « si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut ejus baptismus erat dubius, standum est ad normam can. 1014 pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non ». Saltem si agitur de matrimonio *contracto* communior sententia tenet, in jure ecclesiastico post Codicem in dubio de baptismo non amplius vigere praesumptionem de valore baptismi, sed unice exstare praesumptionem de valore matrimonii (cf. v. g. De Smet, *De spons. et matr.*, N⁰ 587 ; Creusen, in *Periodica* XVII (1928) p. 155* ; Vermeersch, *Theol. Mor.*, II, N⁰ 779; Wernz-Vidal, *Ius Matrimoniale,* N⁰ 270 ; Génicot-Salsmans, *Theol. Mor.*, II, N⁰ 492; Farrugia, *De matr.,* N⁰ 170, etc.).

3 - Num, si agitur de matrimonio ante diem 19 Maii 1918 contracto, perseverante dubio de valide recepto baptismo, praesumptio ecclesiae adhuc perseverat esse in favorem validi baptismi, an hodie in favorem validi matrimonii vigere dicenda est? Si Petrus igitur haereticus, dubie valide baptizatus, anno 1916 contraxit cum Anna non-baptizata, num hodie ejus matrimonium dicendum est invalidum propter disparitatis cultus impedimentum ante diem 19 Maii 1918 vigens inter baptizatum (etiam extra ecclesiam catholicam) et non-baptizatum perseverante praesumptione *validi baptismi*, an potius matrimonium hodie declarandum est validum propter praesumptionem in favorem *matrimonii?*

a - Dici posse videtur communiorem sententiam auctorum tenere etiam in hoc casu mutatam esse praesumptionem legalem ecclesiae, unde post diem 19 Mai 1918 validum reputandum est matrimonium Petri et Annae, quod *ante* diem 19 Maii 1918 ab ecclesia habebatur tanquam invalidum ; « praesumptiones »

enim « legales », ait CREUSEN, (*Periodica* XVII (1928) p. 157*), « regunt facta sub lege anteriori posita ; neque hoc mirum est, cum nova praesumptio legis censenda sit melior priore ». « Proposita autem *nova* praesumptio in favorem matrimonii, a codice inducta » ait DE SMET, (*De spons. et Matr.* N⁰ 587, 1) « applicanda censetur... matrimoniis, de quorum validitate judicandum est inde a Codice vigente, *licet contracta fuerint sub disciplina Codici anteriori* » (1).

b - Putat SCHAEPMAN (2) in nostro casu manere praesumptionem ecclesiae in favorem valoris baptismi, unde invalidum esset matrimonium Petri et Annae ; argumentatur ex canone 10 « leges respiciunt futura, non praeterita » atque ex responso Comm. Cod. 1 Aug. 1918, IV, N⁰ 6 (*AAS* X (1918) p. 346), in quo negatur vis retroactiva quoad sponsalia et impedimenta. Eandem opinionem ex iisdem argumentis tuetur quoque Knecht (3).

Huic argumento videtur tamen opponi posse aliud esse, utrum leges respiciant tantum futura, aliud, utrum ecclesia *nunc* alio modo praesumat circa valorem matrimonii ratione dubii baptismi, qui baptismus etiam nunc adhuc dubium est sicuti olim ante 1918 (4).

Sine dubio ARENDT quoque affirmabit invaliditatem matrimonii Petri et Annae ratione impedimenti disparitatis cultus, non quidem, ut puto, propter perseverantem praesumptionem juris ecclesiastici, sed quia Petrus dubie baptizatus subjectus erat legislationi ecclesiae ; ait enim VERMEERSCH (*Periodica* XX (1931) p. 11*, ad 1) ad quaestionem « utrum ad matrimonia contracta quidem ante diem 19 Maii 1918, sed quo-

(1) Idem sentit v. g. VROMANT, *Ius missionariorum*, tom. V, *De matrim.*, N⁰ 88.

(2) *Ned. Kath. Stemmen*, 1925, p. 56, Not. 1.

(3) *Handbuch des Kath. Eherechts*, p. 397, Not. 4.

(4) Vide explicationem c. 10 quoad nostrum casum traditam a CREUSEN in *Periodica* XVII (1928) p. 157*.

rum causa tantum vigente Codice agitur, praesumptiones novi juris an juris antiqui applicandae sint », hoc modo. « Verum, quod interrogans supponit, mutatam esse praesumptionem, a pluribus admittitur, sed a R. P. ARENDT S. J. (*Ius pont.* V (1926) p. 133 ss.) non immerito, additis rationibus, negatur ».

c - Sententia, quae tenet, quod in casu proposito matrimonium Petri et Annae *nunc*, id est post vigentem Codicem quoque, judicandum sit invalidum propter cultus disparitatem, sive quia perseverat pro hoc casu praesumptio ecclesiae in favorem baptismi, sive quia ex praesumptione juris de jure divino solide dubie baptizatus est subjectus legibus ecclesiasticis, robur forsan accepit ex auctoritate S. Officii propter novissimum responsum datum die 15 Maii anni 1936 episcopo Ruraemundensi. Agebatur enim de matrimonio inter virum A non-baptizatum civiliter inito anno 1900 cum femina B heterodoxa a ministro protestante baptizata; divortio civili obtento, A anno 1908 in ecclesia catholica baptizatus et postea cum C femina catholica civiliter tantum conjunctus, nunc petit matrimonii convalidationem.

De facto baptismi satis certo constabat ex testimonio ministri haeretici, qui anno 1932 rescripsit: « Hisce litteris notum facio feminam B non tantummodo esse baptizatam, sed membrum esse quoque sectae reformatorum *(Hervormde Gemeente)* hujus civitatis ». Certitudo tamen de valore hujus baptismi non habebatur, nam, ut recte notabatur ab oratore in litteris ad S. Officium directis, « plerumque factis investigationibus hujusmodi baptismata in nostris regionibus manent dubia »; immo in genere scribit ARENDT (1). « Nisi in casu particulari facili demonstratione constiterit de validitate vel de invaliditate

(1) *Jus pontificium* V (1926) p. 134.

baptismi collati, haec est condicio baptismorum, qui in sectis acatholicis conferuntur, ut insolubili dubio remaneant incerti, dum tamen penes hosce sectarios habeantur tanquam tessera certa insertionis sectae ».

Orator ulteriores investigationes circa baptismum feminae B collatum non fecit, declaravit tamen S. Sedi sibi moraliter impossibile videri probare hoc baptismum validum fuisse administratum a ministro heterodoxo nunc jam defuncto. Neque orator voluit a S. Sede impetrare declarationem nullitatis matrimonii ab A cum B contracti, ob causam sc. disparitatis cultus, quia, sicuti orator in ipsis litteris ad S. Officium notat: « ab altera parte principium *baptismus dubius in ordine ad matrimonium censetur validus* post Codicem, ne pro matrimoniis quidem ante Codicem contractis invocari posse docent plures graves auctores ». — Petit igitur orator dissolutionem vinculi naturalis matrimonialis in favorem fidei.

Quid autem respondit S. Officium die 15 Maii 1936 episcopo Ruraemundensi?

« Haec suprema Sacra Congregatio, omnibus rite perpensis casus adjunctis, respondendum mandavit: Matrimonium A - B invalidum fuisse ob impedimentum disparitatis cultus ». Quia baptismus feminae B non erat certo validus sed *dubius*, videtur igitur, si agitur de matrimonio ante diem 19 Maii 1918 contracto saltem inter dubie valide baptizatam partem *haereticam* et partem non-baptizatam, juxta mentem S. Officii *nunc* non posse applicari principium praesumptionis valoris matrimonii, de qua agitur in C. 1070 § 2 coll. C. 1014.

Trajecti-ad-Mosam H. BEIJERSBERGEN, S. J.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Thesis probabilismi ex Sto Thoma demonstrata

III

Impugnationes probabilismi et efformatio probabiliorismi et aequi-probabilismi

Ex his quae dicta sunt in articulo praecedenti (1) apparet quomodo parata fuerit via ad probabiliorismum instaurandum. Nunc autem necessarium videtur diligentius, at breviter, tum probabiliorismi tum aequi-probabilismi placita exponere (2).

Quia ante Patrem Concina O. P. nullus probabiliorista ardentior Patre Thyrso Gonzalez, S. J. agnoscitur, liceat nobis ex ipso doctrinam probabiliorismi desumere.

Teste R. P. Deman (3), Gonzalez auctor est ipsius nominis *probabiliorismi*, sub quo, salvis aliquibus omissionibus, principia continentur classicorum moralistarum.

---

(1) Cf. *Periodica* XXV (1936) p. 119*-127*.

(2) Cf. Astrain, *Historia de la Compañia de Jesús en la Asistencia de España*, VI, p. 172 ss.; Pastor, *Geschichte der Päpste*, XIV. Band, 2 Abt. p. 457 ss.; *DTC*, Vol. CXIV-CXV, col. 539 ss.

(3) *DTC, l. c.*, col. 539, 541.

Liber Patris GONZALEZ inscribitur : *Fundamentum Theologiae moralis* id est, *Tractatus theologicus de recto usu opinionum probabilium.* Auctore P. THYRSO GONZALEZ, Theologiae professore salmanticensi, nunc Praeposito generali Societatis Iesu. Romae, 1694 (1).

Scopus libri ab ipso auctore panditur in subtitulo, « in quo ostenditur, ait, ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertatem adversus legem, omnino necessarium esse, et sufficere, quod post diligentem veritatis inquisitionem ex sincero desiderio non offendendi Deum susceptam, opinio illa ipsi appareat, attenta ratione, et authoritate, vel unice verisimilis, vel manifeste verisimilior quam opposita, stans pro lege adversus libertatem ; ac idcirco ab ipso iudicetur vera iuditio absoluto, firmo, et non fluctuante. »

In corpore libri, quindecim propositionibus capitalibus integram materiam tractandam complectitur, ex quibus decem sunt contra theologos benignos (probabilistas), quinque contra rigoristas. Legenti Patrem GONZALEZ statim menti occurret difficultas ex mutationibus in modo proponendi quaestionem introductis (2).

Primo mirabitur quod ut *fundamentum* Theologiae Moralis, proponatur quaestio de recto usu opinionis probabilis, quam apud SUAREZ inter quaestiones de conscientia breviter tractatam invenimus, quin vestigium ullum appareat quo manifestetur SUAREZ vel coaetaneos eius tantum honorem his quaestionibus concessisse.

Postea apparent conceptus opinionis tutae, minus tutae, pro vel contra libertatem. Ipse probabilitatis conceptus et opinionis probabilis necessario inde obscuratur, cum non simpliciter, sed terminis significationis indefinitae : *valde*, *absolute*, *multum*, etc., circumdatus,

(1) Cf. PASTOR, *o. c.*, p. 464.

(2) Origo et compositio libri bene proponuntur ab ASTRAIN, *o. c.*, p. 172-183 ; 316-334.

proponatur. Unde notio probabilitatis, sic confuse proposita, ansam praebuit in infinitum disputandi, quin ad concordiam obtinendam animorum via quaedam certa remaneret.

Hoc tamen culpa solius Patris GONZALEZ accidisse minime asserimus. Magna ex parte tribuendum esse aliis auctoribus, his imprimis, qui veste probabilismi protecti, laxismum seminabant, ultro fatemur. At confusio in opere P. GONZALEZ ita est consecrata ut tamquam seminarium disputationum ad nostra usque tempora opus illud perseveravit.

Maxime propria P. GONZALEZ est ratio proponendi quaestionem, quam totam pendere a gradibus probabilitatis ostendere conatur, ut ipso nomine systema designante clare manifestatur.

Quae ut melius innotescant liceat nobis verbis ipsis P. GONZALEZ quaestionem proponere.

In introductione ad dissertationem secundam, ita loquitur:

« Quia ego verissimum censeo, nemini licitum esse sequi sententiam minus tutam faventem suae libertati, quando opposita ei apparet in actu primo vel absolute verisimilior, vel aeque verisimilis, praesertim auctoritate et ratione simul; seu quando experitur se magis inclinari in actu primo ad illi dissentiendum, quam ad assentiendum, vel inclinari aequaliter ad utrumque, ob pondus maius, vel aequale rationis et auctoritatis simul; vel solius rationis coniunctae cum auctoritate gravium doctorum, qui tuentur opinionem tutiorem: et quoniam ad securum et licitum usum opinionis minus tutae in conflictu tutioris indispensabiliter censeo requiri ut illa in actu primo appareat operanti simpliciter et absolute verisimilior post diligentem veritatis inquisitionem sine passione et affectu pravo obcaecante susceptam; ideo hanc quaestionem facti (utrum sententia benigna sit communis) examinare opere pretium duxi. Quia multum interest scire, in quo sensu locuti sint doctores huius seculi, quos brevitatis causa *probabilistas* appellamus, ut distinguamus a *probabilioristis*, seu ab illis, qui requirunt nobiscum maiorem probabilitatem in opinione minus tuta, ut illa licite uti possimus. Speciali autem titulo Probabilistae nuncupantur auctores

illi benigni, qui ad usum licitum opinionis probabilis minus tutae dicunt, non requiri, quod operans probabiliter assentiatur eius veritati, sed satis habent quod reflexe sciat illam esse probabilem. Nam si nomine probabilistarum intelligamus doctores asserentes non requiri certitudinem, sed sufficere opinionem de honestate actionis, ut illa licite exerceamus, saltem si opinio illa sit absolute probabilior, et sensibiliter magis verisimilis, sic probabilistae sunt non solum auctores huius seculi, sed fere omnes... ».

Ex verbis citatis P. GONZALEZ iam apparet quantum mutatus sit status quaestionis. Titulus probabilismi tribuitur systematibus quae in extremas partes protendunt, omissa mentione probabilismi prout a classicis auctoribus propositus est. Inde confusio frequens inter impugnatores probabilismi, qui specie decepti, contra ipsum afferunt argumenta, quae secundum rei veritatem laxismum tantum attingunt.

Conqueritur iam de hac agendi ratione P. TERILLO, S. J. in opere, *Fundamentum Theologiae Moralis,* seu *Tractatus de Conscientia probabili,* Leodii, anno 1668 edito:

... « utinam qui laxitatem recentiorum impugnandam suscepere, probabilitatis naturam exactius investigassent; utinam vocabula in proprio ac genuino auctorum sensu accepissent... Verum e contra res accidit... *Atque hinc factum est, ut hi sinceram probabilitatem cum adulterina confuderint, plurimaque distinctione dignissima, atque inter se dissimillima, uno eodemque nomine complexi sint.* » (1)

Cum P. TERILLO tamen iterum lectorem monere volumus confusionis occasionem imprimis his auctoribus esse tribuendam, qui veste probabilismi aberrationes laxismi obtegere conati sunt. At dolere sufficienter non possumus quod, « propter terminos nondum bene intellectos, nec in eodem sensu a disputan-

(1) *O. c.*, Praefatio ad lectorem.

tibus acceptos, sincerum veritatis triticum a vertiginoso erroris lolio difficulter dignoscatur » (1).

Controversia tamen non est de mero nomine. Principia probabiliorismi irreconciliabili modo a principiis probabilismi separantur, ut ex fideli illorum expositione patebit.

Ad duo reducuntur principia a P. GONZALEZ proposita: primum respicit usum opinionis probabilis, alterum conceptum ipsum opinionis probabilis.

Primum sic proponit P. GONZALEZ: *Ut quis possit secundum sententiam minus tutam operari, requiritur et sufficit, « probabilitas saltem maior, vi cuius operans, iudicio absoluto, prudenter sibi persuadeat rem esse licitam et legi Divinae conformem etsi hoc iudicium sit mere opinativum et ex se non excludens omnem formidinem* » (Diss. 1, n. 45).

Secundum principium: *Ut opinio sit probabilis requiritur ut, post diligentem inquisitionem, talis ac tanta appareat verisimilitudo circa honestatem actus contra legem, ut clare et manifeste superet verisimilitudinem pro actus turpitudine: quo fiet ut formido ex hoc iudicio sit parva, quae per reflexionem poterit tamquam scrupulum repelli.* Sic fere ad verbum ex his quae in Diss. 1, n. 46 tradit. Extra casum in quo haec verificentur, pars tutior est semper eligenda.

Doctrina P. GONZALEZ brevi tempore fere communis evasit, non tam propter internas rationes, quam propter historica adiuncta, quibus doctrinalis controversia locum habuit.

Unde BILLUART, O. P. in celeberrimo opere suo theologico, 1746-1751 edito, scribere potuit:

« Ab anno 1699 ad hunc praesentem annum 1747, paucissimi admodum pro probabilismo scripserunt, plures vero pro

(1) TERILLO, *l. c.*

probabiliorismo; et si loquamur de theologis tam scriptoribus quam aliis, quotidie videmus plurimos a probabilismo ad probabiliorismum deflectere, nullum a probabiliorismo ad probabilismum..... (ita ut) possimus nunc dicere stare quadraginta probabilioristas amplius contra unum probabilistam » (1).

Optimo ordine et maxima cum claritate probabiliorismus exponitur a BILLUART, quem propterea, tamquam scholae ducem, habuerunt scriptores posteriores.

Magis adhuc explicite quam apud Patrem GONZALEZ, apparet refutatio *aequiprobabilismi;* qui tamen ut systema peculiare nondum proponitur, sed ad summum, si BILLUART audiamus, ut mitigatio probabilismi, a quibusdam ipsius sectatoribus, inducitur (2).

Pro BILLUART, eiusque asseclis, aequiprobabilismus laborat iisdem defectibus ac probabilismus. Unde eamdem statuit propositionem adversus ipsum quam adversus probabilismum :

« In conflictu duarum opinionum aequae probabilium de honestate obiectiva actus, tenemur sequi tutiorem... Probatur 1° omnibus ferme argumentis quibus priorem conclusionem (contra probabilismum) probavimus » (*Ibid.*).

Sancti Alphonsi M. de Liguori doctrina

Sed tunc temporis scribere iam incoeperat vir ille, qui sive aequiprobabilista fuerit sive non, certo ad finem adduxit probabiliorismum: S. ALPHONSUS M. DE LIGUORI, natus 1696, qui anno 1748 primo edebat celeberrimum opus *Theologiae Moralis* in quo commentabatur HERMANNUM BUSEMBAUM, S. I., purum probabilistam (3).

---

(1) BILLUART, *Summa Sancti Thomae... sive Cursus Theologiae,* Parisiis, 1878, vol. IV, Diss. VI, art. I, p. 219.

(2) *O. c.,* Diss. VI, Art. II.

(3) Cf. *Opera Moralia* S. ALPHONSI M. DE LIGORIO; editio nova, cura et studio P. LEONARDI GAUDÉ, T. I, Romae 1905, pag. XV-XIX.

In hoc Opere a P. GAUDÉ, C. SS. R. mira cura et diligentia critice edito, continetur celeberrima Sancti ALPHONSI dissertatio seu « *Morale Systema pro delectu opinionum quas licite sectari possumus* » in Lib. I, N. 54-89.

De genuina sententia Sancti ALPHONSI multum est inter probabilistas et probabilioristas disputatum. Nec facile est certitudinem attingere cum, fatente P. GAUDÉ, propter iniqua rerum adiuncta, *multa S. Doctor iam senex coactus sit affirmare ad avertendam omnem suspicionem communionis doctrinalis cum iesuitis, qui infenso bello a potentatibus persequebantur* (1).

Quidquid sit de hac controversia, si critice agere velimus accipienda nobis erit doctrina S. ALPHONSI, prout ex eius scriptis certis nobis constat. Itaque ab editione Theologiae moralis, prout a P. GAUDÉ exhibetur, gressum facientes, doctrinam S. Doctoris breviter exponemus.

Modus proponendi quaestionem non differt a modo recepto, per comparationem inter legem et opinionem contra ipsam. « Si opinio quae stat pro lege »... (n. 54).

Conceptus opinionis probabilis datur secundum gradus probabilitatis: « alia est opinio tenuiter proba-

---

(1) Conf. GAUDÉ, *o. c.*, p. XVIII. Ipsam controversiam agitarunt ex una parte P. BALLERINI, S. J., *Dissertatio de genuina S. Alphonsi sententia circa usum opinionis probabilis.* Romae, 1863; habetur in *Opus Theologicum*, eiusdem auctoris, vol. I., Prati, 1889, Appendix I, p. 597-667; P. ARENDT, S. J., *Crisis aequiprobabilismi hodierni*, Friburgi, 1897, Disp. II. Brevius P. LEHMKUHL, S. J., *Probabilismus vindicatus*, Friburgi, 1906, p. 51-68. Ex alia vero parte, *Vindiciae Alphonsianae*, cura et studio quorundam theologorum e Congregatione SS. Redemptoris, Parisiis, 1874, Tom. I. Pars I. p. 1-147; P. WOUTERS, C. SS. R. *De minusprobabilismo* etc. Parisiis, 1905. p. 32 ss. Consuli etiam possunt Auctores Theologiae moralis ex utraque schola.

bilis, alia probabilis, alia probabilior, alia probabilissima, alia certa moraliter; alia tuta, alia tutior » *O.c.* Lib. I, n. 40.

Ad nos pertinent conceptus opinionis *tenuiter probabilis*, « *quae aliquo fundamento nititur, sed non tali ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere* ».

Probabilis est « *quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi* ».

Probabilior est « *quae nititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine oppositi*, **ita ut contraria etiam probabilis censeatur** ».

Quot confusiones, quot falsae argumentationes vitare potuissent adversarii probabilismi si hanc perspicuam distinctionem Sancti ALPHONSI prae oculis semper habuissent!

De opinione probabili ea dicunt, quae S. Doctor cum ipsis probabilismi fundatoribus, ut suo loco vidimus, de *tenuiter* probabili merito asserit. Ideo iure S. Doctor opinioni *tenuiter* probabili applicat damnationem in Prop. 3 INNOCENTII XI contentam, quae non nisi per iniuriam, opinioni *vere* probabili applicari potest. « *Tenuis enim probabilitas,* ait S. Doctor (1), *nequit dici vera probabilitas, sicut tenuis fortitudo aut tenuis peritia dici nequit vera fortitudo et vera peritia, sed potius dicenda est imbecillitas aut imperitia* ».

His suppositis, S. Doctor statuit sequentes propositiones quibus systema morale quod ipse amplectitur, determinatur: *Prima: « Dico primo, quod si opinio quae stat pro lege, videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc opinionem quae stat pro libertate amplecti* » (*l. c.*, n. 54).

(1) *l. c.*, n. 40, not. a.

Ecce propositionem, quae prima specie, probabiliorismum sapit quaeque causa est disputationum circa mentem Sancti Doctoris (1).

Causa, autem disputationis in eo est quod, dum aliis (aequiprobabilistis) videtur S. Doctor loqui de *opinione certo* probabiliori, quae opponeretur opinioni etiam *vere* probabili; aliis (probabilistis) videtur loqui de opinione *moraliter certa*, quae opponeretur *tantum* opinioni *tenuiter* probabili.

Pro nostro scopo sufficiat haec notasse, quia potius quam de affirmationibus, in adiunctis difficilioribus prolatis, solliciti sumus de principiis a S. Alphonso constanter propugnatis.

Propositio secunda, continet necessariam animadversionem, scl. non licere sequi aliquam opinionem eo solum quod probabilis sit, sed requiri principium certum ex quo moralis certitudo de honestate actionis obtineatur (n. 55).

Propositio tertia, continet enuntiationem aequiprobabilismi. « *Dico tertio, quod duabus aeque probabilibus opinionibus concurrentibus, ... opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatur probabilitate ac opposita quae stat pro lege, grave quidem immittit dubium, an existat lex quae actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest; ideoque dum eo casu promulgata non est, nequit obligare; tanto magis quod* **lex incerta non potest certam obligationem inducere** » (n. 56) (2).

---

(1) Cf. notam quam P. Gaudé apponit ad hunc locum. Cf. praeterea, Marc-Raus, *Institutiones morales Alphonsianae,* ed. 18, vol. I, P. I, tract. I, Cap. 3. Bucceroni, *Commentarii morales,* ed. 1910, Comm. II De conscientia et De Probabilismo, n. 103.

(2) Notatu digna est animadversio quam hoc loco facit P. Gaudé. Subiungit: « Idemque dicendum esse, iuxta S. Alphonsum, cum opiniones oppositae sunt *fere* vel *quasi* aeque pro-

« *Et haec est sententia D. Thomae, quam ego sequor, et quae certa mihi apparet* »... Thesim probat multis auctoritatibus, maxime auctoritate D. THOMAE. Probat insuper ratione.

Processus demonstrationis sic instituitur :

Ut lex obliget, debet promulgari ; debet promulgari ut certa ; ubi adsunt opiniones aeque probabiles, adest dubium de existentia legis ; ergo lex non est promulgata ut certa ; ergo non obligat (*l. c.*, n. 57-63).

Vel leviter legenti S. ALPHONSUM, statim animum percellit differentia extensionis, quam tribuit demonstrationi uniuscuiusque praemissarum quibus propria conclusio innititur. Dum totus est in demonstranda propositione : « Lex dubia non obligat », fere nihil affert ad exponendum et demonstrandum quandonam lex vere dubia efficiatur ex concursu opinionum.

Asserit quidem, et breviter etiam demonstrat, legem esse dubiam in occursu duarum opinionum aeque probabilium ; at quid de quaestione, quae facile in mentem venire potest, et quam sibi ad instar obiectionis proponit, utrum sicilicet lex evadat dubia etiam in casu quo adsit opinio minus probabilis contra ipsam ? Breviter S. Doctor solvit molestam istam quaestionem asserendo quod in illo casu *videtur* remanere tantum « quoddam dubium latum » quod ab opinione tutiore discedere non permittit » (n. 62).

Ut quaestionem prout revera nobis offertur agitemus, duo sunt investiganda apud S. ALPHONSUM : Primum est, utrum revera ad mentem S. THOMAE et

---

babiles : « quia (ita S. Doctor, in sexta et septima editione, de cons., n. 55)... cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, iuxta commune illud axioma : Parum pro nihilo reputatur ». Quantum re, non verbis, haec differant a probabilismo, prudens ipse lector iudicet !

secundum rei veritatem ostendat quod, « Lex dubia non obligat ». Secundum est, utrum in virtute argumentorum quae in hac disputatione afferuntur a S. ALPHONSO, concludendum sit legem esse dubiam non solum in concursu opinionis aeque probabilis sed etiam in concursu cuiusvis opinionis vere probabilis.

Quoniam prima quaestio pertinet ad punctum capitale nostrae disputationis et nulla critica difficultate laborat, de ea una agemus cum tractatione fundamentali circa valorem legis dubiae in genere.

De secunda, e contra, necessarium videtur pauca delibare ad mentem S. ALPHONSI melius intelligendam. Atque, ut palam mentem nostram aperiamus, respondemus sequenti propositione.

Ex principiis a S. ALPHONSO in hac dissertatione invocatis, logice sequitur legem esse dubiam, non solum quando opinio quae stat pro libertate est aeque probabilis ac opinio quae stat pro lege, sed universim, quotiescumque opinio quae stat pro libertate est simpliciter vere probabilis.

Notare imprimis volumus Sanctum ALPHONSUM explicite hanc consequentiam non reicere. Certe eam reicit implicite, quatenus et exigit *aequiprobabilitatem,* et sustinet sequendam esse opinionem probabiliorem pro lege. Non ergo movemus quaestionem de verbis, sed de principiis et de nexu logico quo conclusiones cum ipsis conectuntur.

Iam vero quid ex principiis a S. ALPHONSO invocatis logice deducitur? S. ALPHONSUS, ut ipse ait, cum S. THOMA, vult ostendere (n. 58), quod ut lex obliget debet promulgari *ut certa.* Hinc debet determinare quandonam lex evadat vere dubia.

Age nunc, pro S. ALPHONSO hoc accidit quando promulgatur « dumtaxat *dubium, opinio,* seu *quaestio* an adsit lex prohibens actionem »... Ergo pro S. ALPHONSO dubium de lege idem est ac opinio, ac quae-

stio an adsit lex prohibens actionem. Atqui, ex ipsa definitione opinionis a S. ALPHONSO data, vera opinio, vera quaestio adest quando datur opinio vere probabilis, ut ex n. 40 supra citato constat; ergo ex S. ALPHONSO, opinio vere probabilis facit ut lex sit dubia. Praeterea, recurrit S. ALPHONSUS ad celeberrimum locum S. THOMAE, (*De Ver.* q. 17, art. 3): « *Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti* ».

Tota vis argumentationis S. APLHONSI, in quo fundatur? In eo quod « *ab omnibus philosophis cum D. Thoma, docetur distinctio inter opinionem et scientiam: Opinio denotat cognitionem dubiam aut probabilem alicuius veritatis; scientia vero cognitionem certam ac patentem significat* » (p. 59, 74).

Pro S. ALPHONSO, itaque, tota vis argumentationis reposita est in distinctione inter scientiam legis et opinionem legis. Sola scientia facit legem certam; opinio eam facit dubiam. Ergo aut argumentatio S. ALPHONSI nihil probat, aut probat thesim probabilismi, legem, scilicet, de qua dantur opiniones probabiles, non obligare, id est non esse legem.

Obiici potest Sanctum ALPHONSUM haec non deducere, sed perpetuo in sua dissertatione deducere tantum legem esse dubiam ubi duae sunt « opiniones aequalis ponderis » (n. 59). Id ultro fatemur. Et vere concludit S. ALPHONSUS; at ut nobis videtur, non *omnem* veritatem, quae in praemissis continetur, deduxit, sed limitavit extensionem consequentiae, praeter necessitatem logicam; utique, fatemur, non praeter necessitatem historicam (1).

Quod si addatur Sanctum ALPHONSUM explicite asserere licitum non esse sequi opinionem *minus* probabilem, ut n. 62 et 88; et explicite, similiter, rei-

(1) Conf. supra dicta, p. 167*.

cere obiectionem eorum qui dicunt hoc componi non posse cum principio ab ipso proposito, respondemus verum quidem esse S. Doctorem hoc dicere; ait, enim n. 88, « ubi adest probabilior opinio pro lege, tunc lex est moraliter promulgata, ideoque obligat non obstante illo dubio lato pro opinione benigniore ». Sed aut hoc non logice asserit, quod salva reverentia dictum sit; aut, melius, ut videtur, haec explicantur consequenter ad conceptum quem de opinione *minus* probabili proponit, in citato n. 40, ubi intelligit idem esse opinionem *minus* probabilem ac tenuiter probabilem, quae *vere non est probabilis.*

Notatum velim, S. ALPHONSUM ad difficultatem solvendam, recurrere ad conceptum valde ambiguum, talem rationem loquendi amplectendo, quae magis videtur apta ad quaestionem vitandam, quam ad illam directe aggrediendam. « Sed respondeo quod, (ait n. 62) cum opinio tutior est certe probabilior, eo casu, quamvis lex omnino certa non sit; attamen propter illam maiorem probabilitatem, opinio pro lege videtur moraliter verior, et consequenter apparet moraliter et sufficienter promulgata; et ideo nequit dici tunc omnino dubia dubio stricto... ».

Quaestio solvenda esset utrum opinio minus probabilis efficiat legem dubiam necne. S. ALPHONSUS, dicit: « opinio minus probabilis immittit tantum dubium latum, quod ab opinione tutiore discedere non permittit ».

Cur ita? Quia ex una parte S. ALPHONSUS non vult apparere probabilista, ex alia vero non potest resistere persuasioni quam habet de necessitate logica tribuendi omni opinioni vere probabili vim efficiendi legem dubiam.

Ideo non miramur R. P. DEMAN S. ALFONSUM non minus quam Probabilistas impugnare.

Pro R. P. DEMAN, S. ALPHONSUS, sequitur tradi-

tionem probabilisticam; amplectitur et erigit in principium fundamentale proprii systematis principium suarezianum, quod « Lex dubia non obligat »; quod praecise punctum radicalis discrepantiae inter S. THOMAM et S. ALPHONSUM constituit, etc.

« ... Nous tenons donc qu'entre Alphonse de Liguori et Thomas d'Aquin il y a la difference de la morale moderne et de la morale classique; ... Il est vrai que celui-là s'est réclamé du Docteur angélique avec une pieuse insistance... Mais la confrontation des deux doctrines ne laisse pas à la morale alphonsienne le bénéfice effectif de ce patronage ni de cette dépendance » (*l. c.*, col. 585).

Et alibi: « Entre saint Alphonse et saint Thomas subsiste le désacord de deux systèmes inconciliables... » (*l. c.*, col. 590).

Nihil nobis opus est adhuc insistere circa quaestionem quam hic attingit P. DEMAN: de comparatione inter universam conceptionem moralem apud duos sanctos Ecclesiae doctores. Nostrum tantum est, ad propositum finem, investigare tamden utrum revera, in quaestione de obligatione legis, adsit illa irreconciliabilis oppositio quam propugnat P. DEMAN (1).

(sequitur finis) ULPIANUS LOPEZ, S. J.

(1) Cf. *Rev. Thomiste*, 1935, pag. 211-236; 629-652, duos articulos a P. EUGÈNE, C. SS. R. conscriptos, circa hanc materiam.

Solutio casus de abstinentia periodica in matrimonio, pag. 55* propositi

Ad casum solvendum non est cur de conditione non habendi prolem a Calepodio imposita ad matrimonium contrahendum loquamur, cum haec iam a Calepodio sit retractata et « libenter consentiat in matrimonium ineundum sine ulla conditione ».

Iudicanda, e contra, venit *pactio de matrimonio tantum utendo tempore agenesico*. Ad hoc autem duo sunt consideranda : *primum*, ipsa obiectiva efficacia methodus OGINO-KNAUS ad prolem evitandam. *Secundo*, moralitas intentionis Calepodii ex motivis mere egoisticis, evitandi prolem.

Ad primum, cum de re, ab aliena scientia prorsus pendente agatur, ipsos peritos in scientia gynecologica consulere necesse est.

Quid ergo ipsi nos docent? Opinionem nostram iis verbis in Ephemeride *The Ecclesiastical Review* XCIV (1936) p. 591, expressimus. « De theoria continentiae periodicae, multa disputant medici. Moralista ergo responsum dare non potest nisi ex medicorum sententia. Iam vero, nisi mendaces sint statisticae confectae a D. KNAUS (*Die periodische Fruchtbarkeit und Unfruchtbarkeit des Weibes*, Maudrich, Wien, 1934) et conclusiones ipsius, admittendum est continentiam periodicam medium efficax praebere ad regulandam conceptionem, saltem valde probabile ».

Postquam haec scripsimus, aliorum doctorum sententiam investigare non pretermisimus, ex quo concludendum putamus nimiam auctoritatem D. KNAUS attributam fuisse.

Ex sententia praedicti Doctoris, cum quo OGINO concordat, ad tria capita reducuntur fundamenta ad determinandum tempus in quo foecundatio haberi non potest:

1 — Nexus intimus inter menstruationem et ovulationem quae non verificatur nisi inter 16-12 diem ante menstruationem.

2 — Brevis ovuli vita, quae non ultra 24 horas protrahitur.

3 — Superviventia spermatis in organis femineis quae ultra tres dies non extenditur.

Inde normas deducunt circa tempus in quo matrimonii usus erit infoecundus, scilicet, pro cyclo normali 28 dierum: tempus quod decurrit a menstruatione ad diem 9 post ipsam; et tempus quod decurrit post diem 18 vel 19 usque ad novam menstruationem; tempus in quo foecundatio haberi potest manet inter dies 10 ad 18 vel 19 post menstruationem.

* * *

Ipsa theoriae fundamenta conantur evertere plurimi alii doctores magni nominis in scientia gynecologica, opponendo factis ab OGINO et KNAUS allegatis alia facta ab ipsis diligentissime investigata ex quibus in conclusiones omnino contrarias deveniunt. (1)

Etenim contra primum assertum theoriae OGINO-KNAUS, asserunt: « *ovulatio haberi potest in quocumque die cycli menstrui, imo una cum ipsa menstruatione* »; quod experientiis, diligenter collectis, probare contendunt.

Si vero tempus ovulationis determinari non potest ruit fundamentum theoriae.

Non minus adversantur aliis praesuppositis quibus theoria innititur, circa parvitatem temporis per quod durat ovuli vel spermatis vis generativa.

Non negant possibilitatem facti, scl. quod ita de facto esse possit, sed negant possibilitatem comprobationis experimentalis facti si de ovulo agitur; adducunt

(1) Cf. DR. RAFAEL ARAYA, *Ovulation y Menstruation*, Buenos Aires 1933, et *¿ Existe un periodo de fertilidad fisiológica en la mujer ?* Buenos Aires 1935.

experimenta pro spermate, ex quibus deducunt illud vivere posse in organis femineis per duos, tres, septem, et amplius dies ; imo per unam alteramve hebdomadam.

Unde concludunt non posse in praesenti statu scientiae biologicae et gynecologicae, ad aliquam legem certam statuendam deveniri, circa tempus in quo conceptio humana verificatur.

***

Iis prae oculis habitis iam patet via ad solutionem casus. Nimis fidenter Calepodii parochus credidit omnia quae de methodo OGINO-KNAUS in non paucis opusculis et libellis his ultimis annis evulgata sunt ; et consequenter non recte « novam istam doctrinam » tamquam medium efficax ad vitandam prolis conceptionem Calepodio proposuit, « qui matrimonium inire nolebat nisi cum conditione non habendi prolem ». Bene autem potuit uti ista doctrina ad inducendum ipsum ad matrimonium, ei manifestando adesse doctores qui asserunt conceptionem illo tempore haberi non posse et hoc quamvis ab aliis reiciatur, non improbabile esse. Sed melius omnino fecisset ei doctrinam catholicam palam manifestando, eumque inducendo ad vitam matrimonialem instituendam non solum homini christiano dignam, sed etiam viro honesto, qui inventis humanis uti non vult ad finem naturalem matrimonii frustrandum.

***

Quid autem de ratione agendi Calepodii in contrahendo matrimonio ?

Nolumus iterum quaestionem attingere de moralitate obiectiva copulae habitae tempore agenesico. Plurima iam de hoc argumento scripta sunt, et communis evasit, iure meritoque, sententia quae tenet nihil *obiec-*

tive inordinatum contineri in usu matrimonii, ad illud tempus limitato. Hoc autem evidentius apparet si, ut supra diximus, ex doctorum in re medica sententia, multum adhuc desideratur quo demonstrationes ab OGINO et KNAUS allatae tamquam apodicticae habeantur

Sed quaestio movetur de *intentione* Calepodii, *ex motivis mere egoisticis*, volentis *simul et* commoda matrimonialis vitae habere *et* onera, quae finem primarium matrimonii constituunt, de industria absolute excludere.

Interea ad solutionem casus prout proponitur.

Triplex hypothesis circa mentem Calepodii considerari potest:

A - Calepodius absolute vult omni medio vitare prolem et frui matrimonio, etsi ad hoc recurrendum sit ad media onanistica; et tunc evidenter reus est peccati mortalis. Haec erat intentio Calepodii antequam a parocho erudiretur circa doctrinam OGINO-KNAUS.

B - Calepodius recte institutus de valore, sat incerto, doctrinae agenesicae, absolute consentit in matrimonium cum intentione illo non utendi nisi tempore agenesico, sed observato ordine naturali; tunc sufficienter videtur intentionem prolis habere, quatenus vult naturali modo procedere et copulam habere ex qua generatio sequi potest, etsi minori cum probabilitate. Haec intentio non est contra ipsum finem primarium matrimonii, et consequenter neque de gravi deordinatione damnanda. Cum ex sententia peritorum in scientiis medicis methodus OGINO-KNAUS nonnisi ad summum probabile medium contineat ad conceptionem vitandam, hanc solutionem in praxi admittimus pro casibus in quibus necessitas abstinendi a prole concipienda non imponatur propter gravissima motiva; adsint vero rationes serias ad prolis conceptionem imminuendam vel pro tempore vitandam.

C - Dato et non concesso quod methodus OGINO-KNAUS absolutam praeberet certitudinem conceptionem evitandi; dato quod Calepodius ex motivis tantum egoisticis vellet semper prolem, quam optime habere poterit, evitare; ad hoc adhibendo remedium certum sed non contra naturam, quid dicendum de ista intentione?

Calepodius vult *simul et* commoda vitae matrimonialis habere *et* onera evitare.

Ut nobis videtur, haec intentio non sufficienter purificatur ex eo quod non nisi medio honesto uti vult ad talem finem obtinendum. Si intentio utendi matrimonio *tantum* ad concupiscientiam sedandam et non ad prolem concipiendam ex se ostenderetur mala, parum valeret invocare medium honestum quo ad exitum deduceretur.

Iam vero haec est quaestio quam solvere deberemus antequam iudicium daremus de responsabilitate Calepodii in ista tertia hypothesi.

Sed quaestionem istam, quam gravissimam reputamus hic resolvere non licet, cum et limites et exigentiam casus propositi excedere videatur. Necessarium esset totam quaestionem theologice pertractare et sensum traditionis investigare, plurimaque maxime quae apud Sanctum AUGUSTINUM de hac re habentur, ad trutinam revocare.

ULPIANUS LOPEZ, S. J.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litterae apostolicae

S. R. E. CARDINALIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE PRO TEMPORE PRAEFECTUS IN MAGNUM CANCELLARIUM ELIGITUR PONTIFICII ATHENAEI URBANI FIDEI PROPAGANDAE.

(*AAS* XXVII (1935), 480 s.)

PIUS PP. XI.

Constitutio Athenaei et Collegii anno 1627 ab Urbano Pp. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Inter praecipua** huius Almae Urbis Athenaea, in quibus iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes sacris imbuuntur disciplinis ut animarum spirituali bono aptius inde providere valeant, Pontificium illud Athenaeum est adnumerandum quod rec. me. Decessor Noster Urbanus PP. VIII, una cum Collegio, quod a suo ipsius nomine appellavit, anno MDCXXVI constituit, ut inibi ex omnibus orbis terrarum partibus, in quibus vel Evangelii lumen nondum plene affulsisset, vel haeresis aut schisma praevaluisset, vel catholica hyerarchia nondum esset constituta, Clerici exciperentur qui, prope Divi Petri Cathedram, tanta fierent pietate divites, tam copiosa et sana instruerentur doctrina, ut, Sacerdotio aucti, Catholicam Fidem evangelizantes, eam opere, scriptis, ipsius vitae holocausto, si opus esset, tueri, conservare, propagare valerent. Huius autem Athenaei Scholae tribus his saeculis tam felix Dei gratia et Praedecessorum Nostrorum cura incrementum habuerunt, ut magna nunc multitudo alumnorum ex variis Collegiis, Religiosisque Familiis, praesertim Missionariis, etiam Ecclesiae Orientalis, maximo cum fructu, illas frequentent. Quibus scholis laeto quidem animo comperimus nuper adiunctum fuisse etiam *Institutum Missionale*, quod vocant, Athenaei Urbani proprium omnino et peculiare, in quo futuri Evangelii praecones ea omnia, quae speciali modo, sive

Scopus Athenaei.

Cui anno 1933 adiunctum « Institutum Missionale ».

theoretice, sive practice, ad missiones pertineant, apte addiscant quo celerius et efficacius D. N. Iesu Christi Regnum ubique terrarum dilatare valeant. Nil mirum igitur si praedictum Urbanum Collegium, eidemque coniunctum Athenaeum, quorum utrumque tam de Ecclesia bene est meritum, sicut omnibus Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris maxime cordi fuerunt, ita peculiari modo sint Nobis, Quibus Summi Dei benignitas concessit ut novam eorundem salubriorem et ampliorem in Ianiculo monte, iussu Nostro excitatam sedem, magni animi gaudio, Praesentes inauguraremus. Nunc autem et eiusdem Athenaei tam Theologica quam Philosophica Facultas necnon Institutum Missionale, quod diximus, editae a Nobis Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* praescriptionibus magis magisque obtemperent, preces Nobis adhibithae sunt, ut, sicut aliis huius Almae Urbis Pontificiis Universitatibus, Facultatibus, Institutis, Magnum Cancellarium praefecimus, nunc etiam Urbano Propagandae Fidei Athenaeo praeficiamus. Quibus votis Nos ultro libenterque concedere decrevimus ut novum benevolentiae Nostrae pignus ipsi Athenaeo tribuamus, certa spe freti ut idem, novo auctum decore uberiores doctrinae fructus magis magisque in dies edat et maiora, opitulante Deo, incrementa in posterum suscipiat. Quare, praesentium Litterarum tenore, motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine decernimus ut S. R. E. Cardinalis Sacrae Congregationis Fidei Propagandae pro tempore Praefectus praedicti Athenaei Urbani Propagandae Fidei *Magnus Cancellarius* ad normam Nostrae Constitutionis *Deus scientiarum Dominus*, quam diximus, iam nunc atque in posterum sit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Applicatio Const. « Deus scientiarum Dominus ».

Novus praefigitur Magnus Cancellarius.

Clausulae.

Dies (21 Sept. 1933).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Septembris, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimosecundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIONES

Notetur dies et annus Litterarum: 21 Sept. 1933. SS. ergo D. N., verba faciens de *Instituto Missionali, nuper* (ut aït) Athenaeo Urbano adiuncto, Decretum

respicit, Suo iussu datum, die 1 Sept. eiusdem anni ab E.mo Card. Bisleti, Praefecto S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, quo penes Pontificium Athenaeum Urbanum (vel Urbanianum, ut aliis praeplacet) canonica erectione donabatur *Institutum Missionale Scientificum,* facta eidem in perpetuum potestate gradus academicos conferendi.

Quia, eiusdem S. Congregationis Decreto, mandato et auctoritate SS. datum die 6 Aug. 1932, apud Pontificiam Universitatem Gregorianam iam existebat *Facultas Missiologica,* duo nunc verae inveniuntur canonicae *facultates,* rei missionariae addictae, potestate gradus academicos conferendi insignitae.

Decretum diei 1 Sept. 1933, *Institutum Missionale* Athenaei Urbani respiciens, publicatum fuit in *AAS* XXV (1933) p. 445 (cf. *Periodica* XXII (1933) p. 190).

Litterae Apostolicae, supra exscriptae, iam legebantur in *Nuntiis Instituti Missionalis Scientifici* (Vol. I, n. 2 - 1 dec. 1934).

Decretum, respiciens *Facultatem Missiologicam* nostrae Universitatis, cum hactenus nondum divulgatum sit, hic exscribere liceat:

Sacra Congregatio
De Seminariis et Studiorum Universitatibus

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
FACULTAS HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET FACULTAS MISSIOLOGICA
ERIGUNTUR, ET ERECTAE DECLARANTUR

DECRETUM

Scopus Facultatum.

Historicarum disciplinarum cultores et magistros aptius parandi gratia, nec non ad eos qui de re missionaria agunt et

ipsos divini verbi praecones qui ad gentes mittuntur plenius instituendos, Pontificiae Universitatis Gregorianae Moderatores suppliciter postulaverunt, ut in eadem Studiorum Universitate Facultas Historiae Ecclesiasticae et Facultas Missiologica erigerentur.

Postulatio.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, infrascripto Cardinali Sacrae huic Congregationi Praefecto in Audientia diei 26 iulii referente, omnibus rei momentis mature perpensis, benigne petitioni annuere dignatus est.

Annuit SS. D.

Haec itaque Sacra Congregatio, mandato et auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Papae in Pontificia Universitate Gregoriana FACULTATEM HISTORIAE ECCLESIASTICAE et FACULTATEM MISSIOLOGICAM praesenti decreto canonice erigit et erectas declarat, cum potestate conferendi gradus academicos secundum Statuta ab hac Sacra Congregatione approbata.

Canonica erectio.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Clausulae.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die VI mensis augusti, anno Domini MCMXXXII.

Dies (6 aug. 1932).

CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S. ERNESTUS RUFFINI, *Secretarius.*

Jos. C., S. J.

2 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola

AD EM̃UM P. D. IOANNEM TIT. S. BALBINAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM VERDIER, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM, QUEM LEGATUM MITTIT AD PRIMUM CONGRESSUM CATHOLICORUM EX TOTA CECOSLOVACHIAE REPUBLICA, PRAGAE COGENDUM.

(*AAS* XXVII (1935), 483 ss.)

PIUS PP. XI

Gaudium SS. D. de Congressu futuro.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — **Non sine magna** animi voluptate accepimus, Pragae, clarissima in urbe Cecoslovachiae capite, primum catholicorum ex tota Republica Congressum sub exitum huius mensis celebratum iri. Ex quo enim novus ille Status post maximum bellum exortus est, nunquam catholici viri cuiuscumque generis et linguae, qui intra eius fines commorantur, in unum coaluerunt, ut rei catholicae tuendae communi agendi ratione consulerent

ac providerent. Haec autem eiusdem fidei sodalium eiusdemque patriae civium caritas et concordia exstabit sane magnum et iucundum spectaculum, bonorum omnium laude et commendatione dignum. Ad fraternam vero tot dissimilium animorum coniunctionem fovendam, nulla profecto inveniri potest causa praestantior, nulla pariter vis efficacior, quam propositum in agendis coetibus argumentum, hoc est divina humani generis Redemptio, quam in Sacro Anno novissime elapso per totum Orbem catholicum sollemniter commemoravimus. Nonne enim saluberrimum illud opus, per ipsum Dei Filium misericorditer peractum, est origo et fundamentum catholicae religionis atque Ecclesiae ipsius Christi prima ratio et causa? Huius igitur sacrosancti Mysterii memoria ac recordatio erit fidelibus Pragam conventuris veluti virtus attractoria, per quam ex catholicis genere et sermone moribusque diversis efficietur una omnium mens, una eademque voluntas. Nos igitur, qui nullo non tempore commendavimus, ut catholicorum studia in quavis natione ad communem tuendam fidem, ad bonosque servandos mores, concordi impulsione industriaque conferantur, consilium a Cecoslovachiae Praesulibus iam pridem susceptum congressionem huiusmodi Pragam cogendi, non modo paterna laude exornamus, sed per Nostram quoque Conventus ipsius participationem Legatique Nostri missionem apostolica auctoritate conroboramus. Quapropter te, Dilecte Fili Noster, qui tam insigni polles dignitate quanta inest amplissimae romanae purpurae ac muneri archiepiscopali in nobilissima ista Parisiorum Sede peragendo, Legatum Nostrum, ut iam antea ediximus, per has Litteras eligimus atque constituimus, ut Congressui catholicorum Pragae proxime habendo, nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Minime autem dubitamus, quin ipsemet, pro singulari tua prudentia ac virtute, proque intima caritate, qua cum Cecoslovachiae populo devinciris, concreditum tibi munus sis plane feliciterque absoluturus. Quot autem exstant in vetusta illa ac turrita urbe Pragensi monumenta praeteritae aetatis, quae de catholica maiorum religione atque virtute loquuntur! Quam multae sacrae aedes, priscis memoriis artibusque exornatae, acuta pinnacula ad caelum extollunt: imprimis vero cathedrale illud templum, sancto Vito dicatum, ex arce longe conspicuum, quod ipsi civitati tamquam custos caelestis invigilare ac praeesse videtur! Quot sacrae imagines et fidei signa ac monumenta ad pietatem fidelium excitandam ipsamque divinam Redemptionem recolendam publice etiam palamque exhibentur, ut Crux veneranda, quae vel in ipsis templorum fasti-

Laudatur argumentum Congressu tractandum, divina Redemptio.

Eligitur et constituitur E.mus Card. Legatus Ap.cus.

Dignitas urbis Pragensis.

giis, vel secundum frequentiora itinera transeuntium animos ad se suaviter allicit! Quam pretiosi cineres et reliquiae heroum Ecclesiae patriaeque ad christianam fidem virtutesque civium acuendas in templis religiose asservantur! Per ipsas autem exuvias ac memorias splendide loquuntur clarissimi illi viri, ut Sanctus Wenceslaus, Bohemiae Dux ac Patronus, Sanctus Adalbertus martyr, Sanctus Ioannes Nepomucenus, sacerdotalis muneris hostia praeclara, qui de Ecclesia simul atque civili societate optime meriti sunt. Fidenti igitur animo traditum tibi munus, Dilecte Fili Noster, suscipito, sacrisque coetibus ac caeremoniis praeesto; ex Pragensi enim catholicorum congressione id fore confidimus ut arctissima fidelium consensio in Cecoslovachia efficiatur, non modo ad Ecclesiae catholicae bonum atque utilitatem, sed etiam ad civilis convictus concordiam ac prosperitatem. Quum vero, die ipso Apostolorum Principibus dicato, media in urbe, in sancti ipsius Wenceslai splendido porrectoque foro, coram Augusto Sacramento fidelibus sollemniter ostenso, pia catholicorum ex tota natione agmina, confertis ordinibus, ipsum Redemptorem sub eucharisticis velis latentem summa veneratione adorabunt, eiusque signaculum Crucis alte intuebuntur, omnes profecto boni Ecclesiae filii spondebunt, sese huic beati Petri Cathedrae magis magisque in dies fortiter studioseque adhaesuros. Denique, ut sacra celebratio utilior fideli populo evadat, tibi ultro damus, ut, Sacro sollemniter peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenam iisdem commissorum veniam proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Dum autem Deum precamur, ut tibi tuaeque legationi prospera omnia contingant, in auspicium caelestis huius praesidii inque praecipuae caritatis Nostrae signum, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, Olomucensi et Pragensi Archiepiscopis ceterisque Cecoslovachiae Praesulibus pariterque civilibus magistratibus iisque universis, qui sollemnibus coetibus intererunt, amantissime in Domino impertimus.

Memoria SS. Wenceslai, Adalberti, Ioannis Nepomuceni.

Congressionis fructus sperandi.

Ap.ca benedictio.

Dies (20 iun. 1935).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Iunii, in festo SS. Corporis Christi, anno MDCCCCXXXV, Pontificatus Nostri quarto decimo.

PIUS PP. XI

3 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola

AD EM.UM P. D. IOSEPHUM TIT. S. MARIAE DE ARACOELI S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM VAN ROEY, ARCHIEPISCOPUM MECHLINIENSEM, DE CONVENTU IUVENTUTIS OPERARIAE CHRISTIANAE BRUXELLIS HABENDO.

(*AAS* XXVIII (1936), 65, s.)

PIUS PP. XI

Gaudium SS. D. de conventu futuro.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — **Cogitantibus Nobiscum** Conventum Iuventutis operariae christianae, qui Bruxellis propediem fiet, ac praesagae mentis imagine prospicientibus conferta adolescentium agmina, quae regalis Belgarum urbs hospita excipiet, exsultat Nobis animus gaudio, atque gratus attollitur Deo, qui apostolici officii ita temperat curas, ut ei sicut crebrae non desunt angustiae, ita neque parca praebeantur solamina. Cuius laetitiae tu, Dilecte Fili Noster, admodum es particeps, qui intra patriae tuae fines secunda vidisti primordia Consociationis huiusmodi, prosperis nunc incrementis florentis, idemque cum lectissimo sacrorum Antistitum et sacerdotum numero coetui intereris, qui religione et pietate praestantissimus, magnificentia apparatuque splendidus fore praevidetur. Hac voluntate affecti has tibi reddendas Litteras censuimus, quibus gratulationes et vota mandamus iis explicanda qui, te auspice, ad statum Conventum congredientur. Duo expleta sunt lustra, postquam originem duxit Iuventutis operariae christianae Consociatio, istic tam faustis orta auspiciis. Haec, cum modo sistens ferme gradum, emensa respicit spatia ac mire et magne acta contuetur, nequit Dei non agnoscere virtutem, qui coeptui propitio numine arrisit. Neque enim tantum in Belgarum regione pollet, ubi robur et sobolem catholico nomini parit, sed vestros adeo praetergressa est fines, ut eam latius in posterum se prolaturam, ad varia locorum adiuncta flexibilem, episcoporum optatis obsequentem, id facile augurari fas sit. Secus enim contingere nequit, cum ipsa germana sit Actionis Catholicae forma, fluenti congrua aevo, eademque opificum ordini miseriarum saepe

Mandat gratulationes et vota.

Origo et incrementum associationis.

Germana est Actionis Catholicae forma.

pondere attrito errorumque fallacia decepto, trepidis Matris Ecclesiae obsecuta consiliis, curas industriasque applicet. Quisnam, si non degeneri animo adhuc colit virtutem, has iuvenum non demiratur turbas, in quibus rei sacrae atque civilis tanta spei moles consistit? Fusa religionis notitia, solida fides, invicta caritas in sancta prosiliens molimina, numquam languens iucunditas, quam redolet lilialis integritas morum, iuncta cum modestia pectoris constantia, hae sunt animi laudes quas sibi proponunt, ut actuose Actioni Catholicae deserviant, quae ecclesiasticae Hierarchiae in exercendo apostolatu opitulatur. Dat iis cotidianus labor unde piaculares hostiae Deo immolentur, campumque praetendit, ubi sollers excurrit cura, ut operis socii iidemque fratres ad christianae vitae instituta reducantur. Nos minime latet qua devotione, quibus precibus, qua Ecclesiae sacramentorum usura, qua lenitate ac diligentia Christo fratrum mentes acquirere nitantur, reapse satores luminis, adiutores Spiritus Sancti, auxiliares Ecclesiae velites. Faveat iis S. Ioseph, praeclarum opificum exemplar et custos; faveat B. Virgo Maria, quae, licet regio davidico genere orta, operosae ac demissae vitae aspera novit; propitio obtutu amplectatur eos Iesus, qui, siderum conditor, tractare non dubitavit fabrilia. Tanto tecta clypeo floreat iis avita fides, crescat instituti operis gloria. Nos autem paterno hortatu Consociationi adlectos eiusdemque moderatores monemus, ut alacriores in dies propositis praeconio dignis insistant et uberius usque fotas caritatis lampades gerant, quae canescenti mundo calorem admoveant vitae; atque impenso studio optamus, ut Apostolica Benedictio, quae tibi imprimis accedit, per te omnes amplexetur, qui sollemni coetui aderunt: sit ipsa universis flagrantis amoris Nostri signum et ubertatem fructuum, divino arcessito auxilio, labori vestro acceleret.

Vota SS. D.

Ap.ca benedictio.

Dies (19 aug. 1935). Datum ex Arce Gandulphi apud Romam, die XIX mensis Augusti, anno MDCCCCXXXV, Pontificatus Nostri decimo quarto.

PIUS PP. XI

4 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sacrum consistorium habitum die 16 dec. 1935

(*AAS* XXVII (1935), 457 ss.)

I — ALLOCUTIO SS.MI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES

Graves equidem, postremi huius temporis decursu, amplissimum Collegium vestrum iacturas fecit; praeclarorum dicimus virorum iacturas, quos heic, vobis coram, etsi presse, commemoratos volumus. Hos inter desideratissimos conlegas vestros, duos nominatim maerenti animo dicendo attingimus, Petrum nempe Gasparri ac Franciscum Ehrle S. R. E. Cardinales. Alter enim, ut nostis, non modo in Latinae Ecclesiae concinnando perficiendoque Iuris Canonici Codice, et in Orientalis Ecclesiae eiusdem generis documento apparando, tot tantosque exanclavit labores, sed diuturnum etiam aetatis suae spatium, tam sollertem Nobis adiutricem operam navavit, in expediendis praesertim publicis Apostolicae Sedis negotiis, ut et gratum animum Nostrum sibi omnino devinciret, et omnium hominum admirationem commoveret. Cum altero autem, divinis aeque atque profanis disciplinis eruditissimo, iamdudum studiorum causa consuetudineque vitae ita coniungebamur, ut eum hoc etiam nomine haberemus carissimum. Quibus in praesens Dilectus Frater Noster adiicitur, Cardinalis nempe Michaël Lega, qui hoc ipso mane ad caelestia gaudia evolavit.

Laudatur Card. P. Gasparri defunctus,

et Card. Fr. Ehrle, S. I.

At postquam haec, quodam ex caritatis officio, dolenti animo diximus, nolumus vos, in praesens, multis remorari verbis, quamvis nec laeta nec tristia desint, de quibus loquamur. Laeta dicimus, ut frequentissimae illae fuere pientissimaeque celebrationes, quae Lapurdi praesertim et in Bonaërensi urbe, ac mox Clevelandiae, Interamnae, Pragae, Labaci ac Limae — ut ceteras praetermittamus — ingenti cum hominum concursu habitae sunt, praeeuntibus porro in exemplum et sacrorum Antistitibus et Civitatum magistratibus atque primoribus. Sed nec tristia, uti diximus, desunt, quae paternum animum Nostrum summa aegritudine oppleant; ut ea potissimum quae in Russiarum regionibus et in Foederatis Mexici Civitatibus eveniunt, et nonnulla etiam, quae in Germania contingunt.

Laeta commemoranda,

et tristia.

[4]

De bellicis contentionibus cur non loquatur S. Pater.

At ne ultra, maestis huiusmodi de rebus disserendo, procedamus, ad bellicas nominatim contentiones quod attinet, quae Europam non modo et Africam, sed universum etiam terrarum orbem tam diuturna anxitudine sollicitant, ea de causa suademur, quod, in tanta eventuum hominumque incertitudine, periculum subest ne verba Nostra, quaecumque eadem sint, vel non recte omnino intellegantur, vel in contrariam sententiam detorqueantur.

Apostolico officio minime defuit.

Ceterum, quae, pro veritate, iustitia caritateque, hac super causa, aeque a Nobis recteque expeti poterant, ea non semel, animum aperiendo Nostrum, patefecimus; ac novimus fuisse ea, quae, occasione data, protulimus, per publica diurna acta tam late pervulgata, ut in communem eorum omnium notitiam pervenire possent, qui non modo percuperat veritatem, sed eam etiam a Nobis et sincera mente et summa cum diligentia anquirerent.

Quod quidem iis praecipue admonitum esto, qui passim adhuc mirari ac vel offendi videantur, quasi Non divinitus commisso Nobis magisterio nos satis iam fecerimus.

Hoc autem edicere numquam pro opportunitate praetermisimus, neque in posterum pratermissuri sumus — idque iterum, antequam alloquendi finem faciamus, sollemniter asseveratum volumus — Nos nimirum pacem cum iustitia, veritate caritateque coniunctam omnibus, ubicumque sint « hominibus bonae voluntatis » (Luc. II, 14) et optare vehementer, et pro viribus conciliare, et a Deo Optimo Maximo incensa efflagitare prece.

Pacem optat, cum iustitia, caritateque coniunctam.

II — CREATIO ET PUBLICATIO PATRUM CARDINALIUM

Merita virorum.

Iam eo deveniamus ut lectissimos viros viginti in amplissimum ordinem vestrum cooptemus, qui vel in episcopali gerendo munere, vel in obeundis legationibus gravissimisque Romanae Curiae muneribus, vel in diuturnis denique ad maiorem Dei gloriam exanclandis laboribus, optime de re catholica meriti sunt.

Eorum nomina.

Hi sunt autem:

FRIDERICUS TEDESCHINI, Archiepiscopus tit. Naupactensis et Apostolicus in Hispania Nuntius; atque CAROLUS SALOTTI, Archiepiscopus tit. Philippopolitanus in Thracia et Sacrae Congregationis Fidei Propagandae a secretis; quos quidem S. R. E. Presb. Cardinales creavimus et in pectore reservavimus in Consistorio habito die decima tertia mensis Martii, anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio;

IGNATIUS GABRIEL TAPPOUNI, Patriarcha Syrorum Antiochenus;

HENRICUS SIBILIA, Archiepiscopus tit. Sidetanus et Apostolicus in Austria Nuntius;

FRANCISCUS MARMAGGI, Archiepiscopus tit. Hadrianopolitanus in Haemimonto et Apostolicus in Polonia Nuntius;

ALOYSIUS MAGLIONE, Archiepiscopus tit. Caesariensis in Palaestina, et Apostolicus in Gallia Nuntius;

CAROLUS CREMONESI, Archiepiscopus tit. Nicomediensis, ac Pontificiis largitionibus Praepositus;

HENRICUS MARIA ALFREDUS BAUDRILLART, Archiepiscopus tit. Melitenaeus et catholici Parisiensis Instituti Rector;

EMMANUEL CAELESTINUS SUHARD, Archiepiscopus Rhemensis;

CAROLUS KASPAR, Archiepiscopus Pragensis;

IACOBUS ALOYSIUS COPELLO, Archiepiscopus Bonaërensis;

ISIDORUS GOMA ET TOMAS, Archiepiscopus Toletanus;

CAMILLUS CACCIA DOMINIONI, Pontificiis admissionibus Praepositus;

NICOLAUS CANALI, Supremae S. Officii Congregationis Adsessor;

DOMINICUS JORIO, Sacri Consilii Sacramentorum disciplinae praepositi a secretis;

VINCENTIUS LA PUMA, Sacrae Religiosorum Congregationis a secretis;

FRIDERICUS CATTANI AMADORI, iudex sacrarum cognitionum idemque Signaturae Apostolicae a secretis;

MAXIMUS MASSIMI, Auditorum Tribunalis S. R. Rotae Decanus;

DOMINICUS MARIANI, Administrationis bonorum Apostolicae Sedis a secretis;

PETRUS BOETTO, sacerdos e Societate Iesu.

Quid vobis videtur?

Publicatio duorum Cardinalium.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales:

FRIDERICUM TEDESCHINI et
CAROLUM SALOTTI.

Creatio et publicatio decem et octo aliorum.

Creamus praeterea et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum:

IGNATIUM GABRIELEM TAPPOUNI,
HENRICUM SIBILLA,

Franciscum Marmaggi,
Aloysium Maglione,
Carolum Cremonesi,
Henricum Mariam Alfredum Baudrillart,
Emmanuelem Caelestinum Suhard,
Carolum Kaspar,
Iacobum Aloysium Copello,
Isidorum Goma et Tomas;

Ex Ordine Diaconorum:

Camillum Caccia Dominioni,
Nicolaum Canali,
Dominicum Jorio,
Vincentium La Puma,
Fridericum Cattani Amadori,
Maximum Massimi,
Dominicum Mariani,
Petrum Boetto.

Dispensationes, derogationes et clausulae

Cum dispensationibus derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Exinde SS. D. processit ad viduatis Ecclesiis consulendum; provisiones infra inveniuntur, inter Acta Summatim Relata.

---

5 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Allocutio ad Alumnos Pont. Seminarii Gallici de Urbe die 10 ian. 1936

DE ENCYCLICIS LITTERIS *AD CATHOLICI SACERDOTII* ET ACTIONE CATHOLICA

(ex notulis apud *L'Osservatore Romano,* 11 ian. 1936)

Ut carissimus ipsis mos est, alumni Seminarii Gallici in Urbe, novo oriente anno, Summum Pontificem auspicaturi adierunt. In aula Consistorii receptio facta est: praeter alumnos aderant Rev.mus P. Joan-

nes Frey C. S. S. eorum rector, Rev.mus P. Brault eiusdem Congregationis Procurator Generalis aliique Seminarii moderatores. Rev.mus Rector pulcherrime atque religiosissime verba fecit, Beatissimo Patri spiritualia quaedam munuscula offerens et praesertim de novissima Encyclica *Ad catholici Sacerdotii* gratias agens. Quibus Summus Pontifex amantissime respondit sibi quidem periucunda fuisse quae a Rev.mo P. Frey lecta fuerant, prae aliis tamen se commotum significatione Encyclicae de Sacerdotio nuper editae.

Et nunc (1) quidem, ait Beatissimus Pater, hanc nanciscimur occasionem huiusmodi significatione Nobis oblatam ad mentem Nostram vobis totam aperiendam, quae in iis Litteris designatur quaeque iam Nobis argumentum fuit magnae considerationis eamdemque speramus attentius animadvertendam, (quemadmodum vos, dilectissimi filii, facere Nobis compertum est), a legentibus hanc Encyclicam, quam nempe rationem Sacerdotii cum Actione Catholica respiciunt. Actio catholica fauste efficit ut inter sacerdotes et membra quibus constat, (juvenes, viros, mulieres), crebriores easdemque interiores consuetudines inducat: consuetudines quae propriae dici valent, quum Actio catholica, ut eius definitio praestat, laicorum operam apostolatui hierarchico consociatam faciat; at ex iis alia quoque consecutio promanat, (quam et vos ipsi deducitis uti Nos deducimus quamque satis numquam commendamus), necessitas nempe exhibendi totam vitam, totum esse totumque agendi modum sacerdotis in exemplo, in exemplo vivo.

---

(1) TEXTUS ORIGINALIS, *ut legitur l. c. apud « L'Osservatore Romano »:*

Pour l'instant Nous voulons profiter de l'occasion que l'allusion à l'Encyclique Nous offre, pour vous dire toute entière la pensée déjà exprimée dans l'Encyclique et qui fut l'objet d'une grande réflexion de Notre part, comme Nous espérons qu'elle sera l'objet d'une particulière attention de la part de ceux qui liront, comme Nous savons que vous le faites vous-mêmes, chers fils, cette Encyclique, et qui concerne les rapports entre le Sacerdoce et l'Action Catholique. L'Action Catholique a cette heureuse conséquence d'établir un contact plus fréquent, plus intime entre les prêtres et les éléments qui la constituent, jeunes gens, hommes, femmes; rapprochement personnel pourrait-on dire, puisque l'Action Catholique par définition, est la collaboration du laïcat à l'apostolat hiérarchique, mais contact qui entraîne la conséquence que vous tirerez vous-mêmes, comme Nous l'avons Nous-même tirée et que Nous ne saurions assez recommander à l'attention, à savoir qu'il rend nécessaire, qu'il nous oblige davantage à faire de toute la vie, de tout l'être, de toute la conduite du prêtre une véritable édification, une édification vivante.

Jam huius rei momentum tenetis : quae consideratio bonum efficiet inaestimabile, si in animo, corde et intellectu omnium sacerdotum sistat jugiter, eorum maxime qui a Providentia vocantur, ut Actioni Catholicae munus praestent Assistentis.

Hic est absque dubio inter maiores eosque pretiosiores fructus, qui fausta quadam necessitate ex Actione Catholica fiunt. Atque hoc vos scire volumus, Deo gratias haud satis Nos reddituros propter huiusmodi sacerdotum laicorumque consuetudinem, qua ipsi vita, ut ita dicam, communi coguntur in unione laboris pro Domini Nostri Regno eiusdemque dilatatione.

Haec prima rei commentatio.

Altera subit de fructu quem ex ea consuetudine ipse sacerdos sibi facit, quum Actioni catholicae operam navat : quod certe maximae consolationis est maximique pretii. Multi enim sacerdotes et episcopi Nobis narrarunt se benefica admiratione augeri, itaque gratissimas sibi vices rependi, in hac operis consociatione cum laicis in Actione catholica. Quod quidem magnificum est : divinae enim gratiae opus ostendit.

Et dilecti filii, animadversiones duas, quae vobis sane haud commendandas Nobis videntur. »

Aliis quibusdam additis, Summus Pontifex Benedictionem Apostolicam impertitus est, eique acclamationes iteratae dum inter concentus ab aula discessit.

Vous avez déjà saisi l'importance de cette pensée ; cette considération produira un bien inestimable si elle reste toujours devant l'esprit, dans le coeur et l'intelligence de chaque prêtre, surtout de ceux qui sont appelés par la Providence à être assistants de l'Action Catholique.

C'est là assurément l'un des fruits les plus grands et les plus précieux qui dérivent, par une heureuse nécessité, de l'Action Catholique. Sachez que Nous ne saurons jamais assez remercier le Bon Dieu de ce rapprochement des laïques et des prêtres, du laïcat et du clergé, qui les fait vivre pour ainsi dire d'une vie commune, dans la communauté du travail pour le royaume de Notre Seigneur, pour la dilatation de ce royaume béni.

Voilà une premiere réflexion. Il y en a une autre qui montre ce que le prêtre qui collabore à l'Action Catholique reçoit de ce rapprochement. Et ceci est un fait très consolant, un fait d'un prix inestimable. Beaucoup de prêtres et d'évêques Nous ont appris quelle édification bienfaisante ils reçoivent eux-memes en retour reconnaissant, bienfaisant, dans cette collaboration intime avec les laïques d'Action Catholique ; et c'est magnifique, car cela montre le travail de la grâce du Bon Dieu.

Voilà, chers fils, deux considérations que Nous pensons bien n'avoir pas besoin de vous recommander.

6 — Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DECRETUM

Declaratur praedamnatum opusculum, cui titulus: *Pietre miliari nella storia del Cristianesimo*, auctore Ernesto Buonaiuti.

Opus damnatum.

(*AAS* XXVIII (1936), p. 71)

Feria IV, die 15 Ianuarii 1936

Dies consessus, 15 ian. 1936.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito Dominorum Consultorum voto, ipso iure damnatum, vi canonis 1399 C. I. C., declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opusculum, cui titulus: *Pietre miliari nella storia del Cristianesimo* ab Ernesto Buonaiuti, excommunicato vitando, nuper editum.

Approbatio Ss.mi (16 ian. 1936).

Et sequenti Feria V, die 16 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi Em.orum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 20 Ianuarii 1936.

Dies decreti (20 ian. 1936).

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Off. Not.*

---

7 — Sacra Congregatio Consistorialis

Pontificiae administrationis Lauretanae

(*AAS* XXVIII (1936), p. 71)

DECRETUM

Exacto iam anno ex quo Ss.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XI Pontificium Sanctuarium Almae Domus Lauretanae aedesque continentes Suae Ipsius iurisdictioni tam in spiritualibus quam in temporalibus directo subiecit, feliciter expertum est haud pauca emolumenta beneficiaque obvenisse, quae inter commemoranda sunt et aucta, per Auctoritatem Pontificiam,

Emolumenta oborta post subiectionem Sanctuarii Almae Domus Lauretanae iurisdictioni directae SS. D.

Basilicae dignitas, et animarum bonum uberius provectum, ope Religiosorum, qui Basilicae modo deserviunt atque toti incumbunt spirituali curae et adsistentiae fidelium, praesertim peregrinorum, qui pie ac frequenter ad Sanctuarium accedunt.

Quo vero de his, quae supra memorata sunt, beneficiis ii plenius participent, qui Mariali Basilicae propiores exstant, idem Ss.mus Dominus Noster, apostolicae potestatis plenitudine, suppleto quatenus opus sit interesse habentium vel habere praesumentium consensu, vi praesentis Consistorialis Decreti, benigne statuit ut iurisdictio Administratoris Pontificii Basilicae Lauretanae ad territorium Lauretanae civitatis eiusque districtus, iuxta praesentes fines civiles, quod ad dioecesim Recinetensem-Lauretanam pertinet, exstendatur, totaliter suspensa proinde, durante Administratione Pontificia, super eodem territorio, iurisdictione Ordinarii Recinetensis-Lauretani.

Extenditur iurisdictio Administratoris Pontificii.

Ipsius igitur Pontificii Administratoris erit fideles omnes, qui praefatum territorium incolunt, regere eadem quidem potestate iisdemque facultatibus ac Episcopi residentiales; quin tamen legi residentiae, quousque praesentia adiuncta perduraverint, teneatur.

Eius potestas definitur.

Vicario autem Administrationis Pontificiae, charactere episcopali insignito, munus competat ea omnia officia implendi quae Vicarii Generalis, ad normam iuris communis, sunt propria; necnon, absente Pontificio Administratore, functiones in Basilica peragendi, quibus Ordinarius tenetur.

Potestas Vicarii.

Nederlandsche Katholieke Stemmen. XXXV (1935), fasc. 11 (nov.). — Dr. W. MULDER, *Om het behoud van de vastenwet.* p. 342-47.

Schönere Zukunft. X (1935), fasc. 51 (15 sept.). — Dr. MATTHIAS LAROS, *Der Christ und das Menschlich-Allzumenschliche in der Kirche,* p. 1353-4, — Dr. ALBERT MITTERER, *Eugenik nach Thomas von Aquin.* p. 1361-2.

Id. X (1935), fasc. 52 (25 sept.). — Dr. SIGISMUND WAITZ, *Die Grundvoraussetzung für Frieden und Wohlfahrt der Völker.* p. 1395-6. — Dr. MÜNSTER, *Gerechtigkeit - Rechtschaffenheit - Heiligkeit.* p. 1398.

Id. XI (1935), fasc. 1 (6 oct.). — Dr. ENGELBERT KREBS, *Lebenswerte des christlichen Dogmas.* p. 8-9. — Dr. HANS ROST, *So urteilen Kenner über die Liebestätigkeit katholischer Ordensleute.* p. 10-11.

Id. XI (1935), fasc. 2 (15 oct.). — Dr. ERWIN v. KIENITZ, *Kirche, Führerprinzip und Autoritätsgedanke* (contin.). p. 34-6.

Id. XI (1935), fasc. 3 (20 oct.). — Dr. JOHANNES MESSNER, *Der Staat in christlicher Schau.* p. 57-9. — ANTON KÖNIG, *Ungarns Kampf gegen das Einkindsystem.* p. 60-1. — Dr. ERWIN v. KIENITZ, *Kirche, Führerprinzip und Autoritätsgedanke.* II. p. 64-5.

Id. XI (1935), fasc. 5 (3 nov.). — Dr. ALBRECHT EXELBERGER, *Vatikan und italienisch-abessinischer Krieg.* p. 113-4.

Id. XI (1935), fasc. 6 (10 nov.). — Dr. JOSEPH EBERLE, *Der soziale Gedanke im recht verstandenen Alten Testament.* p. 114-6.

Id. XI (1935), fasc. 7 (17 nov.). — FRANCIS H. DRINKWATER, *Der moderne Wuchergeist und die Zeitaufgaben der katholischen Moralisten.* p. 173-4.

Id. XI (1935), fasc. 8 (24 nov.). — Dr. EDGAR MÜHLEN, *Erörterungen um die Kastration von Sängerknaben in der Vergangenheit.* p. 194-5. — F. R. CHATEAUBRIAND, *Der segensreiche Einfluss der Kirche auf die geschichtliche Rechtsentwicklung.* p. 201-3.

Id. XI (1935), fasc. 9 (1 dec.). — Dr. HEINRICH RÖMER *Italienische und französische Stimmen für christliche Erneuerung des Theaters.* p. 221.

Id. XI (1935), fasc. 10 (8 dec.). — Dr. FRANZ STURM, *Die mexikanische Kirchenverfolgung auf einen neuen Höhepunkt.* p. 247-8. — Dr. ERWIN v. KIENITZ, *Ein Beitrag zum Thema « Jesuitenmoral ».* p. 252-3.

Id. XI (1935), fasc. 11 (15 dec.). — Dr. JOSEPH EBERLE, *Des Christen Verantwortung genenüber Buch und Presse.* p. 271-3.

Id. XI (1935), fasc. 12-13 (24 dec.). — Dr. ERWIN v. KIENITZ, *Katholische Sexualkasuistik und Sexualmoral* (contin.). p. 310-3.

Id. XI (1936), fasc. 14 (5 ian.). — Dr. HERMANN FLORIANI, *Die Eugenik - mit im Vordergrund der Zeitproblematik.* p. 336-7.

Id. XI (1936), fasc. 15 (12 ian.). — Dr. FRANZ TRAUTENAU, *Weltanschauung auf der Flimmerwand.* p. 364-5. — Dr. ERWIN v. KIENITZ, *Katholische Sexualkasuistik und Sexualmoral.* p. 365-7.

Id. XI (1936), fasc., 16 (19 ian.). — Dr. HEINRICH RÖMER, *Katholisches Laienapostolat in den Vereinigten Staaten.* p. 391-3.

PARS ALTERA

MONUMENTA

17 — Suprema Cong. S. Officii

Decreta libros proscribentia

I

(*AAS* XXVIII (1936) p. 71)

Feria IV, die 15 Ianuarii 1936

Dies Cong. (15 ian. 1936).

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito dominorum Consultorum voto, ipso iure damnatum, vi canonis 1399 C. I. C., declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opusculum, cui titulus: *Pietre miliari nella storia del Cristianesimo* ab Ernesto Buonaiuti, excommunicato vitando, nuper editum.

Damnatio operis et insertio in Indicem.

Et sequenti Feria V, die 16 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi Em.orum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Confirmatio SS.mi.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 20 Ianuarii 1936.

Dies (20 ian. 1936).

I. VENTURI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

(*AAS* XXVIII (1936) p. 121 s.)

Feria IV, die 19 Februarii 1936

Dies Cong. (19 febr. 1936).

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto,

Damnatio operis et insertio in Indicem.

damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Luis G. Alonso Getino, *Del gran número de los que se salvan y de la mitigación de las penas eternas.* Madrid, Editorial F. E. D. A., 1934.

Confirmatio SS.mi.

Et sequenti Feria V, die 20 eiusdem mensis et anni Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita Audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Dies (5 mart. 1936).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 5 Martii 1936.

I. Venturi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

III

(*AAS* XXVIII (1936) p. 121 s.)

Dies Cong. (4 mart. 1936).

Feria IV, die 4 Martii 1936

Damnatio operum.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros a Paulo Hectore Santangelo conscriptos, quibus tituli:

Lutero, Milano, Edizioni Corbaccio, 1932;
Vita di Gesù, Bari, Laterza, 1933;
San Paolo, Bari, Laterza, 1933.

Confirmatio SS.mi.

Et sequenti Feria V, die 5 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Dies (21 mart. 1936).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 21 Martii 1936.

I. Venturi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

18 — S. C. Rituum

Rescriptum ad Em.mum Card. Archiepiscopum Genuensem

(ex *Rivista Diocesana* Archidioec. Genuen., nov. 1935)

Roma, 30 novembre 1935 *Dies rescripti.*

Eminenza Reverendissima,

Quaestta de Missa dialogata.

I. « In Seminariis, in Congregationibus, in aliquibus paroeciis inolevit usus quo populus, una cum ministro respondeat in Missis privatis, modo nihil confusionis afferat. Quaeritur utrum hic usus sustineri possit, imo et propagari ».

II. « In nonnullis locis, in Missis privatis, populus una cum sacerdote celebrante, alta voce et concorde, recitat *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Agnus Dei.* Propagatores huius usus hanc rationem reddunt: Missa privata est abbreviatio Missae decantatae. Atqui in Missa decantata populus decantat *Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Agnus Dei.* Ergo fieri potest per recitationem etiam in Missis privatis ».

« Quaeritur utrum sustineri possit et usus et ratio adducta ».

Responsa.

Questa Sacra Congregazione, udito anche il parere della Commissione liturgica risponde che, secondo il decreto n. 4365, spetta all'Ordinario giudicare se nei singoli casi, avute presenti tutte le circostanze di luogo, popolazione, numero delle Messe celebrate contemporaneamente, ecc., l'uso proposto, benchè per sè lodevole, importi disturbo anzichè fomentare la devozione. Il che più facilmente può verificarsi nell'uso proposto nel secondo dubbio, pure prescindendo dalla ragione addotta, che cioè: *Missa privata est abbreviatio Missae decantatae.*

In conformità al suddetto criterio l'Emza V. Rev.ma nella sua prudenza ha il pieno diritto di disciplinare questa forma di pietà liturgica.

Inchinato al bacio della Sacra Porpora, mi è grato di professarmi della Em.za V. Rev.ma Dev.mo Servo

ALFONSO CARINCI
Segretario della S. Congregazione dei Riti.

ANNOTATIO

Versionem latinam una cum commentariis locupletissimis huius Responsi supra invenies in eodem hoc tomo, p. 57* ss.

19 — S. Congr. de Propaganda Fide

INSTRUCTIO RELIGIOSIS MULIERUM INSTITUTIS AD TUENDAM PUERORUM MATRUMQUE VITAM IN LOCIS MISSIONUM

Constans ac sedula (1) huic S. Congregationi consuetudo fuit rationem apostolatus ad diversas temporum locorumque necessitates componendi. In praesentia autem complures missionum Ordinarii documenta S. Sedi ultro attulere de necessitate aptiora adhibendi praesidia in matrum et infantium salutem. In quibusdam enim Africae regionibus nonnullae tribus in dies decrescunt et ad extinctionem adducentur, nisi efficacioribus curis matrum et infantium vitae subveniatur. Alibi vero, neglectis elementaribus valetudinis servandae praeceptis, ingentissimo numero pueri vel primis vitae diebus decedunt. Earum regionum civilis potestas et acatholicae quoque sectae studiose ad rem animos mentesque intendunt; atque nonnulli Gubernatores Sorores in nosocomia non admittunt nisi probationis testimonio seu diplomate curandi infirmos praeditas.

Iam nunc privatis consiliis exorta sunt hic atque illic varia pro servandis matribus et pueris sodalicia, quae oportet in certam disciplinam et ordinem quamprimum instruere.

Haec igitur Sacra Congregatio huic urgentiori missionum necessitati, qua par est consideratione prospiciens, obtenta a Summo Pontifice Pio Div. Prov. Pp. XI debita facultate consiliisque conlatis cum S. Congregatione negotiis Religiosorum

---

(1) Subiicimus versionem italicam, editam in Ephemeride *L'Osservatore Romano* die 4 mart. 1936, quae italica conscriptio in quibusdam punctis minoris momenti ab ipso documento parum differt:

È sempre stato costume di questa Sacra Congregazione di adeguare i metodi di apostolato alle diverse esigenze dei tempi e dei luoghi. Ora vari Superiori di Missione stimarono di segnalare alla Sacra Congregazione la necessità di accrescere i provvedimenti per l'assistenza alla maternità ed all'infanzia. Vi sono in Africa delle tribù che diminuiscono continuamente e che sono destinate a sparire se non si provvede a una migliore assistenza sanitaria alle madri e ai Bambini. È pur noto che in altri paesi la mortalità infantile, per mancanza di cure igieniche, è spaventosa. I vari Governi di quei paesi e anche le sètte acattoliche si interessano vivamente a questo problema. Alcuni Governi esigono dalle infermiere diplomi riconosciuti sotto pena di rifiutarle dagli ospedali.

Sono già sorte varie iniziative private per l'assistenza alla maternità ed infanzia nei paesi di missione, che urge di disciplinare e coordinare.

Pertanto questa Sacra Congregazione ha maturamente studiato questa urgente necessità delle Missioni; e ottenuta dal Santo Padre Pio XI la debita

sodalium praeposita, has quae sequuntur normas ac instructiones edendas opportunum censuit.

Optandum sane est ut nova instituantur Sororum Sodalicia, quae iuvandis matribus et infantibus periclitantibus, servatis servandis, sese devoveant. Haec auspicata Instituta ad normam iuris communis efformanda sunt. Praeterea huic S. Congregationi gratum acceptumque erit si in Institutis Religiosis iam exsistentibus coetus Sororum formentur quae ad praedictum finem contendant. Si res postulaverit, constitutionibus Institutorum ab hoc S. Consilio dependentium opportunae normae adiicientur.

Ea tamen quae supra disposita sunt, hisce quae sequuntur, condicionibus subsunt:

a) Necesse non est ut *omnes* Religiosae mulieres ipsaemet operam omni curationum generi praestent. Eae poterunt laicas indigenas, infirmorum ministras, sibi subiectas habere, documentis probatae peritiae munitas, coniunctas vero cum Instituto Religioso societate vitae et animorum.

b) Nulla Soror obligari poterit a Superioribus ad ministerium obstetriciae artis; sed tantum illae Sorores quae libero studio hoc peculiare missionalis caritatis munus a Superioribus acceptare velint.

c) Nova ista munera tum adaequatam postulant medicae artis cognitionem, tum specialem animae disciplinam. Necesse est ergo ut Sorores vel de re medica vel de ministerio infirmis

---

facoltà, d'accordo con la Sacra Congregazione dei Religiosi, è venuta nella determinazione di emanare le seguenti norme e istruzioni:

1. Questa Sacra Congregazione vedrà con piacere sorgere nuovi Istituti religiosi femminili aventi per fine speciale, con le debite cautele, l'assistenza sanitaria. Questi Istituti devono essere fondati e sviluppati « ad normas juris communis ».

2. Questa Sacra Congregazione vedrà pure con piacere formarsi in seno agli Istituti religiosi femminili già esistenti sezioni aventi lo scopo predetto. Se sarà necessario, si aggiungeranno opportune norme alle Costituzioni degli Istituti dipendenti dalla medesima.

3. Tali nuove provvidenze missionarie sono soggette alle seguenti clausole:

a) non è necessario che « tutte » le Religiose esercitino esse stesse tutti i rami dell'assistenza sanitaria. Esse potranno avere alla loro dipendenza infermiere laiche indigene, munite dei debiti diplomi e unite all'Istituto religioso da vincoli spirituali e sociali;

b) nessuna Suora può esser obbligata dai Superiori all'assistenza ostetrica; ma vi si devono ammettere solo quelle Suore che liberamente accettano dai Superiori questa nuova forma di apostolato missionario;

c) questi nuovi compiti esigono un'adeguata preparazione tecnica e morale. Per la preparazione tecnica è necessario che le Suore conseguiscano i diplomi o di medichesse o di infermiere. Ma sopratutto è necessario che

praestando publicas litteras probationis obtinuerint; sed in primis ut ipsae peculiaribus praesidiis custodiantur et roborentur; quae quidem praesidia spiritualia a Superioribus determinanda sunt. In ministerio curationum sentire debent sanctam inesse caritatis exercitationem et meritum, quum, dolores corporum lenientes, ad gratiam Redemptionis iter animis aperiant. Illud S. Francisci Salesii meminisse iuvat, caritatem scilicet esse vigilem castitatis custodem.

d) Necesse sane est ut Sorores, ad litteras probationis obtinendas, valetudinaria et universitates catholicas adeant, et, si ea desint, nosocomia a magistris catolicis recta. Si tamen valetudinaria et universitates catholicas adire nequeant, Sorores, impetrate licentia ab hac S. Congregatione, etiam laicalia valetudinaria frequentare poterunt. Candidatae, binae saltem, nosocomia frequentent, et, quatenus opus sit, modestis laicalibus indutae vestibus; in religiosis vero domibus degant, ubi quotidie eis praesto sint solacia et spiritualia praesidia.

e) In novis vero Institutis, quae ex professo operam dabunt matrum et infantium curandae saluti, candidatae universitatis studia compleant ante perpetuorum votorum professionem. In Institutis iam exsistentibus huius normae consideratio habeatur et, quantum constitutiones permittant, norma servetur.

Quod attinet ad exercitium medicinae et chirurgiae a missionariis explendum, huiusmodi exercitium praescriptis can. 139

---

esse siano poste sotto la salvaguardia di speciali presidii spirituali, che saranno determinati dai Superiori. Esse devono vedere in questi delicati servigi sanitari un alto esercizio e merito di carità cristiana: carità diretta a lenire le miserie corporali e ad aprire la via alla grazia della Redenzione. Giova ricordare il detto di S. Francesco di Sales che la carità è una buona guardiana della castità;

d) è certo necessario che le Suore, per ottenere i prescritti diplomi, frequentino cliniche o Università Cattoliche, o, in difetto di queste, cliniche rette da docenti cattolici. Che se non fosse possibile di frequentare cliniche di Università cattoliche, le Suore, con speciali permessi da accordarsi da questa Sacra Congregazione, potranno frequentare anche cliniche laiche. Le candidate frequenteranno le cliniche in gruppi di almeno due; se sarà necessario, vestiranno modesti abiti laici; dovranno poi abitare in case religiose, in cui possono quotidianamente avere tutti i conforti e presidii spirituali;

e) nei nuovi Istituti, che si dedicheranno « ex professo » all' assistenza della maternità ed infanzia, le aspiranti frequenteranno i corsi universitari prima della professione dei voti perpetui. Negli Istituti già esistenti, si tenga presente questo principio, uniformandosi in quanto lo permettano le Costituzioni.

Per quanto riguarda l'esercizio della medicina e chirurgia praticate dai Missionari, tale esercizio è regolato dal canone 139 e dagli indulti che questa Sacra Congregazione ha costume di concedere.

C. I. C. definitur, atque indultis quae Sacra Congregatio concedere solet.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 11 februarii 1936.

L. ✠ S. PETRUS Card. FUMASONI-BIONDI, *Praetectus.*

† CELSUS COSTANTINI, Archiep. tit. Theodosien, *Secretarius*

ANNOTATIONES

Finis huius Instructionis est aptius providere necessitatibus parturientium et infantium, qui nunc tam multi in terris missionum praematurae morti occumbunt. Instructio in tres partes apte dividitur: prima docet curnam S. Congregatio novis mediis providendum censeat mulieribus et infantibus in terris missionum; altera de condendis Institutis religiosis vel in iis quae iam exsistunt novis sectionibus agit; tertia normas statuit de formandis Sororibus quae mulieribus parturientibus vel infantibus curam praestabunt.

I - S. Congregatio in memoriam revocat immensam mulierum et infantium stragem quam dolemus praesertim in Africa, sed in aliis quoque regionibus, oriundam e defectu apti auxilii sive tempore partus, sive per primos vitae infantis menses. Dum numerus puerorum qui in primo circiter anno moriuntur computatur inter *mille* 69 in Anglia, 97,4 in Gallia, 105 in Germania, 51 in Neerlandia, in variis Africae partibus ascendit ad 300 in sanis regionibus, ad 700-800 ubi condiciones peiores sunt (1).

Apud Indos ferunt, occasione nativitatis 8.000.000 infantium, saltem 100.000 matres e partus sequelis perire (2).

Gubernia civilia amovendis his incommodis institutione scholarum artis medicae et erectione nosocomiorum praesertim opem dederunt (3); sectae autem acatholicae multos medicos utriusque sexus, in territoria missionum miserunt et varia Instituta ad subveniendum infirmis, praesertim mulieribus et infantibus, erexerunt. Sic v. g. Associatio « National Association for supplying female medical Aid for the Women of India » anno 1886 erecta, iam anno 1899 apud Indos 94 nosocomia

(1) EVELYN SHARP, *The African Child,* London, 1931, p. 19 et ss.
(2) J. HAVET, *Revue de l'Aucam,* 1933, p. 42.
(3) J. HAVET, *ibid.*, p. 5 ss.

erexerat, 35 medicos feminei sexus anglos vel americanos miserat et 39 stationes medicales curabat (1).

Porro progrediente scientia medicinae non in regionibus excultis tantum, sed iam in Coloniis pluribus artem exercere non permittuntur qui publico testimonio suam aptitudinem non demonstrent. Missionibus catholicis profuit ista severitas. In multis enim Europae et Americae septentrionalis partibus, Sorores quae infirmos curant, studia specialia obiverunt quibus publicum scientiae testimonium acquirerent. Sic non pauca Congregationes in missiones Sorores mittere potuerunt quae, praeter zelum animarum et inditum mulieri ingenium, satis profundam morborum, pharmacorum et curae infirmorum cognitionem corporibus medendis applicare possent.

Immo in haud paucis missionum territoriis aliquot saltem Sorores obstetricis operationibus sive ipsae, sive medicis auxilium ferendo, operam praestant. Tempus iam advenisse censet S. Congregatio de P. F. opera variorum Institutorum magis coordinare et normis certis dirigere.

Sedulo notandum est Instructionem ad solas mulierum Congregationes vel Societates dirigi. Non enim optandum videtur ut sacerdotes diploma medici longis studiis sibi acquirant et multo minus tolerandum ut sacerdotes vel etiam Fratres qui aliqua artis medicae cognitione, etiam publico diplomate confirmata, pollent, parturientibus auxilium ferant. In pluribus missionum terris, id sine gravi scandalo fieri non posset.

II - Ut necessitatibus missionum subveniatur S. Congregatio exoptat: 1. Ut novae quaedam mulierum Religiones ad normam iuris communis condantur quae infirmis, et praesertim parturientibus et infantulis curandis se dedicent; 2. ut in Religionibus iam exstantibus pars Sororum ad idem munus deputetur.

Novae Normae de Congregationibus religiosis condendis a S. Congr. de Religiosis, d. 6 mart. 1921 datae sunt (2). Quae de Religionibus can. 492 dicuntur, ad Societates quae vitam religiosam imitantur can. 674 extenduntur. Non est negandum Societates quae vitam religiosam sine tribus votis publicis imitantur, quibusdam missionum necessitatibus magis quam Religiones proprie dictas aptari. Praesertim cum de arte me-

(1) Dr. Arlette Butavant, *Les femmes médecins missionnaires*, Louvain, 1933, p. 51.

(2) *A. A. S.*, XIII, 1921, p. 312. - *Period.*, X, p. 295 ss. - Cfr. nostrum commentarium in *Documents du S. Siège*, (Louvain, 1928) p. 1 ss.

dicinae exercenda agitur, et de speciali parturientium mulierum vel infantulorum cura, maior talium Societatum libertas quod ad vitae ordinationem, clausuram, habitum, etc. obstacula quaedam removet quibus Congregationes religiosae multae detinentur. Attamen iam experientia constat non paucas Congregationes suum vivendi modum ita temporum adiunctis aptasse ut etiam in missionibus et in cura infirmorum operam suam omnium plausu praestare possint.

Voto S. Congregationis non uno modo obsecundari potest. Sunt enim Congregationes quae « Sectiones » proprie dictas habent, quarum alia v. g. docendis pueris vel adolescentibus vacat, alia curandis infirmis. Ita constituta est Congregatio S. Familiae Burdigali in Gallia. Utrum necne praestet in aliis Congregationibus tales sectiones constituere prudenti Superiorissarum examini relinquimus. Id nullo modo videtur necessarium in multis Religionibus quae Sorores iuxta dotes suas doctrinae tradendae vel infirmis curandis applicant.

At quaeri potest num in Religionibus quae unice ad docendum sunt institutae et ad illum finem suas Sorores informant, praestet sectionem condere cuius membra ad curandos infirmos praeparentur ut in missionibus exteris hoc caritatis opus persolvere queant. Si licet pro modulo nostro loqui, non aestimamus id esse necessarium vel opportunum. Sed illae Religiones Sorores suas in sola missionum territoria mittere deberent quae iam satis sunt exculta. In iis enim plures inveniuntur Congregationes quarum alia doctrinae religiosae et scientiis profanis docendis, alia curandis infirmis vacare potest. Attamen semper praestabit saltem aliquot e Sororibus quae ad scholas condendas vel dirigendas in territoria missionum mittuntur ita informare ut saltem magis sparsos morbos sublevare et in casu urgenti utile auxilium ferre possint.

Si quis vota S. Congregationis de P. F. cum textu Normarum, etiam earum quae anno 1921 datae sunt, cap. II, 4°, *d* conferat, facile videbit quanta mentis S. Sedis mutatio a tredecim annis facta sit. Quae enim tunc Congregationes « multo minus probari » posse dicebantur, hodie condendae vel dilatandae sunt. Quam prudenter S. Sedes rationem locorum et temporum habuerit ex historia Normarum de hac re satis elucet. Neque enim Congregationes huiusmodi iam existentes sustulit (1), et Ordinariis satis facile permisit ut Sorores quae parturientibus vel puerulis curam vovebant, approbarent. Ita factum est ut

(1) v. g. *Soeurs de la Maternité* cum domo generali in Metz.

non in Statibus foederatis Americae septent. tantum, sed in pluribus Europae regionibus multae Sorores illam caritatis formam colerent.

Paulo ante bellum anni 1914, tota quaestio apud S. Congregationem de Religiosis theoretice examinanda erat. Sed morte Card. Vivès et perturbatione bellica examen rerum dilatum fuit. Eminorum Cardinalium coeteroquin haud una de his erat sententia et normis conficiendis obstabant forte satis variae locorum condiciones.

Quaenam fuerint in mutanda opinione partes Pontificis gloriose regnantis conicere est ex iis quae ad promovendam scientificam in arte medica institutionem Sororum egit in Italia. Multo magis manifestae fuerunt voluntas S. Pontificis et mens plurium membrorum SS. Congregationum cum in recenti (aug. 1935) internationali Conventu ministrarum infirmorum (*Infirmières*) catholicarum Romae habito, approbante S. Sede, Sororibus propositae sunt normae agendi in hac materia (1). Vota et exhortationes S. Congregationis de P. F. omnia quae in sessionibus Congressus dicta sunt, praeclare confirmant.

III - Iam de Normis quae in promovendis novis caritatis operibus servandae sunt, paucis verbis agendum est. Etsi S. Congregatio de P. F. facultates necessarias obtinuit et consilia cum S. Congregatione de Religiosis contulit, Instructio eas solas personas et loca regit quae ab ipsa Congregatione pendent. Quare aliis mentem S. Sedis manifestat et valde opportunas normas offert, quibus tamen stricte non tenentur. Vix tamen praetermitti possent sine oppositione cum votis et forte normis S. Congregationis de Religiosis.

a) Quod in non uno nosocomio fit, id suggeritur. Accidit enim ut in quibusdam « Maternitatibus », sub directione unius alteriusve Sororis, laicae infirmorum ministrae operationibus obstetricis assistant et Sorores in curis dandis adiuvent. In missionibus hoc est eo magis suadendum quod numerus Sororum ubique infra necessitates diutissime haerebit et institutio indigenarum puellarum in arte medica ubique commendetur.

Vinculum spirituale inter Sorores et infirmorum ministras esse poterit cuiusdam aggregationis latioris vel strictioris, cuius

---

(1) Cfr. *Periodica* XXIV (1935) p. 177*-180*; *Actes du Pèlerinage-Congrès des Infirmières catholiques*. Cité du Vatican, 25-29 Août 1935. p. 67 ss.; p. 87 ss. vel *Revue des Communautés Religieuses*, 1936, p. 3 ss. et J. Creusen, S. I., *Quelques problèmes de Morale professionnelle*, Bruxelles, 1936.

exempla in nostris regionibus non desunt. Cogita Tertiarias, Oblatas, Dominas a caritate, etc. (1).

Possunt quoque ministrae laicae cuidam missionis stationi ad certum numerum annorum aggregari, cum vel sine religiosis quibusdam obligationibus. Ab aliquot annis plures Associationes in Europa conditae sunt, a quibus Congregationes religiosae huiusmodi auxilium petere possunt.

b) Inter Sorores quae infirmos curant, minor in dies erit difficultas reperiendi eas quae sponte obstetricis operationibus operam praestare velint. Hanc enim apostolatus formam nunc magis aestimant et, experientia teste, pericula castitatis perfectae in ea non maiora quam in aliis apostolatus formis esse comperiunt.

c) Necessitas specialis institutionis simul scientificae et moralis ad hunc apostolatum rite exercendum in Congressu internationali romano praeclare illustrata est. In allocutione ad membra Congressus, Sua Sanctitas pluries asseruit quantum cuperet Sorores scientifica et practica institutione laicis infirmorum ministris saltem aequales, et quantum fieri potest, superiores fieri (2). De religiosa et scientifica institutione plurima quoque in Variis Relationibus proponuntur, quae utpote a peritis Superiorissis dicta, omni attentione digna sunt et hortationem S. Congregationis mire illustrant (3).

Merito quoque asserit S. Congregatio curam parturientium et infantulorum esse praeclarum caritatis opus et in memoriam revocat verba S. Fr. Salesii.

De necessitate institutionis *moralis* et dotum moralium non est cur insistamus. A ministra enim infirmorum, praesertim parturientium, exiguntur: urbanitas, secreti tenacitas, dignitas sermonis et actionis, comis simul et discreta affabilitas, etc.

d) Ante quadraginta annos S. Congregatio EE. et RR. Instructionem edidit de clericis saecularibus et Religiosis qui Universitates frequentant (4). Sed ad episcopos et ad Superio-

---

(1) Cfr. specimen huius aggregationis in periodico *Aide Médicale aux Missions* (A. M. M.), 1932, p. 5 et quod exstat apud Missionarias Franciscanas de Maria *(Actes du Pèlérinage-Congrès,* p. 19).

(2) Vide *Actes du Pèlerinage-Congrès*, pp. 8-10 et 14.

(3) Cfr. *Rapports réservés aux Congrégations hospitalières.* Exstant translata in quinque linguas apud Hospice Ste Marthe, Cité du Vatican vel Parisiis, rue du Bac, 140, apud Sorores S. Vincentii. Quod ad curam parturientium, praesertim attentione digna est Relatio Superiorissae Generalis Congregationis « Piccola Compagnia di Maria », p. 124, ss.

(4) Instr. *Perspectum est,* 21 iul. 1896. — *A. S. S.*, XXIX, 1896, p. 359. — Vermeersch, S. I., *De religiosis Institutis,* II, p. 528.

res Religionum in Italia tantum spectabat. Illius Instructionis praescripta a S. Congreg. Consistoriali confirmata et ad universam Ecclesiam extensa sunt decreto 30 april. 1918 (1). Iuxta illa non licet Religiosos ad laïcam Universitatem mittere, ubi copia Universitatis quae ab ecclesiastica auctoritate pendeat, suppeditatur (2). Iamvero in Instructione S. C. de P. F. vetantur Sorores valetudinaria laica ad studia facienda fraequentare sine licentia S. Congregationis. Cum verba « con permessi da accordarsi da questa S. C. » clare ad S. C. de P. F. referantur, hoc praescriptum valet tantum pro personis vel locis quae ipsi subduntur. Quare, nisi idem praescriptum a S. C. de Religiosis edatur, aliae Sorores sola Moderatricis licentia indigebunt (3).

Ad scholas celebrandas, habitum religiosum deponere vel mutare satis raro necesse erit. In regionibus protestanticis, ubi sacerdotes talarem habitum non gestant, Sorores omnes cum suo habitu speciali ubique in publicum prodeunt. Sed in exercitiis practicis, v. g. ad partem in operationibus chirurgicis habendam, saepe proderit vel oportebit formam et materiam habitus mutare. V. g. laneae vestes facilius infectioni perviae sunt et difficilius purgantur; idem de quibusdam velorum formis dici potest; amplae manicae deponendae sunt, sed anterior brachiorum pars nullo modo nuda esse debet.

Quod ad habitationem in communitate religiosa, plurimae Superiorissae timent ne suae Sorores in domo alius Congregationis degentes proprium suae Religionis spiritum amittant. Quam vanus ille timor sit experientia compertum est. Sane si duae vel tres tantum Religiosae in alia communitate degant, taedium ipsis satis facile generatur. Quare semper optavimus ut in civitatibus in quibus catholica studiorum Facultas est, domus religiosa erigatur quae multas Religiosas variarum Congregationum recipere possit. Exempla docent quantum illa ordinatio rectae, scientificae et morali institutioni faveat. Satis erit allegare *Institutum Mariae Immaculatae* in Castelnuovo (Mediol.), *Catholic Sisters' College* in Washington, D. C., *Collegium Marianum* in Münster. Confirmantur nostra dicta testimonio Em. Card. Verdier, quod ad Sorores quae Parisiis in Nosocomio-schola S. Iosephi studia peragunt (4).

e) S. Congregatio praescribit ut in condendis Institutis Sorores Universitates et Valetudinaria ante professionem per-

(1) *A. A. S.*, X, 1918, p. 237. — *Period.*, IX, p. 119.

(2) Cfr. Encycl. *Pascendi*, II.

(3) Instruct. *Perspectum est*, III.

(4) Cfr. *Actes du Pèlerinage-Congrès*, p. 106. — De hac quaestione vide quae dixerimus in *Revue des Communautés Religieuses*, IX, 1933, p. 7 ss.

petuam celebrent. In Religionibus iam exstantibus, servari possunt Constitutiones. Cum haec studia pars sint institutionis scientificae et religiosae, praestat ante ultima vota nosse num Sorores aptae sint illi apostolatus formae, spiritum religiosum inter difficiliores circumstantias servent, in sua vocatione, non obstante illo cum mundo contactu, perseverent. Si necesse fuerit eas a studiis ob varia motiva removere, occasio eis praebebitur ostendendi num vitam religiosam ita aestiment ut humiliationem ferre vel Deo in aliis operibus servire possint.

Quod ad exercitium medicinae, ad can. 139 remittimur. S. Sedes illud exercitium permittere potest, sive particulari indulto, sive implicita a can. 139 dispensatione quae in Constitutionum normis contineatur, sive facultatibus quae Ordinariis missionum conceduntur. Sororibus tamen, quae medicinae et praesertim chirurgiae artem exercere velint, indultum speciale necessarium erit: debent enim, etiam ordinario modo, ad graves incisiones recurrere posse. Habituales Ordinariorum missionum facultates id non sinunt (cfr. Form. III maiorem, n. 44). Sed in Institutis, quae finem a S. Congregatione in hac Institutione intentum speciatim prosequentur, dispensatio generalis in Constitutionibus dari posset. Quanto plausu haec Instructio a multis Congregationibus mulierum accipienda sit, neminem fugiet qui necessitates missionum cognoscat et promptam Sororum voluntatem Sanctae Sedis votis obsecundandi.

Louvain J. CREUSEN, S. J.

20 — S. C. de Seminariis et Studiorum Univ.

Instructio 7 ian. 1936

AD ARCHIEP. NICOLAUM MONTERISI, PRESIDEM COMMISSIONIS EPISCOPALIS PRO SEMINARIO REGIONALI

Prot. N. 2263|35. *Roma, 7 gennaio 1936.* *Dies Instructionis 7 ian. 1936.*

Eccellenza Reverendissima,

questa Sacra Congregazione (1) ha dovuto con rincrescimento rilevare come i giovani trattenuti quali prefetti nei Se- *Ratio scribendi.*

(1) VERSIO NOSTRA:

Excellentissime Domine,

Haec Sacra Congregatio aegre animadvertit iuniores clericos in Seminariis diocesanis detentos, ut munere praefectorum fungantur, magno eorumdem

minari Diocesani restino *spesso*, con grave danno della loro formazione, senza guida ed abbandonati a se stessi, specialmente per quanto riguarda gli studi. Ne viene di conseguenza che spesse volte si presentano agli esami presso il Seminario Regionale assolutamente impreparati e con programmi ridotti.

Hortatio facienda.

Per ovviare a sí grave inconveniente questa S. Congregazione crede suo stretto dovere di ricordare che gli alunni i quali fungono da prefetti nei Seminari Diocesani, col permesso di questa S. Congregazione e in via, ben s'intende, del tutto eccezionale, sono obbligati a sostenere presso il Seminario Regionale gli esami regolari *in tutto uguali per estensione di programma, per serietà di giudizio e per valore di conseguenze a quelli dati dai loro compagni rimasti nel Regionale stesso.*

Confirmatio ex Litt. Encycl. Ad Catholici Sacerdotii.

Tale disposizione viene ora confermata anche in ossequiagli ammonimenti contenuti nell'Enciclica *Ad catholici Sacerdotii fastigium* emanata dal S. Padre il giorno di Natale u. s.

Con sensi di venerazione mi professo di Vostra Eccellenza Rev.ma dev.mo per servirla

GAETANO Card. BISLETI

---

conformationis detrimento sibi haud raro relinqui omnique duce destitui in iis praesertim quae ad studia pertinent. Quo fit ut saepe periculis subeundis Seminarium regionale adeant imparati ac studiorum propositis imminutis.

Tantae jacturae ut occurratur, haec Sacra Congregatio summum ducit officium suum commonere ut, qui clerici alumni ex licentia plane singulari, ut patet, huius Congregationis praefecturam agunt in Seminariis diocesanis, teneantur juxta regulam apud Seminarium Regionale periculum sui facere ex aequo omnino ac eorum socii, qui in eodem Regionali commorantur, sive scholae propositis et institutis, sive judicii severitate et consequentium momento.

Quae ordinatio ex monitis Encyclicae *Ad catholici Sacerdotii fastigium* novissima Natalis die a Beatissimo Papa editae iterum nunc firmantur.

In Excellentiam tuam Rever.mam meos animi venerabundi sensus profiteor, tibi addictissimus servus

CAIETANUS Card. BISLETI

ACTA SUMMATIM RELATA

21 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Missio sui iuris ad gradum Praefecturae evehitur.

A. Bulla *Ad maioris dignitatis*, 8 april. 1935, Missio *sui iuris* de *Tungchow* in Sinis, eodem servato nomine iisdemque finibus, ad Praefecturae Ap.cae gradum et dignitatem provehitur Ordinique Fratrum Minorum, ut antea concreditur (*AAS* XXVIII (1936) p. 90 s.).

Novae Praefecturae Ap.cae erectio.

B. Bulla *Quo Catholici Nominis*, 8 april. 1935, e territorio Vicariatus Apostolici de *Mariannhill*, in Africa, septem civiles districtus ac pars civilis districtus de *Matatiele* seiunguntur ac separantur atque ex horum districtuum territorio nova Praefectura Ap.ca erigitur et constituitur ac de *Monte Currie* nuncupatur (*AAS* XXVIII (1936) p. 91 s.).

Praefectura Ap.ca ad Vicariatus gradum evehitur.

C. Bulla *Quaeque Praefectura Apostolica*, 8 april. 1935, Praefectura Ap.ca de *Kroonstad*, in Africa Meridionali, iisdem servatis nomine et limitibus, ad Vicariatus Ap.ci gradum et dignitatem extollitur atque Congregationis a Spiritu Sancto sodalibus, etiam in posterum concreditur (*AAS* XXVIII (1936) p. 92 s.).

Novae Praefecturae Ap.cae erectio.

D. Bulla *Ad christianum nomen*, 8 april. 1935, e Vicariatu Ap.co *de Yunnanfu* territorium decem subpraefecturas civiles et urbem *Lutien* complectens separatur, atque ex eo nova erigitur et constituitur Praefectura Ap.ca eaque saeculari clero indigenae committitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 94 s.).

ANNOTATIO

Notanda sunt verba a quibus Constitutio Apostolica sumit initium; suum enim habent momentum theoreticum atque ad illustrationem Litterarum Apostolicarum *Maximum illud* (1) et *Rerum Ecclesiae* (2) faciunt:

«Ad christianum nomen facilius ac salubrius inter infideles

(1) *AAS* XI (1919) p. 440 ss. — *Periodica* X (1921) p. 20 ss.
(2) *AAS* XVIII (1926) p. 65 ss. — *Periodica* XV (1926) p. 1 ss.

propagandum haud dubie valde prodest si Evangelii praecones animarumque Pastores quantum fieri possit e clero indigena seligantur. Sacerdos enim indigena, utpote qui ortu, ingenio, sensibus studiisque cohaereat cum suis popularibus, melius quam quisque alius in illorum animos fidem insinuare potest».

Novae Praefecturae Ap cae erectio.

E. Bulla *Inter graviores*, 18 iun. 1935, e Vicariatu Ap.co de *Tananarive* duo districtus civiles de *Vatomandry* et de *Mahanoro*, et e Vicariatu Ap.co de *Fianarantsoa* duo pariter civiles districtus de *Nosivarika* et de *Marolambo* separantur, atque ex illis nova erigitur Praefectura Ap.ca de *Vatomandry* nuncupanda eaque Presbyteris Missionariis Soc. Mariae de Montfort conceditur (*AAS* XXVIII (1936) p. 96 s.).

Praefectura Ap.ca ad Vicariatus gradum evehitur.

F. Bulla *Merito lubenterque*, 18 iun. 1935, Praefectura Ap.ca de *Suchow*, in Sinis, in Vicariatum Ap.cum, evehitur, erigitur et constituitur qui Societatis Iesu Curis committitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 97 s.)

Praefectura Ap.ca ad Vicariatus gradum evehitur.

G. Bulla *Etsi inter calamitosas*, 18 iun. 1935, Praefectura Ap.ca de *Kaying* in Sinis in Vicariatum Ap.cum, eodem nomine et finibus servatis, evehitur, erigitur et constituitur atque Societati de Maryknoll pro Missionibus exteris committitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 99 s.)

Praefectura Ap.ca ad Vicariatus gradum evehitur.

H. Bulla *Digna sane*, 18 iun. 1935, Praefectura Ap.ca de *Katanga* Septentrionali in Vicariatum Ap.cum, iisdem servatis finibus et nomine, erigitur et constituitur (*AAS* XXVIII (1936) p. 100 s.).

Epistola ad Em.um Card. Capotosti.

I. Epistola *Mensis Septembris* 30 aug. 1935, SS. D. N. Em.mo P. D. Aloysio Tit. S. Petri ad Vincula S. R. E. Presbytero Card. Capotosti, dena ab inito sacerdotio explenti lustra, omina faustissima agit, eique Ap.cam Benedictionem, coelestis solacii et praesidii auspicem et pignus impertit (*AAS* XXVIII (1936) p. 104 s.).

Epistola ad Em.um Card. Lépicier.

L. Epistola *Grata semper*, 14 sept. 1935, SS. D. N. Em.mo P. D. Alexio Henrico Tit. S. Susannae S. R. E. Presbytero Card. Lépicier, S. Congregationis Religiosorum Praefecto, appetenti quinquagesimo natali sacerdotii eius libenter gratulatur, fervidasque gratulationes ac paterna vota defert (*AAS* XXVIII (1936) p. 105 s.).

S. Raphaël Archangelus, dioecesis Aterradensis patronus declaratur.

M. *Litterae de Patronis :*

1. Brevi *Cum Aterradensis*, 29 sept. 1933, Sanctus Raphaël Archangelus dioecesis Aterradensis in Brasilia coelestis patro-

nus apud Deum declaratur et constituitur, privilegiis omnibus liturgicis adiectis, quae huic titulo sunt adnexa. (*AAS* XXVIII (1936) p. 102 s.).

B. M. Virgo « del Pilar de Zaragoza » et S. Ioannes Nepomucenus patroni declarantur.

2. Brevi *Alajuelensium Episcopus*, 29 nov. 1933, B. V. Maria sub titulo « del Pilar de Zaragoza » Patrona principalis et S. Ioannes Nepomucenus Patronus secundarius confirmantur civitatis Alajuelensis in Costarica. (*AAS* XXVIII (1936) p. 103 s.).

N. *Litterae, praeter Bullas, de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Ap.cis et Missionibus :*

Nuntiaturae Ap.cae erectio.

Brevi *Cum in Republica Estoniensi*, 11 sept. 1933, Delegatione Ap.ca suppressa, Nuntiatura Ap.ca erigitur et constituitur, eidemque omnia et singula deferuntur iura, privilegia, honores praerogativae, indulta quae huiusmodi Legationum sunt propria (*AAS* XXVIII (1936) p. 102).

22 — S. Congr. Consistorialis

Dioecesium finium mutatio.

Decreto 14 dec. 1935, pars territorii, vulgo *frazione di Mercatale*, ab Archidioecesi Perusina seiungitur atque dioecesi Cortonensi aggregatur, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus (*AAS* XXVIII (1936) p. 107).

23 — S. Congr. Rituum

Causae beatificationis et canonizationis :

Ven. S. D. Carolus a S. Andrea.

1. *Dublinen. seu Ruremonden.* Decretum, 13 nov. 1935, beatificationis et canonizationis Servi Dei Caroli a S. Adrea, sacerdotis professi Congregationis Clericorum Excalceatorum SS. mae Crucis et Passionis D. N. I. C. (*AAS* XXVIII (1936) p. 108 ss).

Ven. S. D. F. Michaël.

2. *Barcinonen. seu Quiten.* Decretum, 13 nov. 1935, beatificationis et canonizationis Servi Dei Fratris Michaëlis, religiosi professi Instituti Fratrum scholarum Christianarum (*AAS* XXVIII (1936) p. 111 ss.).

24 — S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1934

I *Causae iudicatae*

A - **De matrimonio**

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Affinitas ex copula illicita	2	2	0
	Clandestinitas	1	1	0
	Condicio apposita	6	2	4
	» » contra bonum fidei . .	1	0	1
	» » et defectus consensus, et vis et metus	1	0	1
	» » et non impleta . . .	2	0	2
	Defectus consensus	3	1	2
	» » et amentia mulieris . .	1	1	0
	» » et vis et metus . . .	1	0	1
	» » ob exclusum bonum prolis et dispens. super rato .	1	0	1
	Error in personam et condicio apposita . .	1	0	1
	Exclusa indissolubilitas	3	2	1
	» unitas	1	0	1
	Exlusum bonum prolis	9	4	5
	» » » et dispens. super rato	1	0	1
	» » » et sacramenti . .	1	0	1
	» » » ob ignorantiam de natura matrimonii et ob condic. apposit.	1	0	1

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Exclusum bonum sacramenti	2	0	2
	» » » et bonum fidei	1	1	0
	Impedimentum consanguinitatis	2	2	0
	» criminis et defectus legitimi consensus	1	0	1
	» publicae honest. et vis et metus	1	1	0
	Impotentia mulieris et dispensatio super rato	1	0	1
	» viri	1	0	1
	Revocatio mandati procuratorii	1	1	0
	Simulatus consensus	1	0	1
	» » et consanguinitas	1	1	0
	» » et ob exclusionem indissolubilit. et prolis	1	0	1
	Vis et metus	38	21	17
	» » » et affinitas ex fornicatione et clandest. et dispens. super rato	1	1	0
	» » » et condicio apposita	1	0	1
	» » » et defectus consensus	1	0	1
	» » » et intentio contra indissolubilit.	1	0	1
	» » » et simulatio	2	1	1
	Dispensatio super rato	1	0	1
		94	42	52

B - De variis Argumentis

Ceterae causae fuere semel de pensione et refectione damnorum et semel de credito.

II

Causae quae eodem anno 1934 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	IMPEDIMENTUM	Allegatum
NULLITATIS	Clandestinitas	3
	Condicio apposita	3
	» » necnon vis et metus	1
	» contra bonum prolis	1
	» » » sacramenti	1
	» » matrimonii substantiam	2
	Consanguinitas et simulatus consensus	1
	Defectus consensus	2
	Disparitas cultus	1
	Exclusum bonum prolis	2
	» » sacramenti	2
	Impotentia	1
	» uxoris	1
	Incidens nullitas matrimonii	1
	Intentio contra unitatem	1
	Invaliditas baptismi et vis et metus in prima instantia	1
	Reiectio libelli	4
	Simulatus consensus	1
	Vis et metus	8
	» » » necnon condicio contra bonum prolis	1
		38

Aliae Causae

Iurium seu Crediti, Legitimitatis appellationis, Poenarum, Proprietatis, Restitutionis in integrum, Separationis, finem habuere sine definitiva sententia.

25 — S. Romana Rota

Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1935

I *Causae iudicatae*

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Affinitas ex copula illicita	1	1	0
	» illicita	1	0	1
	Amentia viri	2	2	0
	Clandestinitas	1	0	1
	» vis et metus et consanguinitas	1	0	1
	Condicio apposita	2	0	2
	Defectus consensus	8	3	5
	» » atque condicio vel intentio contra bonum fidei et sacr.	1	0	1
	» » ob condicionem appositam	1	1	0
	Exclusum bonum prolis	7	2	5
	» » » et dispens. super rato	1	0	1
	» » » et sacramenti	1	0	1
	Exclusa indissolubilitas	2	0	2
	» unitas et indissolubilitas	1	0	1
	Impediment. criminis et defectus legit. consens.	1	1	0
	» ligaminis	1	1	0
	Impotentia mulieris, error substant. et defectus consensus	1	0	1
	» viri	5	2	3
	» » defectus formae et dispensatio super rato	1	0	1
	» » et dispensatio super rato	1	0	1
	Simulatio consensus	1	0	1
	Vis et metus	34	20	14
	» » » atque clandestinitas	1	1	0
	» » » et dispensatio super rato	2	1	1
	» » » ob defectum consensus	1	0	1
	» » » ob exclusam indissolubilitatem	1	0	1
		80	35	45

B - De variis Argumentis

Ceterae causae fuere: semel de credito, semel de diffamatione, semel de iuribus et semel de restitutione in integrum.

II

Causae quae eodem anno 1935 transactae fuerunt vel peremptae vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

	IMPEDIMENTUM	Allegatum
NULLITATIS	Clandestinitas	2
	Condicio apposita	4
	Defectus consensus	2
	» » ob amentiam mulieris	2
	Exclusa indissolubil. et exclusum bonum prolis	1
	» » et unitas ob exclusum bonum prolis	1
	Exclusum bonum prolis	2
	Impotentia mulieris	1
	» viri	3
	Incidens de ulterioris instantiae admiss.	1
	» nullitatis matrimonii	2
	Reiectio libelli	3
	Vis et metus	11
	Voluntas contra indissolubilitatem	1
		36

ALIAE CAUSAE

Crediti, Diffamationis, de Iuribus etc. finem habuere sine definitiva sententia.

26 — Provisio Ecclesiarum.

Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt:

14 ian. 1936, R. D. Ioannes Maria Robert, cathedrali ecclesiae Gonayvesensi. — *Les Gonaïves (Haiti).*

14 ian. 1936, R. P. Albertus Guiot, cathedrali ecclesiae Portus Pacis. — *Porto Pace (Haiti).*

26 ian. 1936, Exc. P. D. Michaël Serra Sucarrats, cathedrali ecclesiae Segobricensi. — *Segorbe (Spagna).*

6 febr. 1936, R. D. Guillelmus Adrian, cathedrali ecclesiae Nashvillensi. — *Nashville S. U. A).*

15 febr. 1936, R. P. Eugenius a S. Raphaële, cathedrali ecclesiae Cariatensi. — *Cariati (Italia).*

2 mart. 1936, R. D. Petrus Rivière, cathedrali ecclesiae Monoecensi. — *Monaco (Principato di Monaco).*

27 — Necrologium

2 ian. 1936, Exc. D. Matthaeus Cullen, Episcopus Kildarensis et Leighliensis. — *Kildare e Leiglin (Irlanda).*

13 ian. 1936, Exc. D. Thomas O'Donnell, Archiep.us Halifaxiensis. — *Halifax (Canadà).*

7 febr. 1936, Em.us D. Card. Aloysius Sincero, Episcopus Suburbicarius Praenestinensis. — *Palestrina (Italia).*

18 febr. 1936, Exc. D. Franciscus Orozco y Jiménez, Archiep.us de Guadalajara. — *Guadalajara (Messico).*

23 febr. 1936, Exc. D. Matthaeus Pellegrino, Episcopus Bobiensis. — *Bobbio (Italia).*

BIBLIOGRAPHIA

I - *Ex Libris*

JEAN DERMINE, *La Vie Spirituelle du Père de Foucauld*, Bruxelles (Éditions de la Cité Chrétienne) 1935, 12 × 19,5 cm., 138 p., pretium : fr. b. 12.

Les étappes de l'itinéraire vers Dieu - L'imitateur du Christ et l'amant de la vie cachée - L'Apôtre - Le Contemplatif — Conclusion.

Abbé CHARLES GRIMAUD, *Foyers Brisés*, Paris (Téqui) 1935, 12 × 18,5 cm., IX-284 p., pretium : fr. fr. 10.

Avant-Propos - La brisure (Le Veuvage - Ménages d'enfer - L'abandon - Le Divorce) - La Vie dans les ruines (Les difficultés du veuf - Les Tribulations de la veuve - Les Angoisses des Abandonnés) - Reconstruction (Le second mariage - Le retour du fugitif - L'acceptation chrétienne du célibat forcé).

Abbé JACQUES LECLERCQ, *Vie Intérieure* (Essais de Morale Catholique, III), Bruxelles (Editions de la Cité Chrétienne) 1936, 13,5 × 20 cm., 402 p., pretium : fr. b. 27.

Avant-Propos - Action divine et action humaine - L'Action - Vue d'ensemble de la vie intérieure - La prière publique - L'Eucharistie - Les dévotions particulières - Nature et conditions de l'oraison mentale - Les commencements de l'oraison — La contemplation - Méthodes de spiritualité.

Abbé LUSSEAU et Abbé COLLOMB, *Manuel d'Études Bibliques*, rédigé conformément aux directives données par S. S. Pie X aux professeurs d'Écriture Sainte, Lettre apostolique « *Quoniam in re biblica* » (27 mars 1906). *Tome premier :* Introduction Générale. Paris (Téqui) 1936. 14 × 22,5 cm., XIII-579 p., pretium fr. fr. 30.

Préface - Traité de l'Inspiration scripturaire (Existence de l'Inspiration scripturaire - Nature - Extension - Inerrance biblique - Critère de l'inspiration) - Canon catholique, Textes originaux, Versions (Notions générales sur le Canon - Histoire sommaire du Canon de l'Ancien Testament - *id* du Nouveau Testament - Textes originaux de la Bible - Principales ver-

sions de la Bible) - Herméneutique sacrée (Neomatique - Heuristique - Invention du sens de la Sainte Écriture) - Table des matières.

PASCAL, *Pensées choisies*. Préface et Introduction par E. GRETTÉ ; 3a editio, Paris (Téqui) 1936, 9 × 14 cm., X-81 p.

Préface - Notice biographique et avant-propos - Pensées sur la Religion - Le Pari - Prophéties - Le Mystère de Jésus - Pensées diverses.

ALOIJS POTTIER, S. J., *La Doctrine Spirituelle du Père Louis Lallemant de la Compagnie de Jésus* (1587-1635). Texte primitif enrichi de quelques Lettres inédites et de plusieurs Traités. En Mémoire du troisième Centenaire, Paris (Téqui) 1936, 12 × 18,5 cm., XXXVI-531 p., pretium fr. fr. 20.

La Doctrine Spirituelle : La vue de la fin - L'idée de la perfection - La pureté de coeur et la garde du coeur - De la docilité à la conduite du Saint-Esprit - Le recueillement et la vie intérieure - L'union avec Notre-Seigneur - L'ordre et les degrés de la vie spirituelle.

Addition à la Doctrine Spirituelle : De la perfection en général - De la pureté du coeur - En quoi consiste le fidèle service de Dieu - Avis importants pour l'avancement des âmes - De l'humilité - De la sainte simplicité - De l'esprit de dévotion - Des diverses sortes de religieux et des choses qui sont les plus prejudiciables à quelques saintes communautés - De l'esprit de la Compagnie de Jésus - Du royaume de Dieu dans les âmes - Appendices.

TUMMOLO-IORIO, S. I., *Compendium Theologiae Moralis* iuxta methodum Ioannis Petri Gury S. I. ad normam Codicis Iuris Canonici redactum a Raphaële Tummolo S. I., Editio Quinta quam recognovit emendavit et auxit Thomas A. Iorio eiusdem societatis, *Vol. II, Pars secunda*, p. 278-715. Neapoli (M. D'Auria) 1935, 16,5 × 25 cm., p. 278-715.

De Sacramento paenitentiae - De extrema Unctione - De Ordine - De Matrimonio (respectu habito ad ius concordatarium italicum) - Index rerum analyticus.

FRANCIS F. WOODS Ph. D., S. T. D., *The Constitutions of Canon 1125 and their Application on the United States*, Milwaukee (Bruce) 1935, 13 × 20 cm., 112 p.

Foreword by A. Vermeersch, S. J. - Preface - Part I: Juridical Font and General Conspectus of Çanon 1125 - Part II: The Constitutions and their Extension - Part III: Application in the United States - Bibliography - Index.

II - *Ex Periodicis*

Acção Católica Portuguesa. II (1935), fasc. 14 (iun.). — *** *Problemas de actualidade : O cinema.* p. 58-60.

Id. II (1935), fasc. 15 (iul.). — *** *Acção Católica Italiana e o cinema educativo.* p. 101.

Id. II (1935), fasc. 17-18 (sept.-oct.). — *** *Anotações : Cinematógrafo e Acção Católica.* p. 180-2.

Id. II (1935), fasc. 19 (nov.) — *** *A importancia da cota na organização da Acção Católica.* p. 197-200.

Id. III (1936), fasc. 22 (febr.). — *** *Acção Católica deve ser especializada.* p. 337-40.

Apollinaris. VIII (1935), fasc. 4. — BERTRANDUS KURTSCHEID, O. F. M., *De quibusdam Praelatis Rom. Curiae : Auditores S. R. Rotae.* p. 559-68. — A. CANESTRI, *De novissima Paenitentiariae Apostolicae reformatione.* p. 569-90. — PACIFICUS CAPOBIANCO, O. F. M., *De ambitu fori interni in iure ante Codicem.* p. 591-605.

Archiv für Rechts-und Sozialphilosophie. XXIX (1936), fasc. 2 (febr.). — Prof. D. EMANUEL HIRSCH, *Recht und Religion.* p. 226-38.

Chronique Sociale de France. XLV (1936), fasc. 2 (febr.). — EMILE ROMANET, *Situation économique et Forces spirituelles. Maintenant, que faire?* (contin.). p. 127-38.

La Cité Chrétienne. X (1936), (febr.). — GIOVANNI HOYOIS, *L'équipe paroissiale d'action catholique.* p. 205-8.

Id. X (1936), (mart.). — Abbé JACQUES LECLERCQ, *Les effects de la vertu de force.* p. 258-9.

Collationes Gandavenses. XXIII (1936), fasc. 1 (febr.). — F. BLATON, *Rechtvaardig arbeidsloon.* p. 11-7. — O. SCHELFHOUT, *De intentione requisita in subiecto ut sacramentum ordinis valide suscipiatur et obligatio caelibatus contrahatur.* p. 18-25.

Collationes Tornacenses. XXXI (1936), fasc. 3 (febr.). — J. DERMINE, *Le dispositif du Carême pour le jeune et l'abstinence.* p. 157-69. — A. PASTURE, *Les dîmes paroissiales. VIII. L'aménagement des églises rurales.* p. 170-88. — XXXI (1936), fasc. 4 (mart.). — A. PASTURE, Les dîmes paroissiales. IX. *L'éxécution et le financement des travaux aux églises.* p. 273-89.

Collectanea Mechliniensia. XXV (1936), fasc. 2 (mart.). — ARMAND GOUGNARD, *De notione peccati reservati.* p. 149-56. — P. GILLET, *De notione et fundamento affinitatis iuxta Codicem.* p. 156-60.

Il Diritto Ecclesiastico e Rassegna di Diritto Matrimoniale. Avv. ARNALDO CICCHITTI, *Note circa la condizione giuridica dei cattolici nelle colonie italiane.* p. 457-69. — MARIO MIELE, *Delimitazione fra giurisdizione della Chiesa e giurisdizione dello Stato dopo il Concordato. Efficacia delle sentenze ecclesiastiche nell'ordinamento dello Stato.* p. 510-5.

Ephemerides Liturgicae. L (1936), fasc. 1 (ian. febr.). — J. P. REDMOND, *Il movimento liturgico in Inghilterra* p. 36-45. — ACADEMICUS, *De ss. oleorum consecratione feria V in Coena Domini.* p. 60-4. — C. CALLEWAERT, *De planetis plicatis.* p. 69-75.

Il Monitore Ecclesiastico. LXI (1936), fasc. 2 (febr.). — D. S. FARRUGIA, *De effectibus domicilii* (contin.) p. 46-52. — M. PISTOCCHI, *L'obligazione emergente dal delitto* (contin.) p. 52-4.
Id. LXI (1936), fasc. 3 (mart.). — M. PISTOCCHI, *De conatu delicti* (contin.), p. 76-81.

Perfice munus. XI (1936), (10 febr.). — ANDREAS GENNARO, S. S., *La continenza periodica nel Matrimonio. Prassi pastorale* (contin.) p. 82-91. — Sac. Avv. P. VITO, *Il Privilegio Paolino*, p. 97-102.

Neue Ordnung. XII (1936), fasc. 1 (ian.). — Kons.-Rat L. [illegible]D ENGELHART, *Die Arbeiterschaft in der Katholischen Aktion*, p. 9-12.

Palestra del Clero. XV (1936), vol. I, fasc. 6 (20 febr.). — Sac. A. MANCINI, S. S., *Ancora in margine al conflitto Italo-Etiopico*, p. 133.

Pastor Bonus. XLVI (1936), fasc. 11 (febr.). — Prof. Dr. JOHANN LENZ, *Ueber das katholische Priestertum.* p. 321-31.

The Clergy Review. XI (1936), fasc. 3 (mart.). — Exmus ARTHUR HINSLEY, Archbishop of Westminster, *Regale Sacerdotium: The Participation of the Laity in the Apostolate of the Hierarchy.* p. 181-91.

The Homiletic and Pastoral Review. XXXVI (1936), fasc. 6 (mart.). — CHARLES BRUEHL, D. D., *Scope of Private Ownership.* p. 561-9. — Msgr. H. T. HENRY, Litt. D., *Preaching on Politics.* p. 570-80. — STANISLAUS WOYWOD, O. F. M., LL. B.,

Penal Law of the Code: Ecclesiastical Penalties in General. p. 621-30.

Sal Terrae. XXV (1936), fasc. 3 (mart.). — JOSÉ P. BULNES, *La Psicología Experimental y el cargo pastoral del sacerdote.* p. 228-33. — ISACIO M. MORAN, *El Sacerdote y los Ejercicios Espirituales de San Ignacio de Loyola.* p. 240-5.

Nederlandsche Katholieke Stemmen. XXXVI (1936), fasc. 2 (febr.). — Dr. W. MULDER, *De aanwijzing van den lasthebber bij het huwelijk per procuratorem.* p. 53-7.

Schönere Zukunft. XI (1936), fasc. 19 (9 febr.). — Dr. HERMANN FLORIANI, *Zur rechten Beurteilung des römischen Index.* p. 476-7.

Id. XI (1936), fasc. 19 (9 febr.). — Dr. HERMANN FLORIANI, *Zur rechten Beurteilung des römischen Index.* p. 476-7.

Id. XI (1936), fasc. 20 (15 febr.). — Dr. ALBERT NIEDERMEYER, *Die Erziehung des katholischen Arztes zu seiner Mission.* p. 505-7.

Id. XI (1936), fasc. 23 (8 mart.). — Dr. FRANZ STURM, *Ehe- und Familienfragen in USA.* p. 587-8. — Dr. PIUS HAVEMANN, *Kirchliches Fastengebot und moderne Medizin.* p. 388-9.

PARS ALTERA

MONUMENTA

28 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola 27 oct. 1935

AD EM.UM P. D. SEBASTIANUM TIT. SS. BONIFACII ET ALEXII S. R. E. PRESB. CARDINALEM LEME DE SILVEIRA CINTRA, ARCHIEPISCOPUM S. SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII, ATQUE AD CETEROS RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS BRASILIAE. DE ACTIONE CATHOLICA APTIUS PROVEHENDA.

(*AAS* XXVIII (1936) p. 159 ss.)

PIUS PP. XI

Ratio scribendi: vota Episcopatus et rei gravitas.

[1] Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quamvis Nostra de Actione Catholica mens, in primis iam Litteris Encyclicis « Ubi arcano Dei » proposita, pluribus deinde editis documentis aperte declarata sit, tamen, votis nunc vestris libentissime adnuentes et optatis praesertim obsecundantes, quae, cum Romam haud ita pridem venisses, Nobis aperuisti, peculiaria vobis verba de re tam gravi facienda censuimus. Ita enim clarius patebit, quantopere Nos adiutricem operam aestimemus, quam laici ecclesiasticis viris praebere possint, non modo ut fidei veritatem christianosque mores ab insidiis undique minantibus tueantur, verum etiam ut ipsi, Pastorum ductu, validissimum efficiantur auxilium ad rem religiosam civilemque magis magisque perficiendam.

Singularis gratia, cum fidelibus, tum Hierarchiae;

[2] Illud autem Nobis apprime persuasum est Actionem Catholicam esse gratiam Dei singularem tum fidelibus, qui ad suam cum ecclesiastica Hierarchia industriam propius consociandam advocantur, tum Episcopis presbyterisque, qui in sacro munere satius quotidie latiusque obeundo adiutores idoneos

inter Actionis Catholicae ordines semper invenient. Quis enim non cernit, apud ipsas catholicas gentes, clericorum copiam omnibus fidelium necessitatibus non suppetere? Atque in ista quoque dilecta natione, ubi Dei religio ac pietas sane excoluntur, quotiens tu, Dilecte Fili Noster, tuique in episcopatu Conlegae exiguum sacerdotum numerum, praesertim saecularium, conquesti vehementer estis, in ista, inquimus, regione, quae, natura locorumque situ atque ingenti ipsa amplitudine, maiorem profecto clericorum ubertatem, quam alibi, expostulat?

praesertim Brasiliae, ubi pauci sunt sacerdotes.

Labor apostolicus eo intentior quo plures vocationes sacerdotales, et coetus apostolici fidelium.

[3] Quid, quod nunc temporis tot sacro ministerio difficultates obsistunt, tot curae incumbunt, ut Dei ministri universos christifideles in sacerdotali munere obeundo plerumque attingere nequeant? Quid, quod integritas fidei morumque in periculis omne genus quotidie augescentibus versatur, apud praecipuas praesertim nationes, uti in Brasilia, ubi, una cum tot bonis tantisque utilitatibus, tam multa infandaque pullulant germina malorum? Nos quidem novimus quanta apud vos cura ecclesiasticae vocationes excitentur atque foveantur, et clericorum seminaria ad nobilissimum, quem spectant, finem magis in dies idonea reddantur. Huius curae studiique vestri praeclarum documentum exstat Brasilianum in Urbe clericorum Collegium, auspiciis vestris opibusque conditum, quod pontificio nomine exornatum tantopere Nobis, uti scitis, cordi est. Eiusmodi sane labores, caelesti gratia irrorati, indubiam in posterum bonorum fructuum segetem proferent. At vero quanto eorum copia exstabit ditior, si prope manipulos sacerdotum — qui quidem optamus, ut minus atque minus impares ad opus magis magisque ingens efficiantur — densa glomerabunt agmina probi fidique laici, qui sacerdotibus praesto sint ad eorum munus praeparandum vel complendum, vel, si quibusdam in rebus opus fuerit, nonnullis in partibus, uti in religiosa puerorum institutione, etiam supplendum!

Pont. Brasilianum Conlegium.

A. C. apostolatus auxiliaris, quo praeparatur, completur, immo supplетur opus Hierarchiae.

[4] Verumtamen in praeclaro hoc certamine, ad regnum Christi tuendum atque amplificandum indicto, necesse omnino est, aeque ac ceteris in proeliis exercitibusque, ut milites ordine, ratione, consilioque procedant. Haud itaque iniucunda vobis erunt monita ac praecepta, hisce litteris breviter comprehensa, quae Nobis suaserunt non modo perspectae rerum vestrarum condiciones ac peroptati — in hoc ipso campo — vestri successus, verum longa quoque experientia, quae adiumenta ad propositum finem maxime in singulis nationibus consentanea Nobis ante oculos fere posuit.

Organizatio necessaria.

Formatio re-

[5] Ac primo quidem vos hortamur, ut omni studio ad

eorum formandos effingendosque animos incumbatis, qui in Actionis Catholicae agminibus militare velint; horum namque institutio de re religiosa, morali ac sociali ad apostolatum hac aetate efficaciter obeundum perquam necessaria videtur. Itaque initio, non ingentes coacervandae fidelium copiae, sed parvae quaedam cohortes seligendae, quae doctrina usuque praeditae, evangelici fermenti vi totam massam fervefaciant attollantque. Neque vero res ardua erit in singulis paroeciis salutare hoc aggredi opus, molles praesertim fingendo animos puerorum ad christianas excolendas virtutes; at iuvenes quoque, spes ecclesiae patriaeque surgentes, et ipsi viri, quibus tum domestica tum civilis fulcitur societas, ad catholicas sodalitates industriose ciendi.

ligiosa, moralis, socialis sociorum.

Fiat selectio!

[6] Illud vero etiam atque etiam commendandum, ut initae consociationes non modo felici vivant concordia, verum aptissime ad unum copulentur: sodalicia nempe paroecialia, dioecesana consiliumque nationale dirigens, omnia congruenter vincta atque contexta sunto. Ut membra scilicet corporis unius, ita invicti exercitus cohortes. Virium compactio non dissipatio; non fortuitus quidam operum concursus, sed ordinata ad commune bonum conspiratio, non singularum partium sponte egerminantis florentisque vitae compressio, sed progrediens artuum viriumque auctus, ita ut decor et venustas cum apta membrorum compositione in toto corpore eniteant.

Structura talis, ut organa organis altioribus sint subordinata.

[7] Incongruum ergo graviterque noxium esset, si in paroecis, si in dioecesibus ad consequenda eadem fere, quae Actioni Catholicae proponuntur, aliae constituerentur fidelium sodalitates, nullo prorsus nexu vinctae nullamque omnino cum Actione Catholica rationem habentes, vel, eo deterius, cum ipsa misere contendentes. Ita enim singularia commoda, quae parvo fidelium numero ea sodalicia parerent, gravissimo sane elideretur damno, quae ex dissipatione ac dissolutione catholicarum virium vel conflictu proficiscerentur; quae quidem vires, hisce quidem temporibus, sub Pastorum ductu concordes omnino et colligatae, ut superius diximus, ad Ecclesiae utilitatem exercendae sunt.

Nulla fidelium associatio, quae non sit aliquo modo cum A. C. coniuncta.

[8] Summopere urgenda virium nisuumque unitas minime prohibet, ut, cum varios civium ordines Actio Catholica gremio suo comprehendat, peculiaris singulis cura et institutio tribuatur, ideoque agricolae, opifices, scholastici, artes quaslibet profitentes vel disciplinas callentes singillatim excolantur. Hoc experiendo valde necessarium comperimus ad praecipuum finem Catholicae Actionis consequendum, qui id maxime spectat, ut

Specializatio necessaria et laudabilis.

Prae ceteris cura operariorum.

quisquis sub eius signis militat ibi acer Christi apostolus existat, ubi exigat vitam. Maxima vero cura in humiliores classes adhibenda, in operarios praesertim agrorumque cultores, quos omni tempore Ecclesia, divini Conditoris premens vestigia, ante omnes diligit atque caros habet, tot miserata labores, quibus illi adsidue urgentur, tantisque anxia periculis, quibus eorum animae, consceleratis turbulentisque doctrinae figmentis inter tenuiores latissime vulgatis, magis magisque periclitantur.

Sacerdotes et laici eligendi ad propagandam ideam A. C.,

[9] In hac organorum structura aptanda et componenda id valde expedit, ut colligantur et apparentur in singulis dioecesibus, uti potest, sacerdotes laicorumque manipuli, qui, res divinas edocti, liberalitate animarumque studio flagrantes, devoti Apostolicae huic Sedi Pastoribusque dediti, tamquam alacres Actionis Catholicae praecones, paroecias suae dioecesis vel alterius, si vocentur, iussu Episcoporum frequenter invisent, ad praestantiam atque emolumenta Actionis Catholicae clarissima luce conlustranda, ad recte informandos tanti operis moderatores, sine quibus nulla consociationibus datur vivendi florendive potestas, ad cunctas denique vires omniaque incepta ita disponenda unaque componenda, ut quaelibet consociatio illud ipsum, quod proprie sibi persequitur, sine ceterarum detrimento plane consequatur. In hoc autem apostolatus genere ipsi quoque seminariorum alumni edoceantur, pariterque mature excolantur sacerdotes recentes, ex iisque nonnulli, perdiscendi gratia, in eas regiones mittantur, ubi Actio Catholica, prosperoque eventu iucundaque fructuum copia, vim suam atque efficaciam manifesto comprobavit.

et formandos moderatores.

Studii causa adeundae regiones ubi floret A. C.

Congressus A. C. promovendi;

[10] Quo vero magis in dies idonei efficiantur ad Actionem Catholicam sacerdotes ac religiosi ex utroque sexu et laici fideles, plurimum prodesse censemus, ut frequentes, nunc per diem, nunc per hebdomadam, coetus seu congressus habeantur, ut iam alicubi moris est, addiscendi quidem causa auxiliumque Dei implorandi, non modo ex universa natione, sed etiam ex tota dumtaxat dioecesi vel paroecia, ita ut ii, qui in unum conveniant, per pia exercitia rerumque divinarum meditationes, per lectiones orationesve tempori usuique accommodatas, a peritis rerum socialium et ad Actionem Catholicam pertinentium habitas, et studiose ad apostolatum incendantur, et genuinis Ecclesiae doctrinis haud leviter imbuantur.

ubi fiant conventus speciales sacerdotum, religiosorum, ma-

[11] Expedit praeterea ad singulos eiusmodi coetus advocare certos sociorum ordines, ut iuvenum, scholasticorum, hominum catholicorum mulierumve, opificum vel eorum qui aliquam artem profitentur, ut medicinam, operam forensem, mer-

caturam, quaestum etc.; pariterque coetus peculiares conflandi ex sacerdotibus, ex religiosis viris feminisve, ex praeceptoribus ac magistris, etc., ita ut in huius generis congressionibus id potissimum agatur, quod cuiusque consociationis vel ordinis, habita ratione cum religione et apostolatu Actionis Catholicae proprio, quam plurimum interesse videatur.

gistrorum, medicorum, cet.

[12] Bene quidem cognitum est Nobis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, nec paucas nec leves, initio praesertim, difficultates huic labori tam nobili ac necessario obstare et officere. Sed ea verba meminisse iuvabit, quae olim Apostolus gentium, divino numine afflatus, proferre non dubitavit: *omnia possum in eo qui me confortat.* Si cuncti igitur ecclesiastici viri laicique fideles, qui in Actionem Catholicam incumbunt, omnem spem ac fiduciam in Deo reponentes, supernis gratiis plane obsecundaverint et singulis Actionis Catholicae industriis, iis quoque, quae parvi momenti videantur, adsiduam sollertemque operam dederint, cetera quoque auxilia, vel extraordinaria, ad incepta feliciter persequenda a Deo adipiscentur. Contra frustra illi ad novandam christianam civitatem desudabunt, nisi simul aedificabit ipse Deus.

Difficultates vincendae propria industria,

sed praesertim gratia Dei.

[13] Neque vero tanto operi, praeter divina auxilia, alia quoque adiumenta deesse videntur. Actio enim Catholica numquam alia bonorum genera piaque coepta impedit vel perturbat, nedum destruat ac pessumdet; quin immo omnes boni rectique vias ac rationes excitat, fovet, moderatur; quare ipsa ultro quaerit sociasque sibi addit ceteras vires, institutiones, industrias, quae licet ab ea seiunctae, ad animarum bonum pari ratione contendunt.

Collaboratio cum aliis associationibus, quae non proprie pertinent ad A. C.

[14] Praevalidum sane amplissimumque Actioni Catholicae adiumentum praestabunt tam multae religiosae ex utroque sexu familiae, quae iam praeclara istic beneficia Ecclesiae attulere. Quod quidem subsidium ipsae semper allaturae sunt, non modo preces Deo iugiter admovendo, vero alacrem quoque operam sacerdotibus navando, etiamsi peculiarem animarum curam non acceperint. Singulari vero ratione, tam religiosi quam religiosae Actioni Catholicae favebunt, si ad ipsam ab ineunte aetate pueros puellasve apparare studuerint, quibus in scholis vel conlegiis moderantur. Initio enim adulescentes ad apostolatus studium suaviter alliciendi, deinde, adsiduo diligentique studio cohortandi, ut ineant Actionis Catholicae consociationes, quae, ubi desint, ab ipsis religiosis promoveantur oportet. Nulla profecto ratio, nulla facultas ad erudiendam in Actione Catholica iuventutem magis idonea videtur, quam quae in scholis

Collaboratio religiosorum et religiosarum,

praesertim in scholis,

maxime in gymnastis et ephebeis.

conlegiisque exhibetur. Haec autem selectae iuventutis institutio toti ipsi gymnasio vel ephebeo magis erit utilitati; facile enim intelligitur, si lectissimi saltem ex alumnis in quovis instituto ad christianum apostolatum rite informentur, quale et quantum boni ceteri quoque percepturi sint. At ipsis praecipue adulescentibus proficiet, qui ad Actionem Catholicam apparantur; namque, ut pluries declaravimus, caelesti praemoniti doctrina supernaque virtute roborati, in ipsis consociationibus, aetate maxime lubrica provide obvenientibus, praesidium et iuvamen invenient ad pericula, eaque multa et gravia, media in societate in qua necessario versantur, fortiter subeunda invictoque animo superanda. Hac sane ratione ipsae quoque sodalitates atque instituta, quae ad excolendam pietatem, ad religionis doctrinam latius impertiendam, ad reliqua apostolatus socialis genera fovenda pertinent, auxiliares Actionis Catholicae vires efficientur, atque, ambitu cuiusque integre servato, *concordiam et consensum, ordinatam colligationem, mutuamque intelligentiam*, quae saepe saepius commendavimus, auspicato firmabunt.

A. C. exercitus pacificus;

[15] Actio igitur Catholica, rite sapienterque disposita, validisque exornata munimentis opibusque instructa, erit profecto exercitus ille pacificus, qui gloriosum certamen suscipiet ad regnum Christi tuendum ac proferendum, regnum nempe iustitiae et pacis et caritatis. Quocirca Actio Catholica, licet cavere debeat, ut ipsa eius postulat natura, ne politicarum partium studia atque commoda persequatur, tamen ad bonum totius civitatis re et efficaciter spectat, quum liqueat eandem esse « quandam veluti viam ac rationem, qua ad beneficia omne genus nationibus impertienda utitur Ecclesia » (Epist. ad Card. Bertram, 13 Novembris 1928).

habitudo ad rem politicam.

Vota et preces SS. D.

Deum denique instanter precamur, ut frugiferos benigne reddat labores, quos tuque, Dilecte Fili Noster, tuique in Episcopatu Conlegae, sollerti clero selectoque grege auxiliantibus, iugiter exantlatis, ut hoc firmum validumque Actionis Catholicae adiumentum ad bonos mores in societate restituendos ubique constituatur, ita ut quam primum in omnibus dioecesibus praeclara haec agmina cogantur e strenuis militibus, qui Dei Ecclesiaeque iura ac rationes fortiter tueantur et quocumque inducant « sensum Christi », qui et singulis et familiis et societati ipsi civili est prosperitatis pignus atque praesidium.

Apostolica Benedictio.

Atque ut incepta vestra recte utiliterque procedant, opportuna auxilia a Deo vobis imploramus; quorum quidem praenuntia itemque praecipuae caritatis Nostrae testis sit Apostolica

Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, vobisque, Venerabiles Fratres, cunctoque clero et populo cuique vestrum concredito, iis praesertim qui in Actionem Catholicam operam impendunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII, in festo Domini Nostri Iesu Christi Regis, mensis Octobris, anno MDCCCCXXXV, Pontificatus Nostri quarto decimo. *Dies.*

PIUS PP. XI

Annotationes

Actio Catholica Brasiliensis fundata est festo Pentecostes 1935, qua die solemni 71 Episcopi et 12 administratores atque praefecti apostolici promulgaverunt Statuta Generalia. De quibus conferas *Boletim Oficial da A. C. Portuguesa* 1935, pag. 102-108, ubi etiam invenies ordinationes quasdam generales a Primate Brasiliensi emissas.

Constituitur vero tota A. C. B. quattuor organisationibus fundamentalibus, quae vocantur, virorum dico, mulierum, iuvenum, virginum, necnon Confoederatione earum associationum autonomarum, quarum finis sive pro parte sive sub quodam respectu cum fine apostolico universali A. C. coincidit. Utriusque autem iuventutis organisatio non tantum dividitur secundum sociorum aetatem (Beniamini, aspirantes, socii activi), sed etiam secundum ipsorum conditionem socialem vel intellectualem. Supremo Pastorum ductu, Actioni Catholicae Brasiliensi praeest directorium nationale, cui assistit consilium nationale, in quo consilio tum quattuor organisationes fundamentales, tum confoederatio unionum autonomarum legitime repraesentantur. Influit autem directorium supremum opera organorum inferiorum, cum et in dioecesibus et in paroeciis directoria et consilia erecta sint ad similitudinem organorum nationalium.

Quod ad Epistolam spectat R. Pontificis, pauca annotasse sufficiat.

1 - Actio Catholica debet esse auxilium validissimum ad rem religiosam civilemque (cf. n. 1) (1). Vox *civilis* addita est, quia finis A. C. non tantum est restauratio Christiana individuorum et familiae, sed haud minus totius ordinis socialis et civilis (cf. n. 15).

2 - In Epistola non adhibetur definitio nota: « participatio apostolatus Hierarchiae », sed ea explicatur. Laici vocantur, ut suam industriam proprius, i. e. arctius, magis e vicino, cum ecclesiastica Hierarchia consocient (cf. n. 2). Illa autem collaboratio (vide verba Italica) (2) in eo est, ut A. C. viam sternat ad actionem sacerdotum, eam compleat, immo aliquando, ut v. g. accidit in puerorum institutione, eam suppleat (cf. n. 3). Ex verbis allatis clare apparet A. C. non esse partem Hierarchiae (3).

3 - Quamquam nullus Catholicus per se ab A. C. excluditur, tamen pro A. C. erigenda et corroboranda maximopere inculcatur principium selectionis (cf. n. 5). Quod est principium antiquum Congregationis Marianae.

4 - Prohibetur quominus exsistant fidelium sodalitates, nullo nexu cum A. C. coniunctae (cf. n. 7). Quibus verbis clare alluditur ad Confoederationem, de qua supra dixi. Minime autem attingitur autonomia associationum confoederatarum, ut patet ex numero 13.

5 - Attendendum erit, ne centralisatio exstinguat vitam spontaneam singularum partium (cf. n. 6); quod idem iam saepius dixit R. Pontifex, opponens *unionem unificationi.*

6 - Laudatur principium « specialisationis » nun-

---

(1) Numeri marginales, uncis scilicet quadratis inclusi, a nobis sunt appositi.

(2) Versio italica huius Epistolae vulgata est in ephemeride *L'Osservatore Romano,* die 16 febr., 1936.

(3) Cf. dissertationem nostram, supra, in eodem hoc Tomo, p. 105* ss.

cupatum. Quae specialisatio minime obstat unitati, ut aliqui putant. Etenim agricolae, opifices, scholastici, artifices, disciplinas callentes (puta professionalistas, ut v. g. medicos) singillatim excolendi sunt (cf. n. 8). Etiam hoc principium Congregationi Mariali est proprium. In suo enim medio sociali singulus quisque apostolatum exercet efficacius.

7 - Formandi sunt directores laici et clerici! Inde cathedra in seminariis. Ex futuris assistentibus ecclesiasticis aliqui in eas regiones mittendi sunt, ubi floret A. C. (cf. n. 9). Sic v. g. Directorium Centrale A. C. Hispaniensis mensibus Iulio et Augusto futuris assistentibus ecclesiasticis occasionem praebet adeundi regiones exteras ibique inspiciendi formationem et methodus A. C.

8 - Speciali modo vocantur religiosi et religiosae, etiam si curam specialem animarum non acceperint, ad iuvandam A. C. in sociorum formatione. Etsi vox non adhibetur, commendantur « associationes A. C. internae » in gymnasiis et ephebeis, a religiosis directis (cf. n. 14). Vide epistolam Card. Secr. Status ad superiores religiosos, *L'Osservatore Romano*, die 4 Iun. 1936.

9 - In fine breviter attingitur quaestio rei politicae. De qua vide etiam orationem habitam a R. P. in inauguranda expositione preli catholici, cf. *L'Osservatore Romano* diei 13 maii 1936 vel *Periodica,* infra, p. 78 ss.; et principia a nobis exposita in hisce *Periodicis*, supra, in eodem hoc Tomo, p. 35* et 36*. Optime etiam hac de re ipse Brasiliae primas in ordinatione, de qua diximus in initio. Cf. *Bol. Ofic. de A. C. Port.* 1935 p. 106-107, ubi reicitur phaenomenon illud monstruosum sed haud rarum (verba sunt Pii XI) hominum quorundam, qui sese catholicos vocant, licet aliam conscientiam pro vita privata, aliam pro publica vita constituant.

SEB. TROMP S. I.

---

29 — SS. D. N. Pius Pp. XI

EX ALLOCUTIONE AUSPICALI
IN EXPOSITIONEM PRELI CATHOLICI DIE 12 MAII 1935 HABITA

(ex *L'Osservatore Romano* diei 13 maii 1936)

Ex sollemni allocutione allegimus quae sequuntur partes, quibus SS. Dominus suam aperuit mentem de periculo ex Communismo imminente necnon de reipublicae ad rem moralem habitudine.

Communismus periculum primum et latissimum.

Il primo e più grande e più generale pericolo è certamente il comunismo in tutte le sue forme e gradazioni. Tutto esso minaccia e apertamente impugna o copertamente insidia: la dignità individuale, la santità della famiglia, l'ordine e la sicurezza del civile consorzio e sopra tutto la religione fino all'aperta e organizzata negazione e impugnazione di Dio, e più segnatamente la Religione Cattolica e la Cattolica Chiesa.

Quae bona impugnet vel insidietur.

Magna litterarum copia prava consilia sua ostendit.

Tutta una copiosissima e purtroppo diffusissima letteratura mette in piena e certissima luce un tale programma: ne fanno fede i saggi già in diversi paesi (Russia, Messico, Spagna, Uruguai, Brasile) praticati od attentati.

Ubique vulgatur, idque aperte vel occulte.

Pericolo grande, totale e pericolo universale; universalità che continuamente e senzo veli proclamata ed invocata, procurata poi e promossa da una propaganda per la quale nulla si risparmia; più pericolosa quando, come ultimamente viene facendo, assume atteggiamenti meno violenti e in apparenza meno empi affine di penetrare in ambienti meno accessibili e ottenere — come purtroppo ottiene — connivenze incredibili, od almeno silenzi e tolleranze di inestimabile vantaggio per la causa del male, di funestissime conseguenze per la causa del bene.

Imprudens quorumdam cooperatio omnique fide maior.

Summi Pontificis sollicitudo ac maeror.

Voi direte, dilettissimi figli, che avete veduto il Padre Comune di tutti i redenti, il Vicario di Cristo, profondamente preoccupato e addolorato di questo massimo pericolo che minaccia tutto il mondo e che già in parecchie parti reca danni gravissimi, e più specialmente nel mondo europeo.

Instanter de periculo monet, quod nimium multi (heu!) ignorare videntur.

Direte, dilettissimi figli, che il Padre Comune non cessa di segnalare il pericolo che molti, troppi, sembrano ignorare o non riconoscerne la gravità e la imminenza. Direte anche, come Noi a voi diciamo, che è lavorare ed appianare le vie e facilitare i trionfi del segnalato pericolo tutto quello che si

lascia desiderare e mancare a tutela della pubblica moralità e a difesa e rimedio contro quel neopaganesimo al quale la immoralità così facilmente e quasi inevitabilmente si allea, sia pure sotto la vernice di raffinata civiltà materiale.

Quod periculum fovet morum licentia.

E direte pure, dilettissimi figli, e non vi stancherete di ripetere che il Vicario di Cristo non soltanto come Padre Comune di tutti i credenti, ma anche e più come figlio del suo tempo; non soltanto per il bene della Chiesa di cui è Capo, ma anche per il bene generale, crede e dice alto essere insurrogabile sussidio la Chiesa Cattolica come l'unica conservatrice del vero e genuino Cristianesimo. Che rimane infatti fuori della Chiesa Cattolica, dopo le vere devastazioni del così detto libero pensiero, del liberalesimo e delle diverse pretese Riforme, che rimane della dottrina di G. sù Cristo data dai Vangeli e dalla legittima Tradizione? Che cosa rimane dei Sacramenti da Gesù Cristo istituiti? Che cosa rimane della stessa Sua Persona? E nella Chiesa Cattolica non possiamo, nell'ora attuale, non additare come sussidio particolarmente provvidenziale l'Azione Cattolica, stata già l'efficace collaboratrice del primo Apostolato Gerarchico nella evangelizzazione del mondo giacente nel paganesimo antico.

Auxilium Ecclesiae Catholicae necessarium est ad huiusmodi periculum avertendum.

Extra Ecclesiam Catholicam nulla religio vere christiana.

Quam opportune Actio Catholica efflоruit hisce temporibus.

Abbiamo espressamente detto che intendiamo parlare non soltanto come Capo della Chiesa Cattolica, ma anche e più come figlio del tempo nostro, e volevamo dire come personalmente testimoni e partecipi degli eventi che minacciano ai nostri contemporanei ed alle istituzioni nelle quali si svolge la loro vita e individuale e domestica e collettiva.

Haec SS. Pater animadvertit etiam ut suorum temporum filius et testis.

Parliamo così perchè da un certo punto di vista — il punto di vista degli eventi ultimi e definitivi — più penosamente Ci preoccupiamo delle istituzioni sociali e statali puramente umane e terrene, che della stessa Cattolica Chiesa. Non è che non Ci affligga profondamente anche il solo pensiero delle tribolazioni che le forze del male preparano al mistico corpo di Gesù Cristo nella persona dei buoni e fedeli servi di Dio, e più ancora il pensiero del naufragio che tante anime patiranno nell'imperversare dell'errore e del vizio spalleggiati dalla violenza, dall'inganno, ed anche dalle inique leggi, come già per ripetuti saggi vediamo avvenire. Ma la Chiesa è istituzione divina ed ha in suo favore le divine promesse. Le forze avverse possono assumere le proporzioni più minacciose, i loro assalti possono diventare più che mai violenti od insidiosi; ma sta scritto: *non praevalebunt;* è parola divina, e sillaba di Dio non si cancella. Certamente non fanno buona ed assennata

In his periculis instituta publica magis quam Ecclesia ipsa S. Patrem sollicitum tenent.

Quamvis animae plurimae damna gravissima patiantur.

Ecclesia tamen promissis nititur divinis.

Reipublicae moderatores ne opem Ecclesiae reiiciant.

politica (anche questo vogliamo dirvi) quelli che, ostacolando la vita e l'azione della Chiesa ed anche solo impedendone il pieno e libero sviluppo, rinunciano con ciò stesso ai validi e preziosi contributi che Essa ed Essa sola può portare alla pubblica sicurezza, alla vera pace, al pubblico bene.

Ecclesia nullo pacto de potestate civili sibi usurpanda cogitat.

Coi quali contributi la Chiesa Cattolica, voi lo direte altamente, non intende punto nulla usurpare di quello che alla politica propriamente detta appartiene in ragione del suo fine, usurpazione contro verità oggi affermata per creare alla Chiesa Cattolica ogni sorta di difficoltà ed escludere la sua benefica azione proprio da quei più vasti campi che ne hanno maggior bisogno e più ne profitterebbero: la gioventù, la famiglia, la scuola, la stampa, le masse popolari.

Sed Statui sua jura agnoscit.

La Chiesa riconosce allo Stato la sua propria sfera d'azione e ne insegna, ne comanda il conscienzioso rispetto; ma non può ammettere che la politica faccia a meno della morale e non può dimenticare il precetto del divin Fondatore che, secondo la forte e profonda espressione del nostro grande Manzoni (Osservazioni sulla Morale Cattolica, *Cap. III, in Princ.*) le comandava di occuparsi in proprio, « di impadronirsi della morale » dovunque essa entra e deve entrare: *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matt. *XXVIII, 20*).

Res politicas tamen a lege morali vacare prorsus negat.

---

30 — Sup. S. Cong. S. Officii

Decretum 5 aprilis 1936

DAMNATUR LIBER CUI TITULUS: LOS MISTERIOS DE LAS MESAS PARLANTES Y DEL SOLIGRAFÓN, AUCTORE J. F. PONCE.

(*AAS* XXVIII (1936) p. 205)

Feria IV, die 22 Aprilis 1936.

Dies consessus.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito DD. Consultorum voto, ad praescriptum can. 1399 § 7 ipso iure damnatum esse declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Opus damnatum.

JOSÉ FRANCO PONCE, *Los misterios de las mesas parlantes y del soligrafón.*

Confirmatio SS.mi.

Et sequenti Feria V, die 23 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia

Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 5 Maii 1936. *Dies Decreti (5 maii 1936).*

I. VENTURI
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

---

31 — Sacra Congr. Concilii

Decretum 11 febr. 1936

DE PIIS FIDELIUM PEREGRINATIONIBUS AD CELEBRIORA SANCTUARIA MODERANDIS

(*AAS* XXVIII (1936) p. 167 s.)

Quam antiquus usus peregrinandi.

Inter publicas communesque pietatis christianae in catholica Ecclesia significationes, inde a remotissimis temporibus peculiarem locum sibi iure vindicant piae ad celebriora Sanctuaria, Deo, beatae Mariae Virgini vel Sanctis dicata, peregrinationes, ut quae ad poenitentiam agendam, ad fidem profitendam eandemque firmandam, ad gratiarum actionem pro acceptis divinitus beneficiis reddendam plurimum conferant.

Nunc frequentiores evandunt peregrinationes,

Nil mirum proinde si, auctis hac nostra aetate itinerum facilitate atque commodis, et ipsae piae peregrinationes evaserint frequentiores opera praesertim et sollertia plurium coetuum, qui fere omnibus in Nationibus ad eas promovendas et moderandas constituti sunt.

sed et itinera recreationis causa suscepta.

Nec quempiam latet quas memoravimus itinerum facilitatem et commoditates illud insimul effecisse, ut etiam itinera multiplicarentur, quae alium in finem, recreandi scilicet animos, vel visendi urbes, vel studia et artes colendi, aliaque id genus unice vel praecipue susciperentur.

Unde ratio Decreti.

Quae quidem rerum temporumque conditio ipsis piis ad Sanctuaria peregrinationibus nonnulla profecto incommoda parere potest, nisi vis moderatrix ecclesiasticae Auctoritatis, ad quam religionis ac pietatis christianae actus moderari unice spectat, opportunam, et, quantum res fert, communem ubique inducat disciplinam.

Probante SS. D. S. Congr. Ordinarios has

Quapropter haec S. Congregatio Concilii, probante Ss.mo D. N. Pio Pp. XI, locorum Ordinariis mandat ut in memoratis

normas praescribit:

piis peregrinationibus parandis et peragendis serventur normae quae sequuntur:

1 - Sint peregrinationes ad pietatem semper et unice ordinatae.

1. Hae piae peregrinationes characterem vere religiosum semper praeseferant, habeantur et peragantur uti actus ad pietatem christianam pertinentes, atque ab itineribus ob merum solatii finem susceptis probe distinguantur. Quidquid igitur praefato huic fini pio ac religioso minus congruit, omnino arceatur, eaque omnia vitentur, quibus coniici possit has peregrinationes, religionis quidem specie, re autem vera solatii vel oblectamenti causa praecipue fuisse susceptas.

2 - Ius moderandi spectat ad solam Auctoritatem ecclesiasticam.

2. Ius pias peregrinationes promovendi, easque moderandi ad legitimam Auctoritatem ecclesiasticam unice spetat. Nulli igitur coetus, ne iis quidem exceptis, qui ab Institutis religiosis vel ab eorum sodalibus excitentur, constitui possunt, qui non sint ab eadem Auctoritate vel promoti, vel saltem approbati; omnesque ea ratione, eoque ordine ac tempore agant quae sint statuta, praesertim si plures coetus eundem finem prosequantur.

3 - Numquam desit vir ecclesiasticus.

3. Eiusdem Auctoritatis ecclesiasticae cura erit ut quaevis pia peregrinatio paretur et ducatur sub moderatione delectorum virorum; nec desit unquam vir ecclesiasticus qui munere fungatur moderatoris spiritualis.

4 - Quaevis lucri species omnino arceatur.

4. In pretiis statuendis, ab his moderatoribus ea ratio servetur ut piae peregrinationes fidelibus quoque tenuioris condicionis patere possint. Nihil igitur ultra a piis peregrinantibus petatur, quam rei exigat prudens administratio, cuiuscumque lucri specie omnino remota.

5 - Apparatus technicus solis laicis reservetur.

5. Qui de clero sive saeculari sive religioso sunt in iis quae spectant harum peregrinationum apparatum technicum qui dicitur, ne se immisceant, cum ea dignitatem ecclesiasticam minus deceant. Committendum igitur erit hoc munus viris laicis, probis et peritis, a quibus id omnino exigatur ut, advigilante Auctoritate ecclesiastica, in iisdem instruendis nihil sit quod earum fini religioso dissentiat, quin imo omnia pietati christianae congruant, eandemque foveant.

Dies Decreti (11 febr. 1936).

Datum Romae, die 11 februarii anno 1936.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

32 — S. Paenit. Apost. *(officium de indulgentiis)*

Responsum 20 mart. 1936

DUBIUM

(*AAS* XXVIII (1936) p. 176)

Sacrae Paenitentiariae Apostolicae dubium, quod sequitur, pro opportuna solutione exhibitum fuit:

Dubium.

Utrum in regionibus ubi mos est, a Romana Ecclesia probatus, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in Maiore Hebdomada, adorationi christifidelium etiam ultra biduum proponendi, acquiri possint singulis illis diebus indulgentiae per Decretum S. Paenitentiariae Ap. diei 20 Maii 1935 concessae.

Responsum affirmativum.

Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 18 Februarii 1936, re mature perpensa, respondendum censuit:

Affirmative.

Confirmatio SS.mi.

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio div. Prov. Pp. XI ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore in audientia diei 14 vertentis mensis, idem Ss.mus Dominus responsum Sacrae Paenitentiariae benigne approbare et confirmare dignatus est.

Dies rescripti (20 mart. 1936).

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 20 Martii 1936.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

ANNOTATIONES.

Decreto 20 maii 1935 concessum est ut omnes et singuli utriusque sexus fideles qui ineffabile Sacrae Eucharistiae Sacramentum in sacro sepulchro, ut aiunt, singulari ritu sollemniter expositum, in memoriam piissimae eius institutionis per biduum maioris hebdomadae visitaverint et quinquies *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad debitas ob maximum eiusmodi beneficium grates agendas, atque etiam una vice ad mentem Summi Pontificis, saltem contrito corde recitaverint, partialem quindecim annorum indulgentiam *toties quoties*, plenariam

vero *semel una et altera die,* additis confessione et sacra communione, lucrari valeant. Indulgentia ergo restringitur ad tempus quo iuxta ritum romanum sacra Hostia in calice reposita et in arca seu capsula clausa adorationi fidelium proponitur, nempe post sollemnem eius delationem in fine Missae Feriae V in Cena Domini, usque ad sollemnem eiusdem relationem post adorationem Crucis in Officio Feriae VI in Parasceve. Post Officium enim huius Feriae VI, iuxta Ritum Romanum Ss. Sacramentum nullomodo iam asservari debet in ecclesia ad publicam venerationem, quae, immo, prohibetur (1).

Attamen, nonnullis in regionibus, praesertim in Austria, Germania et Polonia viget consuetudo iam a multis saeculis nota, et quae teste MARTENE antiquitus etiam alibi servabatur, iterum exponendi Ss. Sacramentum post Officium Feriae VI, quem ritum sic describit GATTERER (2): Feria V tres hostiae maiores consecrantur, quarum duae in calice pro Feria VI asservantur. Feria VI vero, duae hostiae in calice servatae in processione portantur ad missam praesanctificatorum, quarum una statim super Corporali ponitur ibique relinquitur usque ad sumptionem sanctissimi Corporis. Post sumptionem S. Hostiae, Celebrans, antequam Corporale purificet, sive ipse, sive (quod magis decet) per diaconum S. Hostiam ponit in Ostensorio a Caeremoniario allatum, quod velo pellucido tectum relinquit in medio altaris et omnia deinde peragit sicut S. Sacramento exposito. Post finem Missae praesanctificatorum Celebrans, eodem ritu quo heri calix cum Sacramento portabatur, S. Sacramentum in Ostensorio velato processionaliter transfert ad sepulchrum, ibique per totam reliquam diem, usque ad

(1) Decr. Congr. De Disciplina Sacramentorum 26 martii 1929 (Cf. *Periodica*, XVIII (1929) p. 297).

(2) GATTERER, *Annus Liturgicus*. 1925, n. 180.

vesperam S. Sacramentum adorationi fidelium manet expositum in Ostensorio velo tecto.

Sabbato sancto, sive ante, sive statim post Officium, eodem modo sanctissimum exponitur in Ostensorio velato sicque remanet usque ad vesperam.

Vespere tandem sabbati, plerumque post cantatum Matutinum Festi Paschatis, (vel, in quibusdam regionibus, etiam ipsa die Dominica Resurrectionis) concluditur expositio Sollemnitate Resurrectionis, seu sollemni Elevatione SS. Sacramenti e sepulchro. Celebrans cum Ministris venit ad sepulchrum, velum aufert ab Ostensorio et sollemniter Sanctissimum Sacramentum defert in processione ad altare maius sub cantu hymnorum paschalium; tandem cum Sanctissimo dat benedictionem.

Hi ritus, ut patet, valde discrepant a ritu romano, et vix ac ne vix quidem cum ipso componi possunt; immo, ut monet Consultor S. R. C. qui Suffragium conflavit super decreto ROMANA n. 3939 (1), etiam spiritum liturgiae Feria VI in Parasceve et Sabbato sancto peragendae valde mutat, nam Ecclesia Romana plena absentia SS. Sacramenti ab ecclesia Feria VI cultum tristem de SS. Redemptoris morte indicare vult; et Sabbato sancto, post Officium id adhuc magis indecens esse videtur; dum enim hac die in Missa *alleluia* cantatur et Resurrectio Christi sollemniter celebratur, Redemptor tamen in SS. Sacramento praesens in sepulchro quiescens manet, et tandem vespere ad Matutinum, e sepulchro SS. Sacramentum elevatur ac Christus uti resurgens ad altare maius sollemniter defertur. Immo, argumenta dogmatica afferri posse videntur contra hunc usum iuxta quem Eucharistia, quae est verum et *vivum* corpus Christi, repraesentet eiusdem Christi corpus *mortuum* (2).

(1) In Volumine IV Decretorum S. R. C. p. 419 et seq.
(2) Ibid. p. 434.

Attamen, ut idem consultor animadvertit, pro retinendis in Austria et Germania his usibus multae et maximi momenti militant rationes: et primo quidem agitur de consuetudine immemoriali per plura saecula continuata et quae non definitur terminis unius alteriusve dioecesis, sed ad omnes illarum regionum dioeceses extenditur; praeterea praedictus mos ita in succum et sanguinem catholici populi harum regionum pertransiit, ut sine maxima et communi concitatione, immo sine periculo fidei et devotionis removeri non valeat, ideoque pluribus dioecesibus S. R. C. concessit ut hae consuetudines retineri possent (1).

In illis ergo regionibus Indulgentias, de quibus supra, lucrari possunt quotquot Christifideles Sanctissimum Sacramentum sic in sepulchro expositum Feria VI in Parasceve et Sabbato sancto visitant et supradictas preces fundunt. Quodsi in aliis regionibus simile quid fiat a S. R. C. probatum, idem dicendum foret.

Ne tamen inde concludes iam licitum esse ubique SS. Sacramentum sic exponere in Feria VI, cum iuxta ritum romanum, ut superius diximus, talis expositio, immo simplex asservatio Sanctissimi in ecclesia, ad publicam venerationem maneat omnino prohibita (2).

Namurci Ios. Pauwels, s. i.

(1) Ibid. p. 435.
(2) Decr. Congr. De Disciplina Sacramentorum 26 martii 1929.

33 — Pont. Comm. de Cod. Interpr.

Responsa 16 ian. et 16 mart. 1936

(*AAS* XXVIII (1936) p. 178)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I — DE POSTULATORE IN CAUSIS SERVORUM DEI

D. Utrum, vi canonis 2004 § 3, in Urbe fixam habere sedem teneatur dumtaxat postulator in processibus apostolicis, an etiam postulator in processibus informativis seu ordinariis. *Postulator in causis Serv. Dei.*

R. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 16 Ianuarii anno 1936. *Dies (16 ian. 1936).*

✠ A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus,
L. ✠ S. *Praeses*
I. Bruno, *Secretarius.*

II — DE SACRA COMMUNIONE IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI

D. An canon 867 § 4, collatus cum canone 821 § 2, ita intelligendus sit ut sacra Communio distribui possit in Missa, quae sive iure sive apostolico indulto celebratur media nocte Nativitatis Domini. *Canon 867 § 4, cum c. 821 § 2 collatus.*

R. Affirmative, nisi loci Ordinarius iustis de causis in casibus particularibus id prohibuerit ad normam canonis 869.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 16 Martii anno 1936. *Dies (16 mart. 1936).*

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*
L. ✠ S I. Bruno, *Secretarius.*

---

34 — Delegatio Apostolica in Japonia

Instructio diei 8 decembris 1935

AD SUPERIORES INSTITUTORUM ET CONGREGATIONUM RELIGIOSORUM JAPONIAE.

(ex exemplari authentico)

Documentum reddimus uti illud accepimus, lingua videlicet Gallica, nec latinam versionem adiicere necessarium reputavimus.

Praeter Annotationes, et notulas ad calcem paginarum scripsimus, quae ad melius intelligendum ipsum textum inserviant; numeri quoque marginales, uncis scilicet quadratis inclusi, nostra manu sunt appositi.

Spatio angustiati, alla Documenta, ad eandem rem spectantia, in proximum fasciculum differre cogimur.

DELEGATIO APOSTOLICA
IN JAPONIA (1)

—

AUX SUPÉRIEURS DES INSTITUTS
ET CONGRÉGATIONS RELIGIEUSES DU NIPPON (2)

Exordium.

[1] Dès mon entrée en fonction dans cette Délégation Apostolique du Japon (3), une de mes premières préoccupations a été de réaliser, selon les instructions de la S. C. de la Propagande, une plus grande coordination des efforts soit entre les diverses Missions soit entre les missionnaires.

Coordinatio.

[2] Ce programme va être graduellement mis à exécution par les Révérendissimes Ordinaires dans les différentes Missions. Mais il ne saurait être réalisé, sans le concours des

---

(1) Delegatio Apostolica in Japonia, erecta per Bréve Apostolicum diei 16 nov. 1919 comprehendit Japoniam proprie dictam, Coream (= Chōsen) et Formosam (= Taiwan). Haec facta est Japonicae ditionis post bellum Sino-Japonicum (1895), illa annexa est formaliter anno 1910. In Delegatione hac numerabantur censu officiali octobris 1935 milliones 96, incremento annuali millionem facile superanti.

(2) Edicto recenti Gubernii antiquae voci *Japan* suffecta est vox *Nippon*. Iisdem caracteribus sinensibus utraque vox scribitur: 日本 id est « solis ortus »; sed sinensi lingua pronuntiatur *Jih-pēn*, quod Lusitani *Japão* fecerunt. Japonica autem lingua dicitur *Nichi* vel *Ni* (sol), *hon* (ortus); uno vocabulo: *Nippon* vel *Nihon*. In hac ipsa nominis immutatione non perperam quis indicium reperiat consilii omnia ad patrios fontes reducendi.

(3) Ill.mus et Rev.mus Dominus Paolo Marella nominatus est Delegatus Apostolicus die 30 Oct. 1933. Natus est anno 1895.

divers Instituts Religieux (1) qui tiennent une place si importante dans l'apostolat missionnaire et qui, même dans la diversité de leurs oeuvres et de leurs méthodes, poursuivent le même but final: le règne de Dieu dans les âmes.

Principia unitatis in actione.

[3] C'est pourquoi, je me permets aujourd'hui de leur soumettre ou plutôt de leur rappeler les principes généraux qui doivent servir de base à cette coordination des efforts. Ces principes sont sans doute déjà connus et observés, mais dans les difficultés présentes, il faut les préciser davantage.

Eorum origo.

[4] D'ailleurs, ce ne sont pas seulement mes idées personnelles, mais c'est le fruit de l'expérience; elles sont aussi basées sur les critiques et les observations de nos adversaires, à tort ou à raison, au sujet de nos Instituts catholiques.

Promulgatio.

[5] Les Supérieurs sont priés de communiquer le contenu de cette lettre à tous leurs sujets, à la première occasion, de la manière qu'ils croiront la plus opportune.

I

Prima quaestio.

[6] Une des questions les plus actuelles et qui doit être pour nous l'objet d'une attention toute particulière est l'attitude à prendre envers les *manifestations de l'esprit patriotique et national* (2). Le principe général qui doit dicter notre attitude sur ce point est un esprit de large compréhension pour tout ce qui n'est pas directement en opposition avec la foi, et un souci de sincère coopération pour tout ce qui peut être légitimement interprété comme manifestation de l'amour naturel envers la patrie. Par conséquent, pour toutes les manifestations qui n'ont pas ou n'ont plus de caractère spécifiquement religieux, il est évident que nos Institutions doivent y prendre part dans la même mesure que les Institutions similaires japonaises: ainsi il est à peine nécessaire de rappeler ici ce qui pour nous est déjà une coutume établie, à savoir, que

Nationis et patriae cultus.

Regulae de pure civilibus.

Applicationes.

(1) Ne mirum videatur praeter Ordinarios (ex Clero saeculari indigeno, Societate Parisiensi Miss. Exter., Ordine Praedicatorum, Ordine Fratrum Minorum, Societate Jesu, Societate Verbi Divini, Salesianis, Benedictinis a S. Ottilia, Societate Americ. Miss. Exter. de Maryknoll) de Institutis religiosis fieri mentionem. In ipsis enim dioecesibus vel Vicariatibus aut Praefecturis Apostolicis laborant Cistercienses Reformati, vulgo Trappistae (Fukuoka, Hakodate), Marianistae (Tokio, Osaka, Nagasaki), Jesuitae (Tokio: Univers. Cathol.), Fratres Schol. Christ. (Hakodate) et ultra sexdecim instituta monialium, non computatis duobus institutis plene indigenis. Educationi juventutis, curae infirmorum, operibus caritatis multigenis vacant.

(2) De his infra, inter *annotationes*.

le drapeau japonais (1) doit être arboré aux portes de nos établissements à toutes les fêtes nationales japonaises (2) — l'origine et le caractère religieux de certaines de ces fêtes n'étant plus pratiquement pris en considération dans l'opinion publique actuelle. De plus nos établissements catholiques n'étant institués ni pour ni par une nation étrangère, il y a lieu de s'abstenir absolument d'arborer, même avec le drapeau japonaise, l'emblème national d'un autre pays, y compris celui du pays d'origine des Instituts religieux qui dirigent ces établissements sauf dans le cas d'une visite officielle d'un personnage ou représentant d'une nation étrangère.

De mixtis. [7] Pour les manifestations ayant un caractère mixte, patriotique et religieux, tout ce qui est susceptible d'une interprétation raisonnable et communément admise par l'opinion publique dans le sens de manifestation civile du sentiment national ne doit pas être condamné ni interdit (3).

De dubiis [8] Si dans les autres cas, après mûr examen, le caractère religieux ou civil d'un acte reste douteux, il est préférable de ne donner aucune solution explicite. Il suffit de donner aux fidèles le principe général à savoir : si l'acte dont il s'agit n'est pas considéré dans l'opinion commune comme une profession de foi d'une religion paienne mais plutôt comme la manifestation traditionnelle d'un sentiment naturel, il peut être pratiquement considéré comme n'étant pas en opposition avec la foi. Le principe une fois donné on laissera à la conscience individuelle le soin de l'appliquer dans les cas particuliers. Cette ligne de conduite vaut tant pour les manifestations d'ordre national que pour les actes de piété filiale envers les ancêtres... (4) etc. Cette largeur de vue n'est nullement une attitude purement opportuniste inspirée par les difficultés présen-

---

(1) Hi-no-maru, vexillum exhibens solem rubri coloris, ab anno 1859, tempore Restaurationis seu Meiji, agnitum est ut vexillum nationale.

(2) Praeter festa occasionalia, tria praecipue recurrunt in kalendario japonico : novi anni inchoatio, anniversarius dies Imperatoris regnantis, commemoratio accessionis primi Imperatoris Jimmu-Tenno, anno 660 a. C.

(3) Tota haec paragraphus, non parvi certe momenti, mendo, ut apparet, typographico, excidit e documento in *Pensiero Missionario,* vol. VIII, fasc. I (31 marzo 1936) p. 5.

(4) Pietas filialis apud Japones, sicut et apud Sinenses, non est tantum virtus commendabilis, sed quasi fundamentum totius aedificii socialis. Notavit quidam, rerum Japonicarum sat peritus, verbum Scripturae : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae* immensum creare praejudicium contra Christianismum, et hoc solo textu plures pronuntiare totam religionem esse immoralem (cf. CHAMBERLAIN, *Things Japanese,* ad verb.: Filial Piety).

tes et n'implique nullement contradiction avec l'attitude passée de l'Eglise au Japon. Il est en effet certain que le sens communément attribué à ces manifestations mi-religieuses, mi-civiles a beaucoup évolué et que ce qui était considéré il ya vingt ans comme un acte avant tout religieux est de plus en plus interprété comme une manifestation civile sous une forme extérieure traditionnelle et religieuse. L'Eglise ne fait que s'adapter à cette évolution dans un esprit de large compréhension des traditions et des aspirations légitimes du peuple japonais.

Nulla adulatio.

[9] Il va sans dire que ces efforts, tout en étant très réels, doivent toujours, dans leurs modalités pratiques, rester empreints de la plus grande sincérité et ne jamais revêtir un caractère artificiel et forcé, qui, surtout de la part d'étrangers, serait interprété comme une flatterie intéressée et peu digne, compromettrait l'estime et la confiance que nous voulons précisément gagner, et affaiblirait l'esprit de nos Chrétiens.

Applicatio ab ordinariis.

[10] En cette matière les R.mes Ordinaires peuvent donner les instructions et directions nécessaires. Les Supérieurs des Instituts n'ont qu'à s'informer et à agir selon ces directives.

Difficultates speciales.

[11] Enfin, au sujet des difficultés spéciales (1) qui se sont élevées dans les missions du sud du Japon, nous demandons à tous, et surtout à l'égard de la presse étrangère, la plus grande réserve ou mieux le silence pur et simple, condition indispensable à une pacification des esprits d'ailleurs actuellement en bonne voie.

II

Evolutio progressiva.

[12] Un autre point qui doit être l'objet de notre plus vigilante attention, surtout dans nos oeuvres d'éducation est le caractère *d'évolution progressive* que doit prendre notre apostolat tant à l'égard de l'ensemble des âmes qui nous sont confiées qu'a l'égard des individus.

Incipiendum a natura Japonica.

[13] Sans doute le but final de tous nos établissements est la propagation de la foi. Mais ce but ne peut être atteint, surtout dans les circonstances actuelles, que par une influence progressive de l'idée chrétienne sur la mentalité païenne, influence qui doit prendre comme base et point de départ les vertus naturelles du peuple japonais qu'elle cultivera, élèvera

(1) De illis difficultatibus, quae maxime in insula Kyu Shû et prope Kagoshima ortae sunt, ne commentarius indiscretus textum destruat, melius est silere ; cf. si lubet : *The Japan Year Book*, 1933, p. 864, 865, ubi haec tanguntur.

et petit à petit purifiera des éléments spécifiquement païens auxquels elles sont encore mélangées.

Contactus personales.

1 - Dans ce but il est d'abord nécessaire de multiplier les occasions de *contact personnel* et les relations entre les religieux ou religieuses et les élèves et de s'efforcer de créer chez ces derniers un réel attachement non seulement à l'égard de l'établissement lui-même, mais à l'égard des Instituts qui les dirigent. — Dans les relations avec les élèves, soit païens soit chrétiens, il faut éviter de donner une impression d'une supériorité non existante. Cette conduite ferait naître chez les uns un sentiment de défiance et de crainte, et chez les autres un sentiment de mépris. Car il faut se rappeler que les temps sont changés et que les païens ont moins de respect qu'autrefois pour les étrangers.

Etiam cum familiis.

2 - Comme nos possibilités d'action sur les âmes dépendent non seulement de la volonté des élèves mais aussi et surtout des dispositions des familles, — s'efforcer d'élargir le cercle des sympathies autour des oeuvres catholiques, en entrant en relations avec les familles des élèves, en leur témoignant un intérêt réel et personnel, même en dehors de toute question religieuse, et en prenant part à la vie sociale dans les limites où elle n'est pas incompatible avec la vie religieuse. Pour cela une meilleure adaptation des méthodes particulières de chaque communauté religieuse à ces nécessités de l'apostolat peut dans certains cas être nécessaire.

A virtutibus moralibus incipiendum.

3 - Dans l'éducation morale générale donnée à l'ensemble des élèves — prendre pour base les points communs des vertus naturelles japonaises (1) et des vertus chrétiennes : fidélité, dévouement, esprit de sacrifice, respect de l'autorité humaine et divine, tout en ouvrant, selon une mesure à déterminer suivant les circonstances, des horizons sur la doctrine chrétienne, synthèse de toutes ces vertus. Cette formation générale à la fois japonaise et chrétienne, surtout si elle n'est pas simplement théorique mais aussi mise en pratique par le moyen de « shû-

---

(1) Virtutes illae jam ab antiquis missionariis extollebantur. Sic, ne testimonia S. Francisci Xaverii usu jam trita refricentur, Cosmas de Torres, qui totum fere orbem, Mexicum, Molucas, Indiam peragraverat, Provinciali Indiarum, Antonio de Quadros anno 1561 ex Bungo Japoniae scribebat : « Unum illud dicam, me tot babarorum et christianorum terras emensum, gentem vidisse numquam aut rectae rationi, ubi eam cognoverint aeque obtemperantem, aut ita pietati... deditam. Cf. MAFFEI, *De rebus Indicis,* Neapoli 1573, p. 148 s.

yôdan » (1) sans caractère spécifiquement confessionnel, sera la meilleure préparation, à un accès plus direct à l'étude de la religion chrétienne.

Institutio religiosa quomodo ?

4 - Pour les élèves qui le désirent et sans heurter les susceptibilités des familles, — donner des cours de religion chrétienne en dehors de l'école proprement dite (2). La doctrine y sera sans doute nettement exposée, mais toujours dans un esprit d'évolution de la mentalité païenne à l'esprit chrétien. Il sera souvent très avantageux et même nécessaire que ces cours soient distincts des cours de catéchisme donnés aux vrais catéchumènes ou aux chrétiens.

Nulla compulsio.

Certaines autorités ont fait la remarque que dans quelques Instituts surtout les pensionnats, on insiste trop, même auprès des élèves païennes, sur l'instruction religieuse, sur l'assistance à la messe ou à d'autres actes religieux. L'ordre du jour doit être ainsi organisé que personne ne soit forcé d'assister aux exercices religieux.

Moderatio in expositione.

5 - Dans l'exposé de la doctrine chrétienne il faut aussi s'efforcer, en ce qui concerne les devoirs du chrétien, de détruire le préjugé qui tend à faire croire qu'entrer dans la religion chrétienne comporte même pour un païen honnête un changement total de vie extérieure, une rupture complète avec les traditions qui feraient du chrétien un être à part, séparé de ceux qui ne partagent pas sa foi, en marge de sa famille, et astreint à des pratiques ou observances incompatibles avec la vie moderne. Pour cela, — montrer comment les commandements de Dieu ne sont que la synthèse des vertus que doit pratiquer tout honnête homme, comment les lois de l'Eglise ne sont que des modalités pratiques, d'ailleurs sans caractère absolu, pour conserver et augmenter ces vertus, et comment l'Eglise elle-même sait les adapter en fait aux diverses circonstances de temps et de lieu.

Ad baptismum gradus faciendus.

6 - Cette prudence apostolique et ce souci d'éducation progressive ne doivent cependant pas nous faire oublier cette vérité que les principes théologiques démontrent et que l'expérience confirme: il n'y a pas de vrai christianisme sans le baptême, et une foi, même ardente, qui n'est pas confirmée par la grâce des sacrements, reste dans un état anormal d'instabilité dangereuse. Pour écarter des catéchumènes les obstacles

(1) Vox japonica significans associationem seu « circulum » ad promovendum maxime bonum sociale.

(2) Conformiter ad legem japonicam de instructione publica, cursus religionis non debent dari in ipsa schola, neque ullam licet adhibere compulsionem.

d'ordre externe qui souvent, surtout pour les femmes, les empêchent de recevoir le baptême, il importe d'abord de ne pas laisser s'accréditer dans l'esprit des familles, par ailleurs souvent bien disposées à l'égard de la doctrine chrétienne elle-même une opinion exagérée au sujet des conséquences du baptême dans la vie familiale et sociale. Tout en inculquant au catéchumène lui-même toute l'importance de ce sacrement, et sans préjudice pour les garanties qui doivent entourer le mariage chrétien, il faut accoutumer les païens à cette idée et à ce fait que la vie d'un chrétien baptisé n'est pas sensiblement différente dans ses modalités externes et sociales de celle d'un croyant non baptisé (1). Ce serait à la fois une erreur de doctrine et une maladresse de laisser croire que l'obligation d'observer les commandements de Dieu — y compris ce qui concerne les devoirs envers Dieu, la sainteté et l'indissolubilité du mariage etc.... — commencent au baptême. Libérées de cette fausse opinion, non seulement les familles consentiront plus facilement au baptême de leurs enfants; mais elles seront amenées lentement à ne plus faussement distinguer, comme elles le font trop souvent, entre la liberté de conscience et la liberté de pratique, entre la permission de s'instruire ou de croire et celle de recevoir le baptême. Ainsi nous aurons fait un grand pas vers l'attitude normale de l'Eglise qui, pour le baptême, n'exige la permission des parents que pour les enfants n'ayant pas atteint l'âge de raison.

Instituenda juventus ad vitam christianam, non tantum ad novitiatum.

7 - S'il est très désirable que nos Instituts religieux comptent parmi leurs membres le plus grand nombre possible de sujets japonais, il faut se garder, surtout en ce qui concerne les jeunes filles, de donner prise à un autre préjugé déjà trop répandu: une jeune fille entrant dans le cercle d'influence du catholicisme ou à plus forte raison devenant chrétienne, serait par le fait même orientée vers la vie religieuse ou du moins

(1) Sedulo perpendenda verba. Non enim dicitur vitam christianam et paganam, quoad externa, fere aequiparari; sed vitam baptizati et vitam catechumeni, illius scilicet qui credit fidem et servat praecepta moralia, sed cui adhuc deest baptismus. Tota hac paragrapho confirmatur id quod etiam rationibus statisticis constabat; multos scilicet, praesertim iuvenes Japonios, corde Christianos esse, et Christianismum in votis habere, sed detineri ab ipso baptismo recipiendo et professione externa fidei (cf: Dorotheus Schilling, O. F. M., *Etat actuel du Catholicisme au Japon. IV Semaine de Missiologie de Louvain*, 1926, p. 154. « La Municipalité d'Osaka a fait parmi les élèves des écoles secondaires de la ville une enquête... Quelle est la religion de votre famille? Quelle religion préférez-vous personnellement? 329 élèves répondent que la religion chrétienne est celle de leur famille; 1513 la préfèrent aux religions païennes ».

écartée de la voie normale du mariage. Sans vouloir étouffer les vraies vocations religieuses, il est nécessaire, que la formation et l'orientation habituelles des jeunes filles soit avant tout familiales. A toutes on donnera une haute idée de la famille, du mariage, de la maternité, vocation ordinaire et normale de la femme. A celles qui sont dans l'ambiance chrétienne, on s'efforcera de faire comprendre l'idéal chrétien de la vie de famille, le « sacerdoce » de la mère éducatrice, le rôle vraiment apostolique que peut et doit jouer la femme chrétienne dans une famille païenne et par conséquent dans l'oeuvre de la conversion du Japon. A cette fin, on pourra, avec fruit, se servir de livres traitant ces matières soit en japonais soit en langue étrangère. Cette formation et cette orientation seront d'ailleurs une garantie de plus de vraie vocation pour celles qui, non contentes de cet idéal, aspireraient à une vie plus parfaite.

Dans l'exposition du catéchisme et dans l'éducation pour les chrétiens, il vaut mieux insister surtout sur la vie pratique catholique, pas seulement sur la vie intérieure et spirituelle. L'instruction religieuse doit être ni trop sentimentale ni trop rationnelle, mais doit envisager premièrement une vie de profonde foi surnaturelle.

Inculcanda doctrina de matrimonio.

On a souvent fait remarquer, d'après l'expérience, que même parmi les anciennes élèves catholiques de nos écoles, plusieurs ignorent plus ou moins la notion dogmatique et surtout canonique du mariage chrétien. La nouvelle édition du catéchisme donnera sur ce point quelques moyens de remédier à cette lacune.

Perseverantia baptizatorum fovenda.

Un autre point très important est de rester en contact avec les élèves baptisés afin qu'ils persévèrent dans la vie chrétienne. Au sujet des jeunes filles spécialement la direction de l'école peut aider afin qu'elles puissent contracter un mariage chrétien ou au moins les guider pour contracter un mariage mixte sous les dispositions requises. Quant aux élèves qui avaient déjà commencé à étudier la religion, il faut aussi continuer des relations avec eux, afin qu'ils puissent nouer connaissance avec la mission du district ou de la ville où ils résideront, et pour cela il est nécessaire que l'on avertisse aussi directement le missionnaire de ce lieu.

III

Relationes inter paroecias et instituta educationis.

[14] Une autre question délicate que nous ne pouvons passer sous silence est celle des *relations entre les établissements*

[34]

religieux et les paroisses. Je connais combien les R.mes Ordinaires et les missionnaires apprécient les travaux des Instituts religieux: ils sont toujours prêts à aider leurs oeuvres si importantes pour la Mission. Il est évident que ces établissements et en particulier les écoles (1), ayant dans leur rayon d'influence un public particulier, distinct de celui des paroisses, constituent des centres religieux dont l'activité est plutôt parallèle que subordonnée à celle des paroisses. Il est donc normal que chacune de ces institutions ait non seulement la liberté mais ses moyens propres de conduire les âmes à la foi et de les initier à la vie chrétienne.

Ad vitam parochialem adducendi.

[15] Cependant, si dans l'apostolat lui-même, c'est à dire dans « l'Eglise à constituer » toutes les oeuvres travaillent parallèlement aux paroisses, il n'en est pas moins vrai que la paroisse est appelée à être la cellule de « l'Eglise une fois constituée ». En vue de cette organisation définitive de l'Eglise non seulement on observera avec soin les règles canoniques, concernant l'inscription sur les registres paroissiaux des baptêmes et confirmations, les droits exclusifs du curé pour les mariages, funérailles etc..., mais les institutions religieuses qui les ont instruits se feront un devoir d'orienter les fidèles baptisés et pratiquement affermis dans la foi vers la vie paroissiale à laquelle ils devront prendre habituellement part, à moins que des circonstances particulières les en empêchent. Il faut les faire participer aussi aux oeuvres paroissiales soit pour l'entretien de l'église soit pour l'Action Catholique.

Suavi conspiratione.

[16] D'ailleurs en cette matière, plus que les règles canoniques qui supposent un degré de développement de l'Eglise et des paroisses, non encore atteint dans nos missions, la délicatesse dans les procédés, le souci habituel de ménager les susceptibilités et un désir désintéressé du bien des âmes seront les meilleurs moyens d'éviter des conflits que l'immensité du champ de notre apostolat devrait rendre impossibles et de réaliser dans un « modus vivendi » pratique l'union de tous ceux qui travaillent pour la même cause.

Harmonice conspirent educatores.

[17] Cette union doit exister d'une façon plus étroite et plus positive encore entre les institutions catholiques elles mêmes, principalement entre celles qui, comme les écoles, poursuivent

(1) Scholas sat numerosas, licet relate ad universam japonicam iuventutem ut stillam in oceano, habet missio catholica. Anno 1933 computabantur in Japonia propria scholae superiores catholicae 57, quarum 21 in sola dioecesi Tokiensi, 10 in Osaka, alumnis numero 13.369. Elementares scholae 28, cum alumnis 1939. (Cf: *Guida delle Missioni,* p. 65*).

le même but. Il serait à désirer que les directeurs de tous nos établissements scolaires d'une même mission se réunissent pour mettre en commun, sous la direction du Supérieur Ecclésiastique leurs expériences, faire des échanges de vues, prendre mutuellement conseil, afin de réaliser entre eux une collaboration plus étroite tant en matière d'éducation que d'apostolat missionnaire. — Pour ces réunions on pourrait demander d'avance à l'Ordinaire un missionnaire compétent pour donner des renseignements sur l'orientation générale du temps présent et sur d'autres questions actuelles. Cette connaissance aidera beaucoup pour expliquer le catéchisme en conformité avec la mentalité japonaise et pour éviter certains malentendus de la part des païens surtout des autorités civiles. Quelques autorités civiles ont déjà remarqué que certaines explications faites au catéchisme ne conviennent pas à l'esprit japonais (1). Cela ne provient pas des doctrines catholiques elles-mêmes, mais des explications qu'on en donne.

Ad quaedam incommoda arcenda.

[18] De même, dans ces réunions on pourrait étudier les moyens à prendre pour éviter l'influence néfaste, exercée par quelques professeurs païens (2) dans les écoles catholiques, et aussi par des livres païens employés dans nos écoles.

IV

Nulla caeca tenacitas.

[19] Un danger qu'il convient d'éviter avec le plus grand soin, si nous voulons que nos oeuvres soient parfaitement adaptées au pays où elles sont instituées, est de conserver des usages qui pouvaient être légitimes dans le temps et dans le lieu où ils ont pris naissance mais qui n'ont plus de raison d'être actuellement.

Exempla accommodationis debitae.

[20] Ainsi, pour citer quelques exemples à titre d'indication, lorsque les divers Instituts religieux fondèrent de nouvelles maisons au Japon, il était naturel que les usages de ces nouvelles communautés, alors composées presqu'entièrement d'étrangers, fussent copiés sur ceux des Maisons-Mères d'Europe. Mais cet état de choses ne saurait se perpétuer sans dégénérer en routine dès que le nombre des religieux ou reli-

(1) Deficientibus particularibus explicationibus, vix conjicere licet quaenam fuerint illae doctrinae Japoniis offensivae.

(2) Quoniam valde arduum est Europaeis linguam japonicam perfecte addiscere et quoniam inter catholicos japones non inveniuntur sufficienti numero qui docere possint praesertim in scholis altioris gradus, compelluntur rectores scholarum, ut in Indiis saepe, acatholicos adhibere ad docendum. Simul tota litteratura est buddhistica.

gieuses japonais prend une certaine importance. Un réel effort d'adaptation aux coutumes légitimes du pays doit être fait en ce qui concerne, par exemple l'alimentation (1), l'hygiène, le vêtement et aussi la langue commune, qui ne saurait rester toujours une langue étrangère, aussi pour les prières sauf la langue liturgique. Les religieux européens qui n'ont pas hésité à tout quitter pour gagner le Japon au Christ, sauront faire les très réels et parfois très durs sacrifices que cette adaptation comporte.

De cantu religioso japonico.

[21] De même, s'il pouvait être nécessaire au temps où il n'existait pas ou peu de cantiques japonais de faire chanter aux élèves de nos institutions des chants en langue étrangère, cet usage n'a plus de raison d'être aujourd'hui sauf dans certaines circonstances exceptionnelles. Un recueil de cantiques japonais a été édité. Ce recueil a été publié dans un but d'unification, et sur la recommandation des Ordinaires. Les établissements religieux se feront un devoir de suivre ce mouvement d'unification. On s'efforcera aussi de promouvoir, selon l'esprit de l'Eglise, le chant en commun de tous les fidèles, même s'il risque d'être moins bien exécuté que celui d'une chorale restreinte. Au sujet de l'uniformité désirable les Instituts, malgré certaines latitudes dans leurs propres chapelles, feront en sorte que leurs cérémonies spéciales et les usages observés par leurs élèves ne troublent pas les coutumes des églises paroissiales p. ex. la manière de célébrer le Salut et autres cérémonies.

Liturgia fovenda.

[22] Les Institutions religieuses ont aussi un rôle important à jouer dans la formation de l'esprit liturgique des fidèles: une traduction japonaise du Missel vient d'être publiée et sera d'un grand secours pour faire participer plus étroitement les fidèles au Sacrifice de la Messe, centre du culte catholique.

Et ipsa ars indigena.

[23] De la coopération des Instituts religieux dépend aussi en bonne partie le développement de l'art religieux japonais. Dans le large esprit de compréhension dont il a été parlé plus haut ils encourageront dans l'imagerie, la statuaire, la décoration, l'architecture toutes les saines initiatives d'inspiration japonaise. Dans l'art religieux européen ils feront tous leurs efforts pour cultiver chez les chrétiens et les païens une

(1) Victum ordinarium Japoniorum iam olim missionarii aliqui, ut P. Melchior Nuñes Barreto, censuerunt ab Europaeis vix posse tolerari; quamvis alii, ut P. Cosmas de Torres, plane fuerint Japoniae diaetae assuefacti. Sed e converso notandum est lac, butyrum, adipem, panem ipsum, vel carnem Japoniis esse valde iniucunda.

juste conception de la beauté artistique et les mettre en garde contre ces productions d'un goût douteux, hélas! trop répandues jusque dans nos missions (1).

Devotiones sint catholicae.

[24] Quant au culte et aux dévotions je répète ici seulement ce que j'ai écrit aux missionnaires (Actio Miss. fasc. 15) « Insistons sur les dévotions principales et gardons ostensiblement la hiérarchie: le Saint-Sacrement et la Croix en premier lieu, puis la Sainte Vierge et Saint Joseph. Ces saints se trouvent mêlés à la vie de Jésus et les raisons de leur culte apparaissent dans l'Evangile et le catéchisme. Pour le culte des autres saints laissons-nous plus guider par les besoins spéciaux des fidèles que par notre dévotion personnelle: l'Eglise fait une place spéciale aux saints de chaque pays: pourquoi ne ferions-nous pas dans nos églises une place toute spéciale aux saints martyrs japonais ? » (2).

V

Nullus particularismus.

[25] En terminant il n'est pas inutile d'attirer l'attention de tous sur un point particulièrement délicat. S'il est parfaitement légitime et même nécessaire que les membres des Instituts religieux nourrissent à l'égard de leur famille religieuse, de son fondateur et de ses saints un attachement tout particulier et que cet attachement joue dans leur vie religieuse un rôle important, il n'est pas moins vrai que dans leurs oeuvres spécifiquement apostoliques soit auprès des chrétiens soit auprès des païens il doivent être tout missionnaires.

Conclusio.

[26] Toutes ces considérations n'ont qu'un but: promouvoir une plus grande cohésion dans l'apostolat missionnaire par une union de plus en plus forte entre les divers organismes qui y travaillent et par une adaptation de plus en plus complète de notre action à l'esprit japonais. C'est cette union, cette coordination des forces, ces efforts d'adaptation que nous demandons aujourd'hui aux divers Instituts religieux, au nom de Jésus Christ et de son Vicaire, bien certain que Dieu saura les récompenser, en accordant aux oeuvres et aux ouvriers ses plus abondantes bénédictions.

---

(1) Haec plane concordant cum ordinationibus quas pro Sinensibus regionibus ediderat E.mus et R.mus Dominus Celsus Costantini, tunc temporis Delegatus apostolicus. (Cf. etiam *IV Semaine de Missiologie de Louvain,* 1926: *Autour du problème de l'adaptation,* speciatim p. 213 et 226).

(2) Viginti sex martyres, inter quos 19 erant Japones, crucifixi sunt Nagasaki (5 febr. 1597); beatificati 1627; canonizati 8 Iunii 1862.

Cette bénédiction divine, je l'implore pour tous les Instituts au Japon, pour les Supérieurs, les sujets, leurs familles et leurs bienfaiteurs.

Dies (8 dec. 1935). Tokyo, le 8 Décembre 1935, Fête de l'Immaculée Conception.

PAUL MARELLA
† *Archevèque de Dioclea*
Délégué Apostolique

ANNOTATIONES

I — *Ad quosnam dirigatur haec ordinatio?*

Non ad Ordinarios. Nam clare indicatur ipsis iam aliunde fuisse communicatum programma generale, ad cuius executionem requiritur collaboratio Institutorum. Ideo saepe in hoc documento contradistinguuntur Ordinarii et Instituta (v. g. n. 5, 10, 13 § 7, 14, 21).

Ideo ad ipsa Instituta et Congregationes, quae in territoriis Ordinariorum laborant. Nec scrupulum movere debet quod non solita formula Ordines etiam iuxta Instituta et Congregationes nominentur. Usu enim iamdudum venit quod, maxime lingua vulgari, vocabulo « Institutum » « Istituto » omnes Religiones nuncupantur, etiam Ordines (cf. ut unum tantum exemplum adducatur: *Guida delle missioni cattoliche, redatta sotto gli auspici della S. C. di Propaganda Fide;* p. 374: *Istituti di sacerdoti che lavorano nei Territori di Propaganda*).

II — *De vi obliganti*

Quamvis, urbanitatis causa, n. 3 litteralis expressio mandati seu iussionis non habeatur sed potius propositionis, ex natura rei et ipso tenore patet de vera praeceptiva norma agendi esse sermonem.

Attamen ubi sermo est (13 § 2 vel 20) de immutationibus quibusdam in regulis vel consuetudinibus

Communitatum religiosarum, ut vitae sociali Japoniorum magis se immisceant, vel usus quosdam internos alterent, ordinatio non excedit limites consilii solliciti. Superiorum enim est, vel auctoritatis legitimae intra Congregationem, vel Sanctae Sedis tales immutationes introducere. Sic v. g. aliquae moniales educationi addictae, in Japonia clausuram strictam habent ut in Europa, nec extra monasterium sinuntur expatiari. Certe ad visitandas suas alumnas, etiam graviter domi decumbentes, indigent licentia propriae Superioris Generalis. Nec per praesentem ordinationem Superiores exauctorantur. Idem de mutationibus in vestitu religioso etc., quae sunt regiminis interni.

Optandum sane esset ut sana accommodatione, in omnibus quae non sunt essentialia, Instituta religiosa conditionibus missionis in qua laborant se aptarent ad plenius fructificandum. Et ideo peropportuna est ordinatio. De coetero per ipsos Ordinarios executio est urgenda. Ideo ne eorum auctoritas per Delegationem videatur supplantari, tota ordinatio formam induit expositionis generalis principiorum et quarumdam dumtaxat applicationum, ut in tota missione Japonica methodus eadem servetur.

III — *De momento huius ordinationis*

Duplici ex fonte apparet:

a - eo quod contineat principia generalis amplitudinis, quae, mutatis in applicatione mutandis, in omnibus missionibus valorem habent et accommodationis (vel, si vox latina esset, adaptationis) doctrinam in re missionaria dilucide proponunt.

b - eo quod, in applicationibus, respicit campum missionis vix in toto orbe non praecipuum : Japoniam scilicet, et in quo hucusque progressus nonnisi lentissimus. Anno 1873 numerabantur 15000 catholici,

descendentes ex fidelibus antiquae missionis saeculi XVI ; anno 1889 libertas religiosa fuit in Constitutione Imperiali promulgata ; anno 1899 ultima obstacula remota ; iam anno 1891 ordinaria hierarchia a Leone XIII stabilita ; a 63 annis nulla persecutio, faciles communicationes, populus cultissimus, coelum salubre, et tamen in Japonia propria numerus catholicorum non multum 100000 excedit, quorum maior pars, in dioecesi Nagasaki, et hinc inde, filii sunt antiquorum ex vetusta missione fidelium. Quamvis nemini liceat propterea criminari missionarios, certe tamen omnibus catholicis anxia urgetur quaestio de causis illius tarditatis, et impedimentis, si quae deteguntur, removendis.

Dum enim singulis annis, in Japonia propria, 2000 circiter Ecclesiae adduntur, numerus incolarum mille millibus crescit.

IV — *De opportunitate*

Obstaculum non parvum, licet non unicum, invenitur in hoc quod hodierni Japones, propter intensam qua flagrant erga patrium solum devotionem, quaecumque non sunt Japonica proni sunt ut aliena quaedam et suspecta rejicere. Ideo magis et magis ostendendum est, iuxta sanam doctrinam et tutam praxim, religionem Christi, quamvis in Europa floruerit et ex Europa in Japoniam provenerit, nihil habere in se essentialiter Europaeum, sed, utpote catholicam, nullibi esse exoticam.

V — *De doctrina generali*

Prout exponitur in ordinatione, continet principium aliquod universale, cui adnectuntur duae conclusiones.

Principium generale, quod numquam explicite asseritur, sed ubique supponitur, sic enuntiari potest : cum scopus missionis sit constituere Ecclesiam (15)

et cum Ecclesia non contrarietur ulli vero bono, sequitur nihil quod non sit in se malum a missione esse tollendum (13 § 5). Ideo, positive, omnis educatio christiana incipiat a virtutibus quae theoretice et practice apud Japonios inveniuntur laudatae (13 § 3). Simul retineantur omnia Japonica quae honesta et bona sunt (19, 21, 23 et maxime 6, 7, 8).

Negative: nihil imponatur ex usibus europaeis, qui indifferentes sunt (19, 20).

VI — *Applicatio praecipua de usibus Japoniorum circa patriae cultum*

a - Articulo 28 Constitutionis, promulgatae 11 Febr. 1889, omnibus Japoniis conceditur libertas religionis, in quantum paci et ordini publico per exercitium religionis non nocetur, nec obligationes subiectorum Japonii pessumdantur (*within limits not prejudicial to peace and order, and not antagonistic to their duties as subjects*).

b - Administratione tamen publica, et usu communi, plura imponuntur per modum caerimoniarum externarum, quae amorem patriae, reverentiam Imperatoris, memoriam heroum defunctorum promovere intendunt, et testificare fidelem erga Japoniam animum. Sic, statutis diebus, iuventus scholarum, caerimoniis publicis interesse debet ad tumulos vel sanctuaria civica.

c - Difficultas autem circa haec omnia apud nos vix habetur. Licet enim externae caerimoniae quae v. g. ad tumulum « *Militis Ignoti* » in pluribus Europae regionibus perficiuntur, religioso cultui non parum assimilentur, adhibitis et flamma, et peregrinationibus et « sacris » vigiliis, et salutationibus et oblationibus et iuribusiurandis et « altari » patriae, nullam tamen radicem habent in religione aliqua independenti.

d - In Japonia vero difficultas specialis. Duo enim elementa concurrunt ad talem cultum. Unum est certe religiosum, ex shintoïsmo procedens, secundum quod tum Imperialis dynastia ex prosapia divina per Amaterasu (i. e. ipsum lumen Solis, vel Sol divinus) physice censetur descendere; tum defuncti plurimi, maxime qui rei Japonicae aliquid contulerunt, ad honores et conditionem geniorum coelestium elevantur, et caerimoniis, templis, oblationibus coluntur. Huic cultui praesidet clerus shintoïsticus. Alterum elementum est mere civile, educationem populi spectans, cui amor patriae, fidelitas erga Imperatorem, grata memoria erga artifices ipsius Imperii et maxime milites gloriose defunctos, inculcantur. Externa quidem eadem signa cultus, eaedem caerimoniae, ad eosdem saepe tumulos.

e - Patet autem quod si catholici ab omnibus illis manifestationibus abstinent, non tantum civili excommunicatione quasi plectuntur sed suspicionem apud omnes excitant religionem christianam, utpote extraneam et hostilem, non posse componi cum genuino et legitimo patriae Japonicae amore.

f - Periculum illud non esse speculativum tantum recentes eventus probaverunt. Certe hoc unico scopulo tota Missio Extremi Orientis posset irremediabile pati naufragium.

g - Principia vero ad solvendam difficultatem in ordinatione habentur exposita:

1 - Quidquid non est certe indolis religiosae, licet olim forsan fuerit, potest et debet non tantum tolerari sed positive foveri (6).

2 - Quidquid mixtae sit indolis, religiosae simul et civilis, quotiescumque potest trahi ad significationem mere civilem, potest tolerari (7).

3 - Quidquid, post diligens examen, dubium manet utrum sit ritus civilis vel religiosus, melius est nec improbare nec probare, explicite saltem; sed re-

linquendum est uniuscuiusque arbitrio, propositis principiis de quibus supra. Evidenter quidem, licet non dicatur, ritus certe pagani omnino sunt evitandi (8).

4 - Rationes autem illius ordinationis possunt in ipso documento detegi sc.:

a - Usus quilibet iudicandus est non secundum externam apparentiam nec secundum primitivam institutionem, sed secundum opinionem communem utentium (9). Est principium illud certissimum: usus enim illi pertinent ad genus rerum conventionalium, quarum significatio est ad placitum communitatis. Sic in Japonia acclamationes populi dum Imperator transit aestimantur omnino indecentes, dum apud nos silentium turbae in simili casu esset expressio intensae aversionis animi.

b - Eo ipso quod Constitutio Japonica libertatem religionis concedit civibus, quidquid auctoritate publica omnibus imperatur, iam censetur, nisi contrarium sit manifestum, non induere religiosam sectae cuiusquam indolem sed ritum esse mere civilem.

c - Non mutatur ergo doctrina Ecclesiae, sed mutationi rerum se accommodat, quatenus ea quae olim shintoistica existimabantur a plebe, nunc iam civilia tantum reputantur. Sicut hodie impune legimus Christum « manere Olympo praemium » quia non iam de Iovis Olympo credimus dictum.

Romae PIERRE CHARLES, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

35 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Erectio novi vicariatus ap.ci.

A. Bulla *Quidquid fidei*, 11 nov. 1935, e Vicariatu Ap.co Oceaniae Centralis totum territorium Gallicae dicioni subiectum distrahitur et exinde novus Vicariatus Ap.cus erigitur et constituitur qui Insularum *Wallis et Futuna* nuncupatur, Societatique Mariae concreditur (*AAS* XXVIII (1936) p. 153 s.).

Card. Hayes legatus pro Eucharistico Conventu Clevelandiae eligitur.

B. Epistola *Allatum est Nobis*, 20 aug. 1935, Em.mum P. D. Patricium Iosephum Tit. S. Mariae in Via S. R. E. Presbyterum Card. Hayes, Arch.pum Neo-Eboracensem, SS. D. Legatum Suum deligit ac renuntiat pro Conventu Eucharistico ex omnibus Americae Septemtrionalis civitatibus Clevelandiae habendo (*AAS* XXVIII (1936) p. 157 s.).

S. Melanius patronus archidioecesis Rhedonensis declaratur.

C. *Litterae de patronis :*

Brevi *Paterna Caritas*, 12 febr. 1936, Sanctus Melanius, Rhedonensium Episcopus, archidioecesis Rhedonensis apud Deum constituitur et declaratur principalis Patronus, omnibus adiectis iuribus privilegiisque liturgicis quae huiusmodi Patronatui coelesti rite competant (*AAS*. XXVIII (1936) p. 156 s.).

Templum in urbe « Cartago » titulo Basilicae minoris decoratur.

D. *Litterae de ecclesiis :*

Brevi *Constat ex pluribus*, 26 iul. 1935, sacra aedes in civitate « Cartago » intra fines Archidioecesis S. Iosephi de Costarica, dicata Beatae M. Virgini, Angelorum Reginae, cuius insignem imaginem magna veneratione et singulari pietate omnis populus costaricensis a pluribus saeculis colit et fovet, titulo, honorificentiis ac privilegiis Basilicae Minoris decoratur (*AAS* XXVIII (1936) p. 155 s.).

36 — S. C. Consistorialis

Designationes Ordinariorum pro appellationibus :

Designationes Ordinariorum pro appellationibus.

Secundum Archiepiscoporum designationes, appellabitur ad tribunal Ordinarii S. Iacobi a tribunali arch.pi Paranensis (rescr. 27 nov. 1935);

ad tribunal Ordinarii Lucensis a tribunali arch.pi Compostellani (rescr. 28 nov. 1935);

ad tribunal Ordinarii Londonensis a tribunali arch.pi Torontini (rescr. 12 dec. 1935);

ad tribunal Ordinarii Barcinonensis a tribunali Card. arch.pi Tarraconensis (rescr. 20 febr. 1936);

ad tribunal Ordinarii Iarensis a tribunali arch.pi Nominis Iesu seu Cebuani (rescr. 1 april. 1936) (*AAS* XXVIII (1936) p. 166).

37 — S. Congr. Rituum

Festum S. Ioannis Bosco, cum officio et missa propria celebrandum.

Decreto Urbis et Orbis 25 mart. 1936, Festum Sancti Ioannis Bosco, confessoris non pontificis, ab universa Ecclesia, sub ritu duplici minori, cum officio et missa propria, die 31 ianuarii celebrandum decernitur, translato ad diem 28 ianuarii Festo S. Petri Nolasci, confessoris (*AAS* XXVIII (1936) p. 170 s.).

Annotatio

Decreto S. R. C. 25 martii festum S. Ioannis Bosco, Confessoris, ab universali Ecclesia cum Officio et Missa propria celebrandum decernitur. Festum affigitur diei 31 ianuarii qui est dies natalis S. Ioannis Bosco. Cum autem hucusque huic diei assignatum sit festum S. Petri Nolasci qui obiit in festo Nativitatis Domini, huius Sancti festum iam celebrandum erit 28 eiusdem mensis in quo occurrit festum S. Agnetis secundo sub ritu simplici, quod proin sola commemoratione gaudebit. Ob translatum festum S. Petri Nolasci in fine Lectionis VI huius Sancti quaedam mutationes erunt faciendae quae nondum a Sacra Congregatione fuerunt publici iuris factae. Haec assignatio festi S. Ioannis Bosco iterum ostendit mentem Ecclesiae esse ut festa Sanctorum, quantum fieri potest, in propria die, hoc est in die natali, celebrentur, cum non dubitet inde amovere festum a longo iam tempore huic diei assignatum extra diem natalem. Idem factum est cum ad universalem Ecclesiam extensa fuere festa S. Margaritae Mariae Alacoque et S. Alberti Magni.

Namurci Ios. Pauwels, s. i.

38 — Provisio Ecclesiarum

A. *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt :*

Saint John (Canadà). 14 mart. 1936, R. D. Patritius Bray, cathedrali ecclesiae Sancti Ioannis Canadensis.

Porto Nazionale (Brasile). 21 mart. 1936, R. P. Alanus de Noday, cathedrali ecclesiae Portus Nationalis.

Benevento (Italia). 15 april. 1936, Ec.mus P. D. Augustinus Mancinelli, metropolitanae ecclesiae Beneventanae.

B. *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt :*

Sappa (Albania). 27 ian. 1936, R. P. Nicolaus Vincentius Prendushi, cathedrali ecclesiae Sappensi.

Kandy (India). 27 ian. 1936, R. D. Bernardus Regno, cathedrali ecclesiae Kandiensi.

Quilon (India). 10 febr. 1936, R. P. Victorius Dereere, cathedrali ecclesiae Quilonensi.

39 — Necrologium

Coimbra (Portogallo). 1 mart. 1936, D. Aloysius Coelho, episcopus Conimbricensis.

Costantinopoli (Siria). 28 mart. 1936, D. Vahan Ktchourian, archiep.us Constantinopolitanus Armenorum.

Bergamo (Italia). 14 april. 1936, D. Aloysius Marelli, episcopus Bergomensis.

Altoona (S. U. A.). 21 april. 1936, D. Ioannes Iosephus Mac Cort, episcopus Altunensis.

BIBLIOGRAPHIA

I - *Ex Libris*

Card. ELIA DALLA COSTA, *Esortazioni al Clero*, Firenze (Libreria Editrice Fiorentina) 1936, 13×18 cm., 99 p., pretium L. it. 4.

Al Lettore - Il Sacerdozio - Le Radici di tutti i mali - Il Fervore - L'operosità - I Doveri del Ministero - Moniti di salute.

Mons. ORAZIO MAZZELLA, *La Guerra nel dogma, nella morale, nella storia della Chiesa Cattolica*, Taranto (Tipografia Arcivescovile) 1936, 12×17,5 cm., 108 p., pretium: L. it. 3.

Prefazione - La Guerra nel Dogma Cattolico - La Guerra nella morale cattolica - La Guerra nella storia della Chiesa - Appendice: Sacerdoti della Patria e Sacerdoti di Dio.

D. PIETRO BIENNATI, *L'imposta di ricchezza mobile*, Torino (L. I. C. E.) 1935, 10×16,5 cm., 58 p., pretium: L. it. 2.

P. LÉONARD BOHLER, O. F. M., *Le Christ au Collège*, Paris (Téqui) 1936, 12×19 cm., VIII-146 p., pretium: Fr. 7.50.

Avant-propos - Directives pontificales - Le Christ bénissant les Ecoles - Le Supérieur et le Christ - Le Directeur Spirituel parlant au nom du Christ - Les Maîtres représentants du Christ - Le Confesseur au Tribunal du Christ - L'enseignement de la Religion du Christ - L'esprit de discipline par amour pour le Christ - La Messe et la Communion au Collège - La prière des enfants - Aux Mères et aux Soeurs des futurs Prêtres - Les fêtes chrétiennes au Collège - Récréations; promenades; délassements en général - Menaces et encouragements - Entrée au Grand Séminaire; Première Messe; Perspective de vie religieuse; Noviciat et Profession - Les épreuves de la vie - Les triomphes du Christ dans les Collèges et les Séminaires.

Chan. J. BOUCHAT, *Vigilate...* Douze Heures Saintes (Première série), Bruxelles (Librairie Eucharistique) 1936, 12,5×18,5 cm., 158 p., pretium: Fr. 10.

Introduction - Indulgences attachées à l'Heure Sainte - 12 Heures Saintes - Appendice (Chants latins - Cantiques de Réparation - Prières).

P. A. DELAPORTE, *Imitation de Saint Vincent de Paul.* Ses maximes et ses exemples, Paris (Téqui) 1936, 9.5 × 15 cm., 332 p.

Préface - Chapitre préliminaire - Religion - La volonté de Dieu - Imitation de Jésus-Christ - Foi - Humilité - Obéissance - Mortification - Maladies - Chasteté - Charité - Fraternité chrétienne - Douceur - Cordialité et condescendance - Support - Simplicité - Prudence - Zèle - Détachement - Patience - Amour des pauvres - Avantages du service des pauvres - Visite des pauvres - Règlement de vie - Eucharistie - Méditation - Retraites - Confiance en Dieu - Dévotion à Marie - Litanies de Saint Vincent de Paul.

EUGENE A. DOOLEY, J. C. L., *Church Law on Sacred Relics* (The Catholic University of America, Canon Law Studies.N. 70), Washington, D. C. (The Cath. Univ. of America) 1931, 15 × 23 cm., IX-143 p.

The Cult of Relics Before the Code of Canon Law (The Nature of Relics - History of Legislation on the Cult) - Legislation in the Code of Canon Law (The Cult and Care of Relics - The Authentication and Application of Relics - The Exposition of Relics - Sale of Relics is Forbidden) - Appendix.

Chan. EUG. DUPLESSY, *Le Pain des grands.* Témoignages, faits et Anecdotes à l'usage des Cercles d'études, des Jeunesses Catholiques et des Cours supérieurs de Réligion, tome I: *Vérités à croire*, Paris (Téqui) 1935, 12 × 18 cm., XII-317 p., pretium: Fr. fr. 12.

Préface - La religion et son étude - La religion chrétienne et ses trois signes - Existence de Dieu - Attributs de Dieu - Gouvernement de Dieu - La Sainte Trinité - Les Anges - L'homme - Jésus-Christ - L'oeuvre de rédemption - L'église catolique - La communion des saints - Les fins dernières - Le corps et l'âme après la mort - Du jugement particulier au jugement général - Les deux cités de l'éternité.

IDEM, *eiusdem operis:* tome II: *Devoirs à pratiquer* 2e édition, (Téqui) 1935, 12 × 18 cm., 330 p., pretium: Fr. fr. 12.

Le devoir en général - La foi - La raison sans la foi, la « libre pensée » contre la foi - L'espérance - La charité envers Dieu - La charité envers le prochain, et ses oeuvres temporelles - Le culte dû à Dieu - La culte dû à la Très Sainte Vierge - La culte des saints - Respect dû au nom et au jour du Seigneur - Le culte pénitentiel - Les devoirs des enfants - Les devoirs des parents - Devoirs sociaux - Le respect de la vie - Le respect de la dignité humaine - Le respect du bien d'au-

trui - Le respect de la vérité et de la réputation - Le péché - Les premies péchés capitaux - Les derniers péchés capitaux.

IDEM, *eiusdem operis:* tome III: *Prière et Sacrements,* Paris (Téqui) 1935, 12 × 18 cm., 329 p., pretium: Fr. fr. 12.

La Grâce - La prière - Les premiers sacrements - La pénitence. La contrition - La confession - L'absolution et la satisfaction - L'Eucharistie. La présence réelle - La sainte messe - La sainte communion - Le devoir pascal - Les derniers sacrements - Quelques belles morts - Les sacraments sociaux - L'Ordre - La vie religieuse - L'appel divin - Le sacrament de mariage - Le *mariage civil* - L'indissolubilité du mariage - Tables alphabétiques.

Avv. SAVERIO FINO, *Il riposo domenicale e settimanale.* Legge 2 Febbraio 1934 N. 370 con note, Torino (L. I. C. E.) 1934, 10 × 16,5 cm., 72 p., pretium L. it. 2,50.

Avv. SAVERIO FINO, *Il venditore ambulante* nella legge 5 febbraio 1934 N. 327, Torino (L. I. C. E.) 1934, 10 × 16,5 cm., 15 p., pretium: L. it. 1.

Avv. SAVERIO FINO, *L'opera d'ingegno nello spettacolo e nel libro.* Disposizioni governative aggiornate intorno a: il diritto d'Autore, le rappresentazioni, i locali per gli spettacoli, le tasse e i diritti relativi, Torino (L. I. C. E.) 1936, 10,5 × 17,5 cm., 281 p., pretium L. it. 8,50.

Introduzione - Legislazione nazionale protettiva - Legislazione nazionale fiscale - Legislazione nazionale d'organizzazione - Legislazione penale e di pubblica sicurezza - Leggi e convenzioni per l'esazione dei diritti fiscali e d'autore - Legislazione internazionale - Indice analitico.

ÉTIENNE GILSON, *Le Réalisme Méthodique,* (Cours et Documents de philosophie) Paris (Téqui) s. a., 14 × 23 cm., 101 p., pretium: Fr. 10.

Le Réalisme Méthodique - Réalisme et Méthode - La spécificité de l'ordre philosophique - La Méthode réaliste - Vade mecum du débutant réaliste.

ARMANDUS GOUGNARD, *Tractatus de Poenitentia,* editio sexta, Mechliniae (Dessain) 1936, 15 × 23 cm., VIII-412 p.

Introductio - De virtute poenitentiae - De essentia sacramenti - De subiecto sacramenti seu de actibus poenitentis (De Contritione - De Confessione - De satisfactione) - De ministro sacramenti (De potestate ministri - De obligationibus ministri - De abusibus in confessione) - Indices.

Can. Carlo Grimaud, *La « Nostra » Messa.* La partecipazione dei fedeli al Sacrifizio dell'Altare, Firenze (Libreria Editrice Fiorentina) 1936, 13 × 19,5 cm., 221 p., pretium: L. it. 7.

Prefazione - La « mia » parte nel Sacerdozio di Cristo (Gesù Cristo Sacerdote - Il Cristiano membro del corpo mistico di Gesù - Il cristiano che offre e si sacrifica insieme col suo mistico Capo - La messa come offerta del Cristo mistico) - L'opera che compio celebrando la « mia » Messa (Che cosa è la « mia » Messa - La gloria di Dio - Il mio frutto spirituale - I profitti del Purgatorio) - I mezzi per ben celebrare la « mia » Messa (La preparazione - L'assistenza - La Comunione).

Benedictus Henricus Merkelbach, O. P., *Summa Theologiae Moralis.* 2 Vol. Editio altera, Paris (Desclée de Brouwer e C.ie) 1935, 15 × 22 cm., Vol. I: 786 p.; Vol. II: 1029 p.

Vol. I: Introductio generalis - De ultimo Fine seu de Beatitudine - De Actibus humanis in se (De Actibus humanis secundum esse materiale et psychologicum - De Actibus humanis secundum esse morale - De Actibus humanis secundum esse supernaturale et meritorium) - De Conscientia in generali - De Legibus in genere (De Lege secundum esse psychologicum - De Legibus quae regunt actus morales - De Legibus quae regunt actus supernaturales) - De peccatis in genere - (De peccato secundum se - De Causis peccatorum - De Effectibus peccatorum) - De Habitibus et Virtutibus in genere (De Habitibus in genere secundum esse psychologicum - De Habitibus secundum esse morale seu de Virtutibus acquisitis - De Habitibus secundum esse supernaturale seu de Virtutibus infusis) - De Fide divina (De Obiecto Fidei - De Actu Fidei - De Habitu Fidei - De vitiis et Peccatis Fidei oppositis - De Praecepto Fidei) - De Spe divina (De obiecto et Actu Spei - De Habitu et Subiecto Spei - De Peccatis Spei oppositis - De Praecepto Spei) - De divina Charitate (De Ipsa Charitate - De Obiecto Charitatis - De Actibus Charitatis - De Peccatis Charitati oppositis - De Praeceptis Charitatis) - Appendix: Excursus de philosophorum systematibus circa fundamentum et normam moralitatis - Indices.

Vol. II: De Virtute cardinali Prudentiae et de Virtutibus adnexis (De Ipsa Prudentia - De Virtutibus Prudentiae adnexis in efformatione conscientiae spectatis) - De virtute cardinali Iustitiae et virtutibus adnexis (De Iustitia in genere - De Iustitia Legali - De Iustitia commutativa - De Iustitia Distributiva - De Virtutibus Iustitiae adnexis - De Praeceptis Iustitiae) - De Virtute cardinali Fortitudinis et de Virtutibus adnexis (De Ipsa

Fortitudine - De Virtutibus Fortitudini adnexis) - De Virtute cardinali Temperantiae et de Virtutibus adnexis (De Temperantia in genere - De Abstinentia - De Sobrietate - De Castitate et Pudicitia - De Virtutibus Temperantiae adnexis) - Appendix: Excursus de moralistarum systematibus quoad dubium conscientiae solvendum - Index Alphabeticus - Index Analyticus.

Mgr. J. MILLOT, *La Mère de la Divine Grâce*. 32 lectures pour le Mois de Marie, Paris (Téqui) 1936, 12 × 19 cm., 238 p., pretium: Fr. 10.

Ce qu'est le mois de Marie - Marie est la Mère de la divine grâce - Marie a coopéré à l'acquisition de la grâce - Par sa coopération à l'acquisition de la grâce, la T. Sainte Vierge est devenue notre Souveraine - Par sa coopération à l'acquisition de la grâce, la T. Sainte Vierge est devenue notre mère - Par sa coopération à l'acquisition de la grâce, la T. S. Vierge est devenue notre médiatrice - Marie remplit les conditions d'une médiatrice parfaite - Par sa coopération à l'acquisition de la grâce, la T. S. Vierge est devenue la dispensatrice - Marie et l'Église - Marie et les Sociétés - Marie et les familles - Marie et les enfants - Marie et les humbles de la terre - Marie et la jeunesse - Marie et la femme chrétienne - Marie et l'homme chrétien - Marie et les affligés - Marie et les malades - Marie et les pécheurs - Marie et les mourants - Marie et les âmes du Purgatoire - Marie et les dangers - Notre-Dame du Perpétuel-Sécours - Prières.

Sac. GIUSEPPE ROSSI, *La Celebrazione del Matrimonio in Italia dopo il Concordato*. Breve studio ad uso del Clero e degli Ufficiali di Stato Civile. Torino (L. I. C. E. - Roberto Berruti e C.) 1934, 16 × 22 cm., XXXVII-264 p., pretium: L. it. 12.

Prefazione - Concordato stipolato fra la S. Sede e il Regno d'Italia, l'11 febbraio 1929 - Istruzione della S. Congregazione della disciplina dei Sacramenti - Legge dello Stato sul matrimonio - L'indiscutibile valore intrinseco dell'art. 34 del Concordato Lateranense (Principî di diritto pubblico ecclesiastico in ordine al matrimonio - Sviluppo storico del diritto matrimoniale in Italia) - L'articolo 34 del Concordato nelle sue applicazioni nella celebrazione del matrimonio religioso in Italia (Preparazione alla celebrazione del matrimonio - Pubblicazioni matrimoniali - La celebrazione del matrimonio - La registrazione del matrimonio).

S. TROMP, S. J., *Il Corpo mistico di Cristo e l'Azione Cattolica secondo S. Giovanni Crisostomo.* Traduzione italiana della Dott. Sofia Vanni della Università Catt. del S. Cuore, a cura della gioventù femminile di A. C. I., Milano (A. C. I. Gioventù Femminile) 1936, 13 × 19,5 cm., 147 p., pretium: L. it. 2,50.

Prefazione - Introduzione - La Chiesa, Corpo di Cristo (Il concetto giuridico della Chiesa - Il concetto mistico della Chiesa) - L'Azione Cattolica nel Corpo di Cristo (Nozioni preliminari sulla perfezione individuale e sociale - La vita dei laici e la perfezione apostolica del Corpo di Cristo - Universalità dell'apostolato laico - Spunti pratici) - Conclusione.

II - *Ex Periodicis*

Acçao Católica Portuguesa II (1936), fasc. 23 (mart.). — *** *Para novos rumos por novos métodos.* p. 361-6.

Bogoslovska Smotra XXIV (1936), fasc. 1. — Dr. VITOMIR JELIČIĆ, *De privilegio Paulino et privilegio fidei*, p. 1-25.

Chronique Sociale de France XLV (1936), fasc. 3 (mart.) — HENRI de LUBAC, *Le caractère Social du Dogme chrétien*, p. 167-92.

Id. XLV (1936), fasc 4 (april.). — HENRI de LUBAC, *Le caractère Social du Dogme chrétien.* p. 259-83.

La Cité Chrétienne X (1936), fasc. 226 (20 mart.). — Abbé JACQUES LECLERCQ, *Les effets de la vertu de force* (contin.), p. 293-4.

Collationes Namurcenses XXX (1936), fasc. 2 (mart.) — E. RANWEZ, *Moralitas actus externi*, p. 108-16. — E. VOOSEN, *Des Concessions dans les cimetières*, p. 117-24.

Collectanea Mechliniensia XXV (1936), fasc. 3 (mai.). — J. E. Card. van ROEY, *De Vocatione Sacerdotali secundum Encyclicam « Ad catholici sacerdotii »*, p. 225-38.

Il Diritto Ecclesiastico XLVII (1936), fasc. 1-2 (ian.-febr.) — Prof. CESARE BADII, *L'amministrazione delle Mense Vescovili in Italia*, p. 3-30. - PIO CIPROTTI, *Decorrenza dei supplementi di congrua e delle altre rendite beneficiarie*, p. 31-36.

Estudios eclesiasticos XV (1936), fasc. 2 (april.). — JOSÉ M. URÍA, S. J., *Circunstancias agravantes y atenuantes del delito*, p. 208-28.

Ius Pontificium XV (1935), fasc. 4 — (Prof. E. VOOSEN, *De Ordinarii loci vigilantia iuxta can. 1519*, p. 273-9. — Prof. V. BARTOCCETTI, *De fontibus Iuris missionarii exceptionalis*, p. 280-6. — Prof. W. ONCLIN, *De rectoribus Seminariorum* (contin.), p. 287-97. — Dr. A. BREMS, *De interpretatione authentica Codicis J. C. per Pont. Commissionem* (contin.), p. 298-313.

Il Monitore Ecclesiastico LXI (1936), fasc. 4 (april.) — S. ROMANI, *L'antico diritto consuetudinario e il C. J. C.*, p. 102-6. — Don SALVATORE FARRUGIA, *De effectibus relate ad dispensatiotionem*, p. 106-12. — P. GREGORIO DA VILLA DI VILLA, M. C., *Messa propria votiva « Summi et Aeterni Jesu Christi Sacerdotis » e il nuovo « Commune Confessorum Sacerdotum »*, p. 121-3.

Perfice Munus ! XI (1936), (febr.) — *** *Per i Prefetti nei Seminari*, p. 49. — Mons. ERNESTO RUFFINI, *L'importanza dello studio per il clero*, p. 50-4.

Id. XI (1936), (mart.) — Sac. GIUSEPPE ROSSI, *La Costituzione « Quae divinitus » della Sacra Penitenzieria Apostolica*, p. 149-52.

Palestra del Clero XV (1936), vol. I, fasc. 9 (20 mart.) — Mons. BUTTIGNONI, *Matrimonium ratum et non consummatum*, p. 193-6.

Id. XV (1936), vol. I, fasc. 12 (20 april.) — Sac. A. MANCINI S. S., *Abusi*, p. 266-7.

Id. XV (1936), vol. I, fasc. 13 (1 maii). — ANASTASIO FILOCALO, *L'ignoranza delle pene ecclesiastiche*, p. 296-8.

Pastor Bonus XLVI (1936), fasc. 12 (mart.) — Prof. Dr. JOHANN LENZ, *Papst Pius XI über die Priesterseminare. Aus dem Rundschreiben über das katholische Priestertum*, p. 369-74.

Rassegna di morale e Diritto II (1936), fasc. 1 (mart.) — Dott. X. Y., *Lineamenti di antropologia giuridica e morale: L'Uomo com'è?* p. 3-8. — Avv. GIAMBATTISTA MIGLIORI, *La moralità della professione dell'avvocatura*, p. 18-36. — Prof. GIUSEPPE BUONOCORE, *Della intangibilità del sacro patrimonio* (finis), p. 64-67. — Sac. Dott. EMIDIO DE SANCTIS, *Se il Vicario Generale possa amministrare la giustizia*, p. 68-74.

The Clergy Review XI (1936), fasc. 5 (mai.) — J. MURPHY, S. J., *The Development od Devotion to the Blessed Sacrament*, p. 353-62. — Count GEORGE BENNIGSEN, *The Byzantine Liturgy of St. John Chrysostom as Compared With the Roman Mass*, p. 363-71. — ESNEST GRAF, O. S. B., *Prayers Before and After Mass*, p. 381-7.

The Homiletik and Pastoral Review XXXVI (1936), fasc. 7 (april.), — STANISLAUS WOYWOD, O. F. M., LL. B., *Penal Law of*

the Code : Ecclesiastical Superiors Vested with Coercive Power, p. 723-32.

Id. XXXVI (1936), fasc. 8 (maii) — J. ARTHUR M. RICHEY, *Divine Fondation for Nullifications,* p. 804-13. — STANISLAUS WOYWOD, O. F. M., LL. B., *Penal Law of the Code : Requisites for Incurring the Penalty of the Law,* p. 838-47.

Revue Ecclésiastique de Liége XXVII (1936), fasc. 5 (mart.) — G. SIMENON, *Praedicatio Verbi Dei,* p. 330-2. — J. VIEUJEAN, *Dogmatique et morale,* p. 333-8. — A. MEUNIER, *L'antipatriotisme,* p. 338-43.

Rivista del Diritto Matrimoniale italiano III (1936), fasc. 3 (mart.) — Dott. U. BASSANO, *La dispensa da matrimonio rato e non consumato e i poteri del curatore dell'assente,* p. 103-8. — Dott. LUIGI LEMBO, *È legittimo il figlio nato da donna dichiarata impotente con sentenza di nullità di matrimonio?* p. 109-10.

Sal Terrae XXV (1936), fasc. 4 (april.) — MARCELLINO GONZALEZ, *Naturaleza de la Teologia Pastoral,* p. 321-4.

Nederlandsche Katholieke Stemmen XXXVI (1936), fasc. 4 (april.) — Dr. W. MULDER, *De nieuwe Duitsche huwelijkswetgeving,* p. 108 17. — Dr. H. BEIJERSBERGEN, S. J., *Practische huwelijkscasus,* p. 122-5.

Schönere Zukunft XI (1936), fasc. 25 (22 mart.) — Prof. Dr. ENGELBERT KREBS, *Lebenswerte des christlichen Dogmas,* p. 649-50.

Id. XI (1936), fasc. 26 (29 mart.) — Prof. Dr. ENGELBERT KREBS, *Lebenswerte des christlichen Dogmas,* p. 675-6.

Id. XI (1936), fasc. 28 (12 april.) — Prof. Dr. WILHELM SCHMIDT, S. V. D., *Eindrücke von einer Ostasienreise,* p. 729-31.

Id. XI (1936), fasc. 30 (26 april.) — Dr. FRANZ TRAUTENAU, *Statistik der Nächstenliebe. In der grossen Welt. In Wien,* p. 782-5. — Dr. *** *Jesuitenmoral im Bereich der Fürstenhöfe des Absolutismus,* p. 789-91.

Id. XI (1936), fasc. 32 (10 maii) — JOSÉ de LABURU, S. J., *Falscher Eifer im religiösen Kampf,* p. 835-6.

PARS ALTERA

MONUMENTA

Ob abundantem materiae copiam Epistulam Encyclicam Vigilanti Cura *SS. Domini de cinematographicis spectaculis, annotationibus ornatam, necnon ea quae rem missiologicam spectant, quae p. 88 huius Tomi annuntiavimus, nonnisi proximo divulgabimus fasciculo.*

40 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Allocutio diei 31 maii 1936

DE ACTIONE CATHOLICA

(ex notulis apud *L'Osservatore Romano* diei 1-2 iunii 1936)

Die 31 Maii, in festivitate Pentecostes, Romanus Pontifex, octagesimum ineuns feliciter annum, allocutionem habuit ad innumeros archiepiscopos, episcopos, praelatos, assistentes ecclesiasticos, laicos, repraesentantes Actionem Catholicam viginti quinque nationum.

Nomine omnium Beatissimum Patrem allocutus erat Exc.mus et Rev.mus Dominus Iosephus Pizzardo Archiepiscopus Niceae et Assistens Ecclesiasticus Generalis totius Actionis Catholicae Italicae, tum alia gesta egregia Pii Pp. XI commemorans, tum praecipue curam Actionis Catholicae, ab ipso Pontifice hierarchici apostolatus participationem nuncupatae. Cum autem Archiepiscopus paternam Suae Sanctitatis exhortationem,

[40]

opem, benedictionem, efflagitasset, quo efficacius Actionis Catholicae sodales proelium cum neo-paganismo huius temporis inirent, R. P. hunc in modum lingua latina respondit, ex ipsa petitione sumens orationis suae argumentum.

I — *Exordium*

Grandis visio et iucundissimum spectaculum conventus repraesentantium universam A. C.

Grandis visio, Venerabiles in apostolatu Fratres et dilectissimi filii, grandis visio et jucundissimum spectaculum: tot lectissimi filii undique ecce ad Nos venerunt, neque hi inferioris sunt ordinis, sed genuini repraesentantes omnium illorum inter filios Nostros omnes dilectos dilectissimos, qui in Actione Catholica tam strenuam operam navant. Dilectissimi filii, quae videmus, quae cernimus, quae miramur, tam pulcra sunt, tam alta, tam jucunda ut verba exaequare in narrando ea minime valeant. Unum tantum apostolicum verbum animi nostri sensus in hoc amplissimo Conventu digne exprimere potest: « Os nostrum patet ad vos,... cor nostrum dilatatum est ». Et quid vobis dicemus, quid vos ipsi in tam pio et religioso silentio a Patre vestro expectare videmini? Quid dicemus quandoquidem interpres vester tam electus, tam fidelis: vester et noster carissimus Archiepiscopus Josephus Pizzardo plene et bene omnia enarravit quae manus Domini infinite benigna ac benefica Pontificatus Nostri tempore cumulavit et omnia exposuit quae in hoc vestro adventu, in hoc permagno Actionis Catholicae ex toto orbe coetu meminisse oportebat? Necessitates, errores, pericula quae praesenti aevo societati humanae gravissime incumbunt, omnia ab eo relata sunt. At tria interpres vester, vestro nomine a Nobis expostulavit: verbum *exhortationis;* verbum *opis et auxilii*; verbum *benedictionis;* exhortationem, opem, benedictionem.

Argumentum et divisio orationis desumitur ex triplici petitione Archiepiscopi.

II — *Verbum exhortationis*

Volumus igitur, dilectissimi filii, volumus tam propitiam carpere horam ut paternam quam exoptatis exhortationem vobis imo ex animo tribuamus.

Exhortatio generalis ad unitatem.

Exhortatio Nostra ante omnia est generalis: exhortatio, quam omni tempore et loco volumus, desideramus vos comitari ac vestris mentibus et cordibus adesse. Haec exhortatio generalis imprimis spectat ad unionem tuendam, iuxta sollemne et memorandum verbum Divini Redemptoris nostri ac Regis,

cui tota Actio Catholica militat et laborat: *ut sint unum*, quia ex unione virtus oritur et potentia. *Ut sint unum sicut et nos...* Unio haec ergo sit sancta, in similitudinem divinae unitatis; talis enim est in desiderio et in prece Jesu Christi, Regis nostri; haec ante omnia valeat, vivat, floreat, atque uberes fructus semper producat.

Unio caritatis, cogitationis, operationis, disciplinae Hierarchia duce.

Diximus: *ante* omnia; dicimus: *post* omnia; dicimus: *super* omnia: omni pretio. Unio, unio, unio. Sit mutua unio in Corde Christi omnium sub Actionis catholicae signis militantium; unio sub ducibus idest sub episcopis et sacerdotibus, videlicet sub iis, qui ministerii apostolici in diversa mensura varioque gradu sunt participes. Unio caritatis; unio cogitationis; unio operationis; unio sanctae disciplinae.

Episcopatus continuatio primigeni apostolatus, ab ipso Christo directe manantis.

A. C. participatio fidelium in apostolatu hierarchico. Evolvitur definitio.

Maxima unio, unio altissima, unio plena disciplinae et mentis, ita ut omnia colligantur et ducantur ab Episcopatu, ab hac continuatione perennique prosecutione primigeni apostolatus, qui ab ipso Domino Jesu Christo directe manavit: nam Actio Catholica non est, non vult esse, non debet esse nisi participatio, collaboratio fidelium in apostolatu hierarchico: idest coordinatio, subordinatio illi apostolatui, qui ab ipso divino Redemptore constitutus est veluti essentialis Ecclesiae structura: hae enamque coordinatio et subordinatio ad essentiam ipsam Actionis Catholicae pertinent. Talis invenitur Actio Catholica primae evangelizationis tempore.

Exhortatio generalis ad vigilantiam contra falsos magistros et prophetas.

Unio igitur ante omnia: ecce senescentis Patris vestri exhortatio. Huic alia autem accedit exhortatio, itidem generalis, quae ad vigilantiam spectat, ne in errorem, dilectissimi filii, inducamini. Haud desunt enim etiam inter catholicos falsi magistri et falsi prophetae qui, variis rationibus et specie, uti dicunt, maioris boni, mala cogitant et peiora praeparant, statuentes nescimus quasdam compositiones inter veritatem et errorem, inter sanctitatem et peccatum, inter legem saeculi et legem Dei, inter verum et unicum Christianismum, qualem Christus ipse intulit et pro quo vitam obtulit, et aliam religionem pseudo-christianam.

Monita R. P. contra periculum communismi a diario catholico male exposita.

Dilectissimi filii: vigilate et orate: — haec duo verba, quae simul compegimus, ipse Dominus coniunxit — vigilate et orate, quia saepe error subtiliter, subdole, insidiose irrepit, ut patet etiam a novissimo exemplo. Sciunt omnes — possumus tuto asserere — sciunt omnes quod aliquot abhinc dies exposuimus de periculis quae toti societati civili — hoc etiam expresse elocuti sumus: toti societati civili -- incumbunt ex communismo, ubique grassante, ubique serpente, ubique insidiante. Non defuit

diarium impressum, diarium quod catholici nominis honorem sibi attribuit, diarium quod sententiam nostram ita retulit, quasi non judicaverimus, vel obliti simus, vel non tam gravia censuerimus communismi pericula in religionem: prout existere possit aut possibilis videatur aliqua compositio inter veritatem sanctae catholicae religionis et hanc omnium humanorum divinorumque jurium negationem, quae est in communismo.

Nulla compossibilitas veritatis catholicae et communismi.

Vigilate igitur et orate, dilectissimi, ne scripta quae innumera typis eduntur et disseminantur vos lectores imparatos et inermes deprehendant: magnum est periculum contra veritatem: vigilate et orate, vos praesertim, perdilecti filii Actioni Catholicae aggregati.

Vigilantia contra errores, innumeris disseminatos foliis et scriptis.

Peculiari gaudio afficimur, quia adest aliquid novi, aliquid attentione et consideratione animorum vestrorum dignissimum. Advocat enim ad se oculos mentesque vestras Expositio scriptorum arte impressionis editorum e toto catholico orbe; l'*Esposizione*, ut italico sermone rem exprimunt, *mondiale della stampa cattolica:* magna potentia et compluribus vera revelatio. In aperto patet quod Actioni Catholicae validissimum est auxilium, aedificationis instrumentum praecipuum. Laeta visio, quae e recordatione et memoria vestra numquam decidere debet. Catholicae scriptioni (alla Stampa cattolica) apte quadrat, perfecte convenit vox illa quae Expositioni tam feliciter praeposita est: *Arma veritatis.* Vos qui sub Actionis Catholicae vexillis militatis, id vobis officio et honori ducere debetis, ut, ubicumque opera vestra explicatur, haec arma veritatis vestrum habeant adiumentum, vestram curam, navitatem, diligentiam, vestrum generosae fidelitatis tributum. Haec est Nostra ad vos peculiaris exhortatio.

Peculiaris exhortatio ad apostolatum preli, occasione expositionis Vaticanae.

Prelum A. C. validissimum auxilium; instrumentum praecipuum.

III — *Verba auxilii*

Interpres vester, vestro nomine, etiam opem a Nobis petivit. Quam opem dilecti filii a senescente Patre efflagitant? Aliud esse nequit auxilium princeps, quod vos exquiritis, Nos impertimus. Cum populus Dei, cum milites populi Dei pro libertatis et vitae viribus strenue pugnabant, Moyses senex orabat; elevatis ad coelum palmis, pro ducibus et pro populo orabat, et certantes facilem referebant triumphum. Perdilecti filii, opem huiusmodi damus vobis et pro vobis. Hanc opem semper habuistis, habetis, habebitis: Nostra in dilectione, in oratione Nostra Actio Catholica peculiarem locum tenet et servat. Pro Actione Catholica et pro iis omnibus, qui in eius campo et finibus vivunt, proeliantur, operantur, semper Deo preces

Auxilium Pontificis eius oratio.

admovemus et vota. Haec est ops Nostra. Hac sollemni hora, qua filialis vestrae obsequium accipimus, scitote ac nuntium quocumque ferte Christianorum Patrem pro cunctis Actioni Catholicae aggregatis orare et oraturum esse, et quidem assidue, ubertim, copiose, usque dum divinae gratiae dignatio dederit Sibi vigorem et vitam.

Pro A. C. orare R. P. non desinet.

IV — *Verba Benedictionis*

Demum, dilecti filii, Benedictionem postulastis. Omnes benedictiones Vobis tribuimus, ac primo eas, quas singulari desiderio cupitis. Benedicimus prae cunctis Episcopis, fratribus Nostris in apostolatu. Episcopi sunt successores Apostolorum, qui a Redemptore nostro mandatum acceperunt. Evangelii annuntiandi ubicumque terrarum: *Ite, docete omnes gentes.* Iidem duces sunt potestate propria insigniti. Iis in labore Actio Catholica semper subici debet, ne suam essendi formam, si licet philosophico verbo uti, amittat. Meminisse semper oportet illud praeclarum et sanum Apostolici alicuius Patris verbum: *Nil sine Episcopo.*

Benedicitur Episcopis.

Subiectio episcopis forma essendi A. C.

Benedicimus insuper magno corde et animo volenti praelatis et sacerdotibus, qui in Actione Catholica operam navant et cotidianis laboribus hunc quoque arduum, at egregium laborem adiungunt. Benedicimus laicis omnibus, qui Actioni Catholicae nomina dederunt. Horum praecursores et praenuntii fuerunt illi viri et mulieres, qui Apostolos in serendo Evangelii semine adiuvabant et quorum nomina cum laude et honore sacer textus aliquando praedicat: *Lucas medicus carissimus... Quae mecum laboraverunt in Evangelio.*

Benedicitur praelatis et sacerdotibus, in A. C. operam navantibus.

Benedicitur laicis.

Benedicimus igitur cunctis Actionis Catholicae agminibus, universis, qui ad eam pertinent, qui eam studio colunt et propagare et pervulgare contendunt. Magna haec est familia ubique gentium diffusa, familia Nobis longe carissima.

Benedictio totius A. C.

At demum imo ex corde benedicimus vobis et singulis vestris domibus secundum intentiones omnes, quas nunc animo concipitis. Benedicimus inter propinquos vestros praesertim senibus, qui sunt Nostri aequales natu et ipsius devexae aetatis necessitatibus tot indigent rebus et altiorem affectum merentur. Benedicimus etiam effusione amore candidis pueris, quibus adridet longa spes et vita: sicut ii dilectiores sunt benignissimo Salvatori, ita et Nobis, qui Eius in terris vicem gerimus.

Benedictio generalis.

Benedictio Nostra descendat super vos atque universos, qui sermone complexi sumus, et maneat semper.

Annotationes

In oratione S. Pontificis duo adsunt, de quibus breviter dicam.

Primum condemnatio communismi alterum naturae A. C. fusior explicatio.

Condemnatur communismus ratione sui et per se, non tantum ratione pravitatis extrinsecae et per accidens. Etenim non tantum reicitur communismus, quia communistae sunt anticlericales et antireligiosi, sed quia nulla compositio possibilis est inter veritatem catholicam et omnium humanorum divinorumque negationem, quae continetur in doctrina communistica. Diarium, de quo Pontifex, est diarium gallicum *l' Aube*, quod quaedam minus recte hac in re dixerat. Post verba autem papalia, ea quae malae interpretationis ansam dederant, ab ipso diario, prout spiritu gaudet Catholico, nobiliter retractata sunt. Cf. *L'Osservatore Romano*, 14 Iun. 1936, pag. 1. Alia documenta ecclesiastica contra Communismum vide in *La Documentation Catholique*, 13 Iun. 1936.

Quod ad naturam A. C. spectat, A. C. definitur: participatio, collaboratio fidelium in apostolatu hierarchico. Distinguitur a. R. P. triplex apostolatus. Primus est apostolatus duodecim apostolorum, primigenus apostolatus, qui directe a Christo manat. Alter apostolatus est Hierarchiae Episcoporum et Sacerdotum, qui apostolatus est continuatio et prosecutio perennis apostolatus primigeni. Nam Episcopi sunt successores Apostolorum, qui a Christo mandatum apostolicum acceperunt. Non autem eadem mensura et eodem gradu Episcopi et Sacerdotes missionem Christi participant. Soli Episcopi sunt, qui potestate propria, ut Christi Vicarii, suas quis-

que regunt Ecclesias. Quia vero Apostolatus Hierarchiae, ut directa continuatio apostolatus primigeni, immediate procedit ex mandato Christi, est quasi essentialis Ecclesiae visibilis structura. Tertius apostolatus est apostolatus laicorum, ab apostolatu Hierarchiae distinctus, ut participans a participato. Essentia huius tertii apostolatus est « in coordinatione et subordinatione apostolatui Hierarchico ». Verba haec iam adhibita erant in epistola Card. Secr. Status, directa 30 Mart. 1930 ad praesidem generalem A. C. Italicae : « L'A. C., come è per natura sua coordinata e subordinata alla Gerarchia, così da questa riceve il mandato e le direttive ». Quid sit subordinatio Hierarchiae in aperto est. Actio Catholica subicitur Hierarchiae, et haec eius subiectio pertinet ad eius essendi formam. Non statim vero patet, quid sit coordinatio Hierarchiae. Verba haec sibi volunt. Quia A. C. est cooperatio cum apostolatu Hierarchiae, Hierarchia vero agmen est organizatum, A. C. natura sua in ipsa sua organizatione modo parallelo procedere debet cum organizatione Hierarchiae, seu, ut verbis pontificiis utar: A. C. intellegi nequit nisi in quadro Hierarchiae. Cf. numerum praecedentem *Periodicorum* pag. 106*-108*.

Ut finem faciam: in benedictione nominantur primo loco Episcopi, id est Episcopi residentiales; deinde Sacerdotes et Praelati, qui in A. C. operam navant. Sacerdotes isti primo loco sunt Assistentes Ecclesiastici ; additur Praelati, quia nonnulli Assistentes Generales ornati sunt praelatura ecclesiastica.

SEB. TROMP, S. I.

41 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sacrum Consistorium habitum die 15 iun. 1936

(*AAS* XXVIII (1936) p. 217 ss.)

I. — ALLOCUTIO SS.MI DOMINI NOSTRI CREATIO ET PUBLICATIO PATRUM CARDINALIUM

VENERABILES FRATRES

Prima causa consistorii: traditio galeri rubri.

Iterum vos, post breve temporis intervallum, hoc in amplissimo consessu convocatos habemus; ac primum quidem ea de causa sacrum coëgimus Collegium vestrum, ut eminentissimis viris quattuor, quos in superiore Consistorio Romanae Purpurae maiestate auctos publicavimus, alterum eiusdem dignitatis insigne, rubrum nempe galerum, sollemni, ut assolet, more tradamus. Libenti equidem animo in publico Consistorio, proxime agendo, hoc faciemus, quandoquidem exploratae Nobis sunt praeclarae, quibus iidem enitent, animi laudes; imprimisque prudentia, sagacitas, rerumque gerendarum usus, quibus creditis sibi legationibus in commune Ecclesiae Civitatumque profectum perfuncti sunt.

Altera: electio novorum Cardinalium.

Ac praeterea recentes luctus, quos Apostolica Sedes in Ordine vestro perpessa est, quibusque Nos tam vehementer affecti sumus, Nostrum inducunt animum, ut novos vobis honoratissimos conlegas adsciscamus. Tales, eos selegimus, qui non tam impertita sibi eximia dignitate honestari, quam Catholicae Ecclesiae Senatum amplius decorare ipsimet sua virtute videantur.

De temporis condicione iterum loqui S. Pater non intendit.

At rerum condiciones temporumque, quibus vivimus, adiuncta forsitan exspectationem vestram ita excitant, ut, antequam eorum nomina publice vobis riteque renuntiemus, de fastis nefastisque, quibus Ecclesia civilesque communitates commoveantur, verba a Nobis iterum expetatis. Veruntamen, quae haud ita pridem, non semel occasione data, hisce de rebus protulimus, cum praesertim catholicam ex paene omnibus Nationibus diariorum ephemeridumque expositionem in Vaticanis Aedibus auspicati sumus; haec, dicimus, Nobis suadent ut non diutius vos in praesentia remoremur.

Gaudium S. Patris de votis, occasione

Cupimus potius gratam voluntatem Nostram, ob tot tantasque, nuper acceptas, pietatis significationes, publice, vobis co-

ram, profiteri. Octogesimo scilicet aetatis Nostrae ineunte anno, non modo christiana plebs sacrorumque Antistites, sed ex omni etiam ordine cives, primoresque Civitatum non pauci, omina Nobis votaque detulere humanitate egregia. Eorum praesertim suavis subit recordatio animum, qui, quasi totius Catholicae Actionis agminum personam gerentes, huc, in communis Patris domum, ex omnibus gentibus convenerunt, ut suam ipsorum pietatem, animorum coniunctionem, actuosamque apostolatus navitatem etiam atque etiam testarentur. Nihil profecto Nobis iidem poterant afferre iucundius, nihil gratius; eo vel magis quod in laetissimo eiusmodi integrae volentisque iuventutis proborumque provectae aetatis hominum spectaculo, veluti fructus cernebamus salutiferos indefaticabilis illius studii, quo ubique terrarum sacri Pastores ceterique e clero sedulam Nobis praestant constantemque operam. Cuius quidem sollertissimi studii documento sunt cum increbrescentia cotidie harum sodalitatum incrementa, tum provecta ab iisdem laudabilia omne genus incepta, tum denique frequentes ubique gentium habiti conventus; in quibus nominatim illum memorare placet, qui, haud ita multo ante, Lutetiae Parisiorum, quinquagesimo exeunte anno ex quo catholicae iuventutis societas in Gallia constituta fuit, ingenti cum hominum concursu, effusis gaudiis, sanctissimisque initis propositis, celebratus est; itemque illum quem superiore anno, non minore cum frequentia salutarique fructu, catholici iuvenes opifices Bruxellis habuerunt.

incaepti octogesimi anni, acceptis.

Uberrimi fructus Actionis Catholicae.

Quibus in laetabilibus rebus benignissimum caelestis Numinis consilium cernere libet; quo enim difficiliora volvuntur tempora, quo acrius videntur Ecclesiae osores in christianum nomen inferre bellum, eo uberiora impertiuntur Nobis solacia, auxilia, pietatisque testimonia.

Quemadmodum igitur, per hanc rerum faustitatem, christifideles omnes, ex quibusvis terrarum orbis partibus, miranda eiusmodi animorum consensione, communi Patri gratulabundi coniunguntur; ita iidem, rogamus, una Nobiscum immortales grates Deo Optimo Maximo referant; ab eoque precando contendant, ut ad eius gloriam, hominumque salutem, pacem prosperitatemque Nobis liceat indefessam operam praestare Nostram, usque dum mortalis huius vitae usura fruemur.

Deo gratias exhibeamus.

Volumus praeterea, antequam dicendi finem facimus, gratam itidem voluntatem Nostram iis etiam, ex quovis ordine civibus publicisque magistratibus, significare vel iterare potius, qui multimodis memoratam diariorum ephemeridumque expositionem sua ope consilioque efficiendam iuvarunt; iterare

Laus eorum qui operam praestarunt in expositione preli catholici.

dicimus, quandoquidem id opportunitate data iam fecimus, ac, vel recens, nova licuit aperire inibi conclavia, novis instructa exhibendarum rerum documentis. Ex hisce veritatis armis, quae Catholicae Ecclesiae eiusque inerranti Magistro devoventur, non modo ii, qui rem invisuri sunt, sed ii potissimum, quibus honori officioque est, suis editis scriptis, christianam doctrinam explanare atque tueri, non parum utilitatis profecto haurient.

II — CREATIO ET PUBLICATIO PATRUM CARDINALIUM

Iamque nihil aliud reliquum est, Venerabiles Fratres, nisi ut in Sacrum Collegium vestrum, ut diximus, lectissimos viros duos cooptemus, qui doctrina ceterisque animi dotibus optime se suamque operam Nobis et Apostolicae Sedi probaverunt.

Nominatio novorum Cardinalium.

Hi sunt:

Ioannes Mercati, Apostolicae Bibliothecae Vaticanae Praefectus;

Eugenius Tisserant, eiusdem Apostolicae Bibliothecae Pro-praefectus.

Quid vobis videtur?

Publicatio et creatio eorundem.

Itaque auctoritate Dei omnipotentis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,

Ex Ordine Diaconorum:

Ioannem Mercati,
Eugenium Tisserant.

Dispensationes, derogationes et clausulae.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Exinde SS. D. processit ad viduatis Ecclesiis consulendum; provisiones infra inveniuntur, inter Acta Summatim Relata.

42 — SS. D. N. Pius Pp. XI

Sermo habitus in Arce Gandulphi die 14 sept. 1936 ad Hispaniae profugos

(*AAS* XXVIII (1936) p. 373 ss.)

En pulcherrima plenaque prudentiae verba quae SS. Pater adstantibus Episcopis, sacerdotibus, religiosis et fidelibus ex Hispania profugis in Arce Gandulphi fecit die praedicto.

Crebras adiecimus notas marginales, quae linguae italicae expertes ad textum intelligendum iam iuvabunt.

Cor SS Patris aerumnosis laetisque abundat sensibus.

La vostra presenza, dilettissimi figli, profughi dalla vostra e Nostra cara e tanto tribolata Spagna, Ci desta in cuore un tumulto di così contrastanti ed opposti sentimenti, che è assolutamente impossibile dar loro adeguata contemporanea espressione. Dovremmo ad un tempo piangere per l'intimo amarissimo cordoglio che Ci affligge, dovremmo esultare per la soave e fiera gioia che Ci consola ed esalta.

Ex magna venerunt tribulatione;

Siete qui, dilettissimi figli, a dirCi la grande tribolazione dalla quale venite, (1) tribolazione della quale portate i segni e le tracce visibili nelle vostre persone e nelle cose vostre, segni e tracce della grande battaglia di patimenti che avete sostenuto, fatti voi stessi spettacolo degli occhi Nostri e del mondo intero; (2) voi derubati e spogliati di tutto, voi cacciati e cercati a morte nelle città e nei villaggi, nelle abitazioni degli uomini e nelle solitudini dei monti, proprio come vedeva i primi martiri l'Apostolo, ammirandoli ed esaltandosi di vederli fino a lanciare al mondo quella fiera e magnifica parola che lo proclama indegno di averli: *quibus dignus non erat mundus.* (3)

omnibus spectaculum facti sunt,

ut primitivi martyres, quibus dignus non erat mundus;

Gaudentes, quod digni habiti sint pati pro Iesu nomine.

Venite a dirci il vostro gaudio d'essere stati ritenuti degni, come i primi Apostoli, di soffrire *pro nomine Iesu;* (4) la vostra beatitudine, esaltata già dal primo Papa, coperti di obbrobrii nel nome di Gesù, e perchè cristiani; (5) che direbbe Egli, che possiamo Noi dire per vostro encomio, venerandi

(1) *Apoc.*, VII, 14.
(2) *Hebr.*, X, 33.
(3) *Hebr.*, XI, 38.
(4) *Act.*, V, 41.
(5) *I Petr.*, IV, 14.

Vescovi e Sacerdoti, perseguitati ed offesi proprio *ut Ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei?* (1)

Grande spectaculum virtutes illae heroicae, verumque martyrium,

E' tutto uno splendore di cristiane e sacerdotali virtù, di eroismi e di martirii; martirii veri in tutto il sacro e glorioso significato della parola, fino al sacrificio delle vite più innocenti, di vecchiaie venerande, di giovinezze in primo fiore, fino alla intrepida generosità che chiede un posto sul carro e colle vittime che il carnefice attende.

quod omnes, infideles quoque, vera admiratione prosequuntur;

È in questa luce sovrumana che Noi vi vediamo, e vi diciamo la sacra e venerabonda ammirazione di tutti quelli che anche non possedendo la nostra Fede, dilettissimi figli, nella quale sta la segreta divina virtù che quella luce accende ed alimenta da venti secoli, conservano senso di umana dignità e grandezza. Ammirazione di tutti, dilettissimi figli, ma particolarmente Nostra, di Noi che, in grazia della universale paternità, dal supremo Padre di tutti partecipata, possiamo e dobbiamo applicarCi la bella divina parola: *filius sapiens laetificat patrem;* (2) che abbracciando collo sguardo e col cuore voi e tutti i vostri compagni di tribolazione e di martirio, possiamo e dobbiamo dirvi, come l'Apostolo ai vostri primi predecessori in gloria di martirio: *gaudio mio e corona mia;* (3) nè soltanto mia, ma di Dio stesso che, secondo la lieta e gloriosa visione del grande Profeta, con la grazia Sua si è fatto di Sua mano di ciascuno di Voi una corona di gloria ed un diadema di regno: *et eris corona gloriae in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* (4)

speciatim vero ipse SS. Pater qui gloriatur in tanta virtute filiorum,

qui et ipso Deo sunt corona gloriae.

Martyrium eorum magnifica reparatio divinae Maiestati pro tantis offensis oblata.

Che magnifica riparazione cotesta che voi, dilettissimi figli, avete offerto e venite ancora offrendo alla divina Maestà, in tante parti ed anche in Spagna da tanti disconosciuta, denegata, blasfemata, respinta ed in mille orrendi modi offesa. Quanto opportuna, provvidenziale e a Dio gradita la vostra riparazione di fedeltà, di onore e di gloria, in questi nostri giorni ai quali era riserbato di udire il nuovo orrendo grido: senza Dio, contro Dio...

Haec omnia tamen memoriam terribilis Hispaniae devastationis delere non possunt.

Ma tutti questi splendori e riflessi di eroismi e di gloria, che voi, dilettissimi figli, Ci presentate e richiamate, per fatale necessità Ci fanno tanto più chiaramente vedere come in una grande apocalittica visione le devastazioni, le stragi, le profa-

(1) *I ad Cor.*, IV, I.
(2) *Prov.*, XV, 20.
(3) *Philip*, IV, 1.
(4) *Is.*, 62, 3.

nazioni, gli scempi dei quali voi, dilettissimi figli, siete stati e testimoni e vittime.

Omnia religione, cultura et arte sacra ita violata atque deperdita,

Quanto vi è di più umanamente umano e di più divinamente divino, persone sacre e sacre cose ed istituzioni; tesori inestimabili ed insurrogabili di fede e di pietà cristiana insieme che di civiltà e d'arte; cimeli preziosissimi, reliquie santissime; dignità, santità, benefica attività di vite interamente consacrate alla pietà, alla scienza ed alla carità; altissimi sacri Gerarchi, Vescovi e Sacerdoti, Vergini sacre, laici d'ogni classe e condizione, venerande canizie, primi fiori di vita e l'istesso sacro e solenne silenzio delle tombe, tutto venne assalito, manomesso, distrutto nei più villani e barbari modi, nello sfrenamento tumultuario, non più visto, di forze selvagge e crudeli tanto da crederle incompossibili, non diciamo con la umana dignità ma con la stessa umana natura, anche la più miserabile e più in basso caduta.

ut vix componi possit cum dignitate et ipsa natura humana.

Sed supra omnia horrendum fratricidium, bellumque intestinum.

E al di sopra di quel tumulto e di quel cozzo di sfrenate violenze, attraverso gli incendi e le stragi, una voce porta al mondo la novella veramente orrenda: « i fratelli hanno ucciso i fratelli... ». La guerra civile, la guerra fra i figli dello stesso paese, dello stesso popolo, della stessa madre patria. Dio mio! La guerra è sempre — sempre anche nelle meno tristi ipotesi — così tremenda e inumana cosa: l'uomo che cerca l'uomo per ucciderlo, per ucciderne il maggior numero, per danneggiare lui e le cose sue con mezzi sempre più potenti e micidiali... che dire quando la guerra è tra fratelli? Fu ben detto che il sangue di un uomo solo sparso per mano del suo fratello è troppo per tutti i secoli e per tutta la terra; (1) che dire in presenza delle stragi fraterne che ancora continuamente si annunciano?

Bellum semper tremendum in se, sed quid dicendum de bello inter filios unius Patriae;

quid de bello inter filios unius Ecclesiae!

E c'è una fraternità che è infinitamente più sacra e più preziosa della fraternità umana e patria; è quella che unisce nella fratellanza di Cristo Redentore, nella figliuolanza della Cattolica Chiesa, che di Cristo stesso è il Corpo Mistico, il tesoro plenario di tutti i beneficî della Redenzione. E' appunto questa sublime fraternità, che ha fatto la Spagna Cristiana, è questa che ebbe ed ha ancora maggiormente a soffrire nelle presenti sciagure. Si direbbe che una satanica preparazione ha riaccesa, e più viva, nella vicina Spagna quella fiamma di odio e di più feroce persecuzione confessatamente riserbata

Ecclesia maxime in filiis suis patitur.

(1) A. MANZONI, *Osservazioni sulla morale cattolica*, cap. VII, dopo l'inizio.

alla Chiesa ed alla Religione Cattolica, come l'unico vero ostacolo al prorompere di quelle forze che hanno già dato saggio e misura di sè nel conato per la sovversione di tutti gli ordini, dalla Russia alla Cina, dal Messico al Sud-America, prove e preparazioni, precedute, accompagnate incessantemente da una universale, assidua, abilissima propaganda per la conquista del mondo intero a quelle assurde e disastrose ideologie, che, dopo aver sedotto e fermentate le masse, hanno per fine di armarle e lanciarle contro ogni umana e divina istituzione, ciò che per fatale necessità non mancherà di avvenire, e nelle peggiori condizioni e proporzioni, se per falsi calcoli ed interessi, per rovinose rivalità, per egoistica ricerca dei singolari vantaggi, tutti quelli che debbono non corrono ai ripari, forse già di troppo ritardati. Partecipi di quella universale, divina paternità, che abbraccia tutte le anime da Dio create, dal sangue di un Dio redente, e tutte a Dio destinate, paternità che tanti e così sublimi vincoli e doveri aggiunge a quelli della umana solidarietà, non possiamo a meno di esprimere ancora una volta, in questa adunata, che la vostra presenza, dilettissimi figli, rende tanto solenne e commovente, nella sacra sublimità delle vostre sofferenze, esprimere, diciamo, il Nostro paterno cordoglio, come in genere per tanti mali ed eccidii, così più particolarmente per tanta strage tra fratelli, per tante offese alla dignità ed alla vita cristiana, per tanto scempio della più sacra e preziosa eredità di un nobilissimo popolo ed a Noi singolarmente caro.

Ut ubique, et hic propaganda subversiva primo Catholicam Ecclesiam petit.

Fretus universali paternitate SS. Pater iterum suos consolari intendit.

Ma i fatti, che la vostra presenza, dilettissimi figli, richiama ed attesta, non sono soltanto successione impressionante di distruzioni e di stragi; essi sono anche una scuola dalla quale gravissimi insegnamenti si proclamano all'Europa ed al mondo intero. Al mondo ormai tutto quanto percorso, irretito e sconvolto dalla propaganda sovversiva, e particolarmente all'Europa già così profondamente sconvolta e così fortemente scossa, i tristi fatti di Spagna dicono e predicono ancora una volta fino a quali estremi sono minacciate le basi stesse di ogni ordine, di ogni civiltà e di ogni coltura.

Quod vobis contigit omnibus altis sit in instructionem;

addiscant primo, quam alte concutienda sunt fundamenta totius vitae ex propaganda revolutionaria;

Vero è che questa minaccia è più grave e mantenuta più viva ed operosa da più profonda ignoranza e disconoscimento della verità, da vero e satanico odio contro Dio e contro l'umanità da Lui redenta, all'indirizzo della Religione e della Chiesa Cattolica. E' questo un punto tante volte ammesso e, come già accennammo, confessato, che è affatto superfluo insi-

quam acriter contra Deum et Ecclesiam directa.

stervi Noi davvantaggio, tanto più data la spaventevole eloquenza dei fatti di Spagna al proposito.

Non superfluo invece, anzi opportuno e purtroppo necessario e per Noi doveroso, è mettere in guardia tutti quanti contro l'insidia con la quale gli araldi delle forze sovversive cercano di far luogo a qualche possibilità di avvicinamento e di collaborazione da parte cattolica, distinguendo fra ideologia e pratica, fra idee ed azione, fra ordine economico e ordine morale: insidia estremamente pericolosa, trovata e destinata unicamente ad ingannare e disarmare l'Europa ed il mondo a tutto favore degli immutati programmi di odio, di osservazione e di distruzione che li minacciano.

Omnes bene sciant omnem collaborationem fidelium cum revolutionariis periculis esse plenam.

Vero è anche che con questa rinnovata rivelazione e confessione di odio privilegiato contro la Religione e la Chiesa Cattolica nei lagrimevoli fatti di Spagna, si offre all'Europa ed al mondo anche un altro insegnamento, prezioso e sommamente salutare questo, per chi non voglia chiudere gli occhi alla luce e perdersi. È dunque ormai certo e chiaro fino all'evidenza, a confessione appunto di queste forze sovversive che tutto e tutti minacciano, che l'unico vero ostacolo all'opera loro è la dottrina cristiana, è la pratica coerente della vita cristiana, come dalla Religione e dalla Chiesa Cattolica vengono insegnate e comandate.

Addiscant deinde unicum verum obstaculum contra revolutionem esse doctrinam catholicam.

È come dire certo ed evidente che dove si combatte la Chiesa e la Religione Cattolica e la sua benefica azione sull'individuo, sulla famiglia, sulle masse, si combatte in unione con le forze sovversive e per lo stesso fatale risultato. È come dire che dove con procedimenti insidiosi o violenti secondo i casi, con distinzioni fittizie e insincere fra religione cattolica e religione politica, si frappongono difficoltà, ostacoli ed impedimenti al pieno sviluppo dell'opera e dell'influsso della Religione e della Chiesa Cattolica secondo il divino mandato che la accompagna ed autorizza, nella stessa misura si facilita e si favorisce l'influsso e l'opera deleteria delle forze sovversive. Non è la prima volta che Noi facciamo e raccomandiamo a tutti — specialmente a tutti i responsabili — queste gravissime considerazioni. In un momento così importante della storia dell'Europa e del mondo, ormai non lontani Noi dal rendiconto supremo, abbiamo voluto profittare della vostra presenza per rinnovarle; nessuna testimonianza più autorevole della vostra, dilettissimi figli, di voi che in voi stessi ed in quanto vi è più caro, nella patria vostra, avete esperimentato le sciagure e i mali che a tutti si minacciano.

Omnes ergo qui Ecclesiam impetunt, communismum adiuvant,

quovis modo id faciant.

Quod summa sollemnitate hac hora iterum sit dictum.

Res in Hispania gestae nullatenus deficientiam doctrinae catholicae denotant.

Si è detto in questi ultimi giorni che Religione e Chiesa Cattolica si sono mostrate impari e inefficaci contro quelle sciagure e quei mali, e si è creduto di darne prova coll'esempio della Spagna e non di essa sola.

Quadra pienamente a questo proposito l'osservazione di A. Manzoni: « per giustificare la Chiesa non è mai necessario ricorrere a degli esempi: basta esaminare le sue massime » (1).

L'osservazione è evidente oltrechè solida e profonda.

Ubi principia catholica libere diffunduntur pax, ordo, iustitia et charitas regnabunt.

Dateci infatti una società nella quale abbiano sinceramente libera ed incontrastata diffusione le massime che la Chiesa e la Religione Cattolica continuamente insegnano e intimano con forza di leggi e di essenziali direttive come da Dio volute e Dio controllate e sancite a norma della condotta e dignità individuale, della giustizia privata e pubblica, sociale e professionale, della santità della famiglia; le massime, diciamo, sulla origine e sull'esercizio della autorità sociale e di ogni superiorità, sull'umana fraternità divinizzata in Cristo e nel Suo Corpo mistico la Chiesa, sulla dignità del lavoro sublimato fino al divino compito dell'espiazione e della redenzione nell'attesa di ineffabili immanchevoli ricompense, sui doveri della mutua carità, della quale unica regola, unica norma il bisogno ed il bene del prossimo sentiti e misurati da un amore che non può avere limiti, perchè simile all'amore al quale Dio stesso ha diritto; dateci una società nella quale abbiano pieno e incontrastato influsso e dominio queste massime e tutti quegli altri principii teorici e pratici che ad esse si ricollegano come loro presupposti, loro legittime derivazioni, e doverose applicazioni, e Noi domandiamo con che cosa e come possono Chiesa e Religione Cattolica più e meglio contribuire al vero benessere individuale, domestico e sociale. E più e meglio fanno, fornendo e procurando a tutte le buone volontà i mezzi onde ricavare da quelle massime e da quei principii tutto il pratico bene di cui contengono il segreto e la forza produttiva, mercè la grazia divina, e strumenti e veicoli di essa, la preghiera, i sacramenti, la vita cristiana. Restano, è vero, le terribili possibilità di negligenza, di inerzia, di resistenza, di opposizione che fanno capo alla libertà umana; e quante tristi cose trovano qui la loro spiegazione come la loro origine, non solo senza alcuna complicità della Religione e della Chiesa Cattolica, ma in piena ed incessante contradizione ed opposizione a quanto esse insegnano e procurano in ogni

Nihil his salubrius Societati humanae.

Neque sola veritas diffunditur sed et gratia ad bonum exsequendum.

Humana fragilitas origo malorum.

(1) Loc. cit. [supra, p. 129, nota 1].

modo a loro possibile di tradurre in atto, cioè in vite cristianamente vissute.

Ma vi sono e non possiamo non almeno accennare anche ad altre spiegazioni ed origini di quello che vuolsi attribuire ad insufficienza ed inefficacia della Religione e della Chiesa Cattolica. Che cosa può fare la Chiesa Cattolica se non deplorare, protestare e pregare, quando e dove ad ogni piè sospinto si vede contrastato ed impedito il passo verso la famiglia, la gioventù, il popolo, vale a dire proprio verso gli ambienti che più abbisognano della sua presenza e della sua funzione di Madre e di Maestra?

Alia causa: restricta Ecclesiae libertas ad iuvandam iuventutem et familiam;

Che altro può fare la Chiesa Cattolica quando e dove la stampa cattolica, destinata alla diffusione, esposizione e difesa delle massime genuinamente cristiane che solo la Chiesa Cattolica possiede ed insegna, sola conservatrice del genuino e integrale cristianesimo, si vorrebbe relegata nel tempio e nel pulpito sempre più angustiata e sospettata, mentre ogni libertà, ogni favore od almeno ogni tolleranza è riservata alla stampa che sembra avere il mandato e il proposito di confondere le idee, falsare e sofisticare i fatti, spargere sospetto e discredito contro la Chiesa, le cose e persone sue, le sue massime e le istituzioni, fino a predicare invece cristianesimi e religioni di nuovo conio? E quanto viene impedita e paralizzata l'influenza e l'opera benefica della Religione e della Chiesa Cattolica da tanti impedimenti che quasi rendono impossibile la pratica della vita cristiana e l'adempimento dei doveri che la Chiesa impone ad alimento della vita interiore e spirituale, in questa ridda incessante e vertiginosa che ai tempi nostri trattiene e travolge la gioventù, e non essa sola, in cose tutte esteriori e materiali; e ancora più e peggio da questo generale dilagare di una immoralità, che ogni dì più tende ad infrangere ogni freno di legge, che già sembra aver spento in tante anime ogni senso di pudicizia e di dignità, di coscienza e di responsabilità per così gravi e continui scandali dati e subiti. *Miseros facit populos peccatum* (1); ed è certamente una ben grave e formidabile responsabilità quella di coloro che, in ragione ed in misura delle loro mansioni, specialmente se pubbliche, non oppongono tutti i rimedi e tutti i ritegni possibili a così grandi mali.

prelum catholicum alligatum;

vita christiana impedita;

infrenata morum licentia.

Magna responsabilitas publicae Auctoritatis.

(1) *Prov.*, XIV, 34.

Quibus multa alia essent addenda.

Sappiamo che purtroppo anche altri e molti e gravi impedimenti nei diversi campi della vita pubblica e privata, collettiva e individuale, si oppongono alla piena efficacia dell'azione e dell'influenza della Religione e della Chiesa Cattolica.

Sed SS. Pater iam procedit ad benedicendos filios;

Vogliamo limitarci alle già fatte segnalazioni e non ritardarvi più oltre la benedizione paterna, apostolica che siete venuti a chiedere al Padre comune delle anime vostre, al Vicario di Cristo; benedizione che voi, dilettissimi figli, tanto desiderate e che anche il Padre vostro desidera impartirvi, benedizione che voi tanto largamente meritate. E come voi volete, così anche Noi vogliamo ed abbiamo disposto che la Nostra voce benedicente si estenda ed arrivi a tutti i vostri fratelli di passione e di esilio, che vorrebbero essere con voi e non possono. Sappiamo quanto vasta è la loro dispersione; forse è anche in questa una disposizione di Provvidenza divina a più di un benefico scopo. Questa Provvidenza vi ha voluto in tanti luoghi, affinchè voi in tante e così lontane parti, coi segni delle tristissime cose che hanno afflitto la vostra e Nostra cara Spagna e voi stessi portaste la testimonianza personale e vivente dell'eroico attaccamento alla Fede avita, che a centinaia e migliaia (e voi siete della gloriosa schiera) ha aggiunto confessori e martiri al già tanto glorioso martirologio della Chiesa di Spagna; eroico attaccamento che (lo sappiamo con indicibile consolazione) ha pure dato luogo a imponenti e piissime riparazioni e ad un così vasto e profondo risveglio di pietà e di vita cristiana, specialmente nel buon popolo spagnuolo, da rappresentare l'annuncio e l'inizio di cose migliori e di più sereni giorni per tutta la Spagna.

quae benedictio et absentibus suffragetur.

Iam primi fructus tantae patientiae conspiciuntur.

A tutto questo buono e fedelissimo popolo, a tutta questa cara e nobilissima Spagna che ha tanto sofferto si volge e vuole arrivare la Nostra benedizione, come va e andrà ancora fino al pieno e sicuro ritorno di serena pace la Nostra quotidiana preghiera.

Universo populo Hispanico benedicit SS. Pater,

Al di sopra di ogni considerazione politica e mondana, la Nostra benedizione si volge in modo speciale a quanti si sono assunto il difficile e pericoloso compito di difendere e restaurare i diritti e l'onore di Dio e della Religione, che è dire i diritti e la dignità delle coscienze, la condizione prima e la base più salda di ogni umano e civile benessere. Compito, dicevamo, difficile e pericoloso, anche perchè troppo facilmente l'impegno e la difficoltà della difesa la rendono eccessiva e non pienamente giustificabile, oltrechè non meno facilmente intenzioni non rette ed interessi egoistici o di partito suben-

eis praesertim qui Religionis causam tam strenue propugnant; opus sane periculosum, etiam sub aspectu morali;

trano a intorbidare ed alterare tutta la moralità dell'azione e tutte le responsabilità. Il Nostro cuore paterno non può dimenticare, anzi ricorda più che mai in questo momento e coi sensi della più sincera riconoscenza paterna tutti quelli che, con purezza di intenzioni e con sinceri propositi, hanno cercato di intervenire in nome dell'umanità. La Nostra riconoscenza non si è menomata avendo dovuto constatare l'inefficacia dei loro nobilissimi conati.

benedicit et eis qui conati sunt mitigare belli saevitiam.

E gli altri? che dire di tutti questi altri, che sono pure e rimangono sempre figli Nostri, sebbene nelle cose e nelle persone a Noi più care e più sacre, con atti e metodi estremamente odiosi e crudelmente persecutorii, ed anche nella Nostra stessa persona, quanto la distanza consentiva, con espressioni e atteggiamenti sommamente offensivi Ci hanno trattato non come figli un Padre, ma come nemici un nemico particolarmente detestato? Abbiamo, dilettissimi figli, divini precetti e divini esempi per Noi e per voi ancora, che possono sembrare di troppo difficile ubbidienza ed imitazione alla povera e sola umana natura e sono invece così belli ed attraenti all'anima cristiana — alle anime vostre, dilettissimi figli, — con la divina grazia, che non abbiamo mai potuto nè possiamo dubitare un istante su quello che ci resta a fare a Noi ed a voi: amarli questi cari figli e fratelli vostri, amarli d'un amore particolare fatto di compassione e di misericordia, amarli e, null'altro potendo fare, pregare per essi; pregare perchè ritorni alle loro menti la serena visione della verità e si riaprano i loro cuori al desiderio ed alla fraterna ricerca del vero bene comune; pregare perchè tornino al Padre che desiderosamente li aspetta, e si farà una lietissima festa del loro ritorno; pregare perchè siano con Noi, quando tra poco — ne abbiamo piena fiducia in Dio benedetto nell'auspicio glorioso dell'odierna solennità dell'Esaltazione della Croce, *per Crucem ad lucem*, — l'arcobaleno della pace si lancerà nel bel cielo di Spagna, portandone il lieto annuncio a tutto il vostro grande e magnifico Paese; della pace, diciamo, serena e sicura, consolatrice di tutti i dolori, riparatrice di tutti i danni, contentatrice di tutte le giuste e savie aspirazioni compatibili col bene comune, annunciatrice di un avvenire di tranquillità nell'ordine, di onore nella prosperità.

Quid de ipsis perturbatoribus ordinis inimicisque nominis christiani?

Diligendi sunt amore misericordiae, et oratione iuvandi.

Ut pax tandem serena resplendeat.

Ed ora: *Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.*

Benedictio.

---

43 — Suprema Sacra Congregatio S. Officii

LIBRORUM PROSCRIPTIONES

I

Decretum 15 maii 1936

(*AAS* XXVIII (1936) p. 234)

Dies consessus, 6 maii 1936.

Feria IV, die 6 Maii 1936

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito DD. Consultorum voto, ad praescriptum can. 1399 Codicis Iuris Canonici ipso iure damnatum esse declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Opus damnatum.

GERMÁN LIST ARZUBIDE, *Practica de educación irreligiosa.*

Approbatio Ss.mi.

Et sequenti Feria V, die 7 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Dies decreti (15 maii 1936).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 15 Maii 1936.

I. VENTURI
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

II

Decretum 17 iun. 1936

(*AAS* XXVIII (1936), p. 205)

Dies consessus, 10 iun. 936.

Feria IV, die 10 Iunii 1936

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt duos libros a Sac. Georgio Sebastiano Huber conscriptos, quibus tituli:

Opera damnata.

Vom Christentum zum Reiche Gottes, Regensburg, 1934;
Weisheit des Kreuzes, Regensburg, 1935.

Et sequenti Feria V, die 11 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit. *Approbatio Ss.mi*

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 17 Iunii 1936. *Dies decreti (17 iun. 1936).*

I. Venturi
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

III

Decretum 23 iul. 1936

(*AAS* XXVIII (1936) p. 294)

Feria IV, die 8 Iulii 1936

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendam mandarunt publicationem periodicam, quae inscribitur: *Dies consessus.*

« Terre Nouvelle », organe des chrétiens révolutionnaires. *Opus damnatum.*

Hac occasione capta, ipsi E.mi Patres monent fideles, ut caveant ab omnibus libris, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis insidiose propugnantibus (praesertim sub praetextu amicalis cooperationis in charitatis operibus fovendis) collaborationem catholicorum cum communismi asseclis. *Peculiare monitum.*

Et sequenti Feria V, die 9 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XI, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit. *Approbatio SS.mi.*

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 23 Iulii 1936. *Dies (23 iul. 1936).*

I. Venturi
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

Annotatio

Peculiare Monitum, huic damnationis Decreto adiectum, de evitanda cooperatione cum communismi asseclis, conferendum est cum iis quae SS. Pater ul-

timis temporibus tam sollicite seduloque inculcavit. Vide supra Annotationes in Allocutionem SS. Domini diei 31 Maii 1936, p. 122; atque Sermonem eiusdem SS. ad Hispaniae profugos, diei 14 Sept. 1936, supra, p. 131.

Jos. C., s. j.

---

44 — S. Congr. Rituum

Decretum 11 mart. 1936

EXTENDITUR FACULTAS CELEBRANDI MISSAM VOTIVAM D. N. IESU CHRISTI, SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS

(*AAS* XXVIII (1936) p. 240 s.)

Origo pii Exercitii orandi pro sanctificatione Cleri.

Duobus abhinc annis Societas Divini Salvatoris, approbante Rev.mo Ordinario Berolinensi, Pium Exercitium orandi pro sanctificatione Cleri orbis universi, promovere coepit, idque maxime Sabbato post primam feriam VI cuiusque mensis. Mox plurimi Episcopi hoc Pium Exercitium perlibenter approbarunt et magnus numerus fidelium eidem adhaerere coepit, ita ut, vix elapsis duobus annis ex quo initium sumpsit, quasi quadragies centena millia attingat.

Editio Encyclicae « De Sacerdotio Catholico ».

Nuper vero, edita gravissima Encyclica a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI « De Sacerdotio Catholico », visum est multis etiam praefatum Pium Exercitium concurrere enixius debere ut Deus sacerdotes et adspirantes ad sacerdotium orbis universi sanctificet. Hisce rationibus permotus et vota multorum promens, Generalis Moderator eiusdem Societatis Sanctissimum Dominum Nostrum enixe humiliterque supplicavit, ut qualibet prima feria V mensis in omnibus ecclesiis et oratoriis, in quibus, approbante loci Ordinario, preces pro sanctificatione sacerdotum orbis universi fiunt, unica Missa votiva de Summo et Aeterno Sacerdote Iesu Christo litari valeat.

Supplicatio pro Missa votiva de Summo Sacerdote Jesu Christo litanda.

Indultum a SS. D. concessum die 11 mart. 1936.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, in Audientia diei 11 Martii 1936 has preces peramanter excipiens, benigne indulgere dignata est ut primis feriis V cuiusque mensis in ecclesiis vel oratoriis, ubi de consensu respectivi Ordinarii peculiaria exercitia pietatis pro Cleri sanctificatione mane peraguntur, una Missa

votiva de Iesu Christo Summo et Aeterno Sacerdote litari possit, dummodo non occurrat festum duplex primae vel secundae classis, quodlibet festum, vigilia aut octava Domini, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum; prohibetur etiam diebus 2, 3 et 4 Ianuarii, in quibus legatur Missa « Puer natus » infra Octavam Nativitatis: salva tamen semper Missa conventuali aut paroeciali. Annuit insuper eadem Sanctitas Sua, ut loco feriae V etiam primo Sabbato mensis de consensu Episcopi cum praefatis privilegiis dictum Pium Exercitium peragi valeat, servatis tamen praescriptis iniunctionibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, die 11 Martii 1936.

Dies (11 mart. 1936).

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S. A. CARINCI, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Uti patet, privilegium hoc decreto concessum Missae votivae D. N. Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis valde simile est privilegio Missae votivae Sacratissimi Cordis pro prima feria VI cuiusque mensis concessae; in nonnullis tamen differt.

Missa conceditur pro prima feria V mensis; de consensu tamen Episcopi, loco feriae V designari potest primum Sabbatum mensis. Privilegium favet omnibus ecclesiis et oratoriis, etiam semipublicis, dummodo ibidem mane peragantur de consensu respectivi Ordinarii peculiaria exercitia pietatis pro Cleri sanctificatione. Qui ordinarius, ex his quae superius in eodem decreto leguntur, videtur esse Ordinarius loci. Praedicta Missa prohibetur non tantum in festis 1 classis, in quolibet festo, vigilia aut octava Domini, quibus assimilantur dies 2, 3 et 4 ianuarii (in quibus eius loco dici debet Missa *Puer natus* infra Octavam Nativitatis) sed etiam in festis 2 classis (in quibus Missa Sacratissimi Cordis non prohibetur); insuper, si urget onus Missae conventualis, vel, ut patet, si ex rubrica vel decretis alia

certa Missa praescribitur, v. g. in benedictione nuptiarum, in Oratione XL Horarum etc. Addit quoque decretum salva tamen semper Missa *paroeciali*. Quod sat mirum videri potest, cum in novis rubricis conformitas Missae paroecialis cum officio diei iam non praescribatur, immo, decreta in quibus talis restrictio legebatur, in ultimo volumine Decretorum S. R. C. referantur, suppressa hac restrictione, v. g. decr. 4308, 28 oct. 1913, decr. 4372, 16 iun. 1922 ad 8, in quo explicite dicitur Missam de Sollemnitate in Dominicam translata applicari posse pro populo et decr. 4379, 17 nov. 1922 in quo idem affirmatur de Missa votiva Pro Propagatione Fidei.

Quod ad ritum huius Missae, cum non omnibus gaudeat privilegiis Missae votivae sollemnis pro re gravi et publica Ecclesiae causa, aut Missae votivae Sacratissimi Cordis in prima feria VI celebrandae, nec videtur ipsi applicari posse ritus huiuscemodi Missae, sed potius applicanda regula tradita decreto 4379, 17 nov. 1922 pro Missa votiva privilegiata de Fidei Propagatione, scilicet dicenda est cum *Gloria* et *Credo*, et cum omnibus commemorationibus et orationibus ritui duplici maiori et minori congruentibus, addita proinde Collecta imperata, sed omissis orationibus pro diversitate Temporum assignatis.

Si autem huiusmodi Missa votiva quomodolibet impediatur, dummodo non sit ob occurrens festum, vigiliam vel octavam Domini, aut Commemorationem Omnium Fidelium defunctorum, iuxta normam traditam in eodem decreto 4379 applicari posse videtur regula tradita in Addit. et Variat. in Rubr. Miss. V, 3, nempe: in Missa de die addi potest oratio Missae votivae sub unica conclusione cum prima oratione; dein, sub altera conclusione fiunt reliquae commemorationes, si occurrant. Quo casu, nisi ipsa Missa prae-

fationem propriam habeat, dicenda est Praefatio de Cruce, et in fine, nisi legendum sit evangelium feriae aut vigiliae, dicitur evangelium ex Missa votiva.

Namurci IOS. PAUWELS, S. I.

45 — S. Congr. Rituum

Rescriptum 10 Julii 1936

DE COLORE MISSAE VOTIVAE D. N. J. C. SUMMI ET AETERNI SACERDOTIS

Ruraemonden.

Dubium propositum.

Exc.mus ac Rev.mus Dominus Episcopus Ruraemondensis in Hollandia Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione proposuit: Quum auctores unanimes non sint in adsignando colore paramentorum pro missa votiva D. N. J. C. Summi et Aeterni Sacerdotis, quaeritur: An adhibendus sit color albus vel potius ruber.

Responsum.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondit: Adhibendus est color albus.

Dies (10 iulii 1936).

Atque ita rescripsit et declaravit, die 10 Julii 1936.

HENRICUS DANTE S. R. C. Subst.

ANNOTATIO

In encyclicis litteris *Ad catholici Sacerdotii* diei 20 Dec. 1935 dicit Pius PP. XI: « opportunum duximus... propriam summi et aeterni Sacerdotis Jesu Christi votivam missam apparari » (*AAS* XXVIII, p. 52 s.), atque in eodem fasciculo *AAS* deinde publicatur textus ejusdem missae votivae a S. R. C. die 24 Dec. 1935 approbatus. Dubium solummodo supererat de *colore* paramentorum, quae pro hac celebranda missa sunt paranda; nullo enim certo ex principio color determinari posse videbatur, quare alii

auctores colorem album adhibendum esse judicabant, v. g. Pauwels (1), alii colorem rubrum, v. g. Paladini (2). Episcopus Ruraemundensis, ut lis dirimeretur atque in valde practica hac quaestione certitudo compararetur, dubium solvendum S. R. Congregationi proposuit, et Sacra Rit. Congregatio die 10 Julii 1936 rescripsit: « adhibendus est color *albus* » .

Trajecti-ad-Mosam H. BEIJERSBERGEN, S. J.

46 — S. Congr. de Sacramentis

Instructio 15 aug. 1936

SERVANDA A TRIBUNALIBUS DIOECESANIS IN PERTRACTANDIS CAUSIS DE NULLITATE MATRIMONIORUM

(*AAS* XXVIII (1936) p. 313 ss.)

DECRETUM

Provida Mater Ecclesia, ut matrimonii dignitatem tueretur, animarumque saluti consuleret, constantem adhibuit sollicitudinem sive Constitutionibus sive Instructionibus, regulas inter alia praescribens causas de matrimonii valore respicientes, ne, quod Deus coniunxit, homo separare auderet, vel ex adverso validum idem enuntiaret vinculum nullitate laborans. (3)

Et quidem hoc editas consilio normas Codex Iuris Canonici opportune perfecit leges statuens in genere de iudiciis et in specie de causis matrimonialibus. Verumtamen rerum usus docuit curiales iudices singulis casibus aptaturos processuales leges, praesertim generales, pluribus in difficultatibus aliquando versari. Unde sacra haec Congregatio, cui proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, plene perpendit pericula quibus, debita in iudicibus deficiente

(1) *Periodica* XXV, (1936) p. 53.

(2) *Ephemerides liturgicae,* 1936, p. 55.

(3) Ante promulgatum Codicem I. C. editae fuerunt Const. Benedicti XIV, *Dei miseratione,* 3 nov. 1741; Instr. S. C. C., 22 aug. 1840, *pro confectione processus in causis matrimonialibus;* Instr. sine data S. C. S. Officii sequenda *in conficiendo processu super viri impotentia* etc.; Instr. S. C. S. Officii, feria IV, diei 25 iunii 1883; et Instructio Austriaca.

peritia, *magnum Sacramentum* necnon et Ecclesiae ipsius decus in eiusmodi causis pertractandis exponuntur.

Saepe enim a christianae fidei hostibus callide ac temere Ecclesia impetitur, quasi ipsa divortio viam sternat, dum e contra hisce in causis de validitate vel minus tantum iniri matrimonii agitur.

Eapropter, quo citius et securius instruendis dirimendisque iisdem causis prospiciatur, quae frequentius quam antea, in magnis praesertim dioecesibus ac civitatibus, agitantur, huic S. Congregationi nedum opportunum sed necessarium visum est quasdam exarare regulas quibus dioecesani iudices veluti manuducantur ad huiusmodi magni momenti expedienda negotia.

In hisce regulis iudices ipsi et tribunalium administri praecipuos canones de processibus agentes accurate apteque dispositos reperient, necnon brevem facilemque eorundem explanationem, ex iurisprudentia praesertim erutam atque ex Normis S. R. Rotae, quo plenius ipsis iidem Codicis canones, quibus derogatum non est, sint perspecti, eosque expeditius singulis aptare possint matrimonialibus causis.

Attamen animadvertatur oportet eiusmodi regulas insufficientes ad propositum finem evasuras esse, nisi dioecesani iudices sacros canones apprime calleant et forensi experientia bene sint instructi.

Hinc S. Sedis mens est, et hoc R.mi locorum Ordinarii probe noscant, ut electi iuvenes, doctorali saltem in iure canonico in hac Alma Urbe laurea decorati, praesertim apud Studium S. R. Rotae, ad processus rite conficiendos atque ad recte iudicandum erudiantur, iustitia ac veritate ducibus.

Quamobrem E.mi Patres Cardinales huius S. C. de disciplina Sacramentorum, in Plenariis Comitiis die 18 Iulii 1936 in Civitate Vaticana habitis, perpensis peritorum virorum votis ceterisque ad rem facientibus maturo ac diligenti examini subiectis, sequentem Rev.mis locorum Ordinariis dederunt Instructionem, quam omnes dioecesani iudices tum in conficiendis processibus super matrimoniorum nullitate tum in sententiis, ex quocumque nullitatis capite ferendis, servare tenentur.

Ss.mus autem Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in Audientia diei 24 eiusdem mensis et anni habita ab infrascripto sacrae Congregationis Secretario, hanc Instructionem approbare et Apostolica Auctoritate munire dignatus est, mandavitque ut eadem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, ederetur ab omnibus, ad quos spectat, rite ac religiose servanda.

NORMAE

TITULUS I

De foro competenti

Art. 1. — § 1. *Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant* (can. 1960).

Idem obtinet si una tantum pars sit baptizata.

§ 2. *Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum ad normam can. 1016; sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri* (can. 1961).

§ 3. Causae matrimoniales respicientes vinculum nequeunt dirimi partium seu coniugum transactione, aut compromisso in arbitros, aut iureiurando litis decisorio, sed tantum publica auctoritate per sententiam tribunalis competentis, vel Ordinarii in casibus exceptis (cfr. cann. 1927 § 1; 1930; 1835 n. 1; 1990, et infra art. 226 et seqq.); salvo praescripto sequentis articuli.

In hisce causis aliorum iudicum incompetentia est absoluta.

Art. 2. — § 1. Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi in quibuslibet causis, ac proinde etiam in matrimonialibus, eos qui supremum tenent populorum principatum, horumque filios ac filias, eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum (cfr. can. 1557 § 1 n. 1).

§ 2. Causas ad hos spectantes illa S. Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive cognoscet, cui eas toties quoties Summus Pontifex delegaverit (cfr. can. 1962).

§ 3. Idem dicendum de aliis causis matrimonialibus, quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium (cfr. can. 1557 § 3).

§ 4. Ad S. C. de disciplina Sacramentorum deferri *possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens ipsa remittit* (can. 249 § 3).

Art. 3. — § 1. *In aliis causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa vel, si una sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet* (can. 1964).

§ 2. Ordinarii nomine non veniunt in hac Instructione neque Vicarius Generalis, quando agitur de ponendis actis iudicialibus (cfr. can. 1573 § 2), neque Superiores religiosi.

Art. 4. — Domicilium et quasi-domicilium acquiruntur et amittuntur ad normam cann. 92-95.

Art. 5. — Si causa proponenda sit coram Ordinario quasi-domicilii, servanda est Instructio H. S. C. diei 23 Decembris 1929 (vide App. II).

Art. 6. — § 1. Uxor, etsi a viro malitiose deserta, eum convenire debet vel coram Ordinario loci in quo matrimonium celebratum est, vel coram Ordinario domicilii vel quasi-domicilii viri ipsius.

§ 2. Uxor, a viro perpetuo aut ad tempus indefinitum separata legitime, i. e. per sententiam iudicialem competentis tribunalis ecclesiastici, vel etiam civilis a S. Sede, vi concordati, recognitam, aut per Ordinarii decretum, non sequitur domicilium viri, ideoque conveniri debet vel coram Ordinario loci in quo nuptiae initae sunt, vel coram Ordinario sui domicilii vel quasi-domicilii.

§ 3. Uxor catholica, etsi a viro non legitime separata, virum acatholicum convenire potest vel coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii, vel coram Ordinario domicilii viri (Comm. Pont., 14 Iulii 1922 ad can. 93 et 1964).

Art. 7. — Uxor, a viro non legitime separata, quae proprium quasi-domicilium habeat, conveniri potest etiam coram Ordinario domicilii viri, non autem quasi-domicilii eiusdem viri, nisi in casu quo hic domicilio careat.

Art. 8. — Lite pendente, mutatio domicilii vel quasi-domicilii coniugum competentiam tribunalis, citatione firmatam, minime tollit aut suspendit (cfr. can. 1725 nn. 2, 5).

Art. 9. — Si exceptio proponatur contra tribunalis competentiam, hac de re ipsum tribunal videre debet (cfr. can. 1610 § 1 et artt. 27-29).

Art. 10. — Si inter duo aut plura tribunalia oriatur controversia, quodnam eorum sit competens, servetur praescriptum can. 1612.

Art. 11. — Quando eadem causa potest proponi coram duobus vel pluribus tribunalibus aeque competentibus, illi tribunali ius est causam cognoscendi, quod prius citatione reum legitime convenerit (cfr. can. 1568).

Art. 12. — Causae inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, in prima et in altera instantia cognosci possunt a tribunalibus dioecesanis; attamen, si ad Sanctam Sedem delatae fuerint, exclusive competunt ad S. C. S. Officii, quae tamen potest, si ita censeat et casus ferat, causam remittere ad Tribunal S. R. Rotae (cfr. can. 247 § 3 et resp. S. C. S. Officii, 27 Ian. 1928 ad II).

TITULUS II

De tribunali constituendo

Art. 13. — § 1. Reprobata qualibet contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio ante Codicem obtento, et firmo praescripto art. 2, causae de vinculo matrimonii tribunali collegiali trium saltem iudicum reservantur (cfr. can. 1576 § 1 n. 1); sententia autem forte prolata contra huiusmodi praescriptum vitio insanabilis nullitatis laborat (cfr. can. 1892 n. 1).

§ 2. In locis tamen missionum causae matrimoniales cognosci possunt iuxta speciales instructiones a competenti S. C. prolatas.

Art. 14. — § 1. *Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.*

§ 2. *Eidem praeest officialis vel vice-officialis,* ab Episcopo constitutus ad normam can. 1573, *cuius est processum dirigere, et decernere quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt* (can. 1577).

§ 3. Quamvis Episcopus possit eidem tribunali praeesse, valde expedit ne id faciat, nisi speciales causae id exigant (cfr. can. 1578).

§ 4. Duo alii iudices ad collegiale tribunal constituendum eligendi sunt inter iudices synodales, quos designare potest, sed per turnum, etiam officialis, qui cum potestate ordinaria iudicandi absque ulla causarum reservatione ad normam can. 1573 §§ 1-2 electus fuerit, nisi Episcopus aliter in singulis casibus statuerit (cfr. can. 1576 § 3; Comm. Pont., 28 Iulii 1932).

Art. 15. — § 1. Constituendus est ab Episcopo stabiliter aut pro singulis causis matrimonialibus designandus defensor vinculi, cuius praesentia in evolutione processus semper requiritur.

§ 2. Vinculi defensore non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit. Si vero ille, licet legitime citatus, aliquibus actibus non interfuerit, acta quidem valent, verum postea ipsius examini subiicienda omnino sunt, ut ea omnia sive voce sive scriptis possit animadvertere et proponere, quae necessaria aut opportuna iudicaverit (cfr. can. 1587).

Art. 16. — § 1. Promotor iustitiae intervenire debet cum ipse matrimonium accusat, et ubi de lege processuali tutanda agitur. Hoc in casu interventus promotoris iustitiae decernitur

ab Episcopo vel a collegio sive *ex officio,* sive ad instantiam ispius promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, vel partium.

§ 2. Eodem modo constituitur ac defensor vinculi, et eodem modo citari et intervenire debet (cfr. can. 1587).

Art. 17. — *Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta* (can. 1585 § 1). Quare antequam tribunal causam cognoscere incipiat, eiusdem praeses debet in actuarium assumere unum e notariis legitime constitutis ad normam can. 373, nisi Ordinarius aliquem pro peculiari causa designare censeat (cfr. can. 1585 § 2).

Art. 18. — § 1. *Ad acta tribunalis intimanda, nisi alia sit probata tribunalis consuetudo, constituantur cursores sive pro omnibus causis sive pro causa peculiari; item apparitores ad sententias ac decreta tribunalis, eo committente, exsecutioni mandanda. Eadem persona utroque officio defungi potest* (can. 1591).

§ 2. *Laici ipsi sint, nisi prudentia in aliqua causa suadeat ut ecclesiastici ad id muneris assumantur; quod vero ad eorum nominationem, suspensionem et revocationem attinet, eaedem serventur regulae quae pro notariis canone 373 statutae sunt* (can. 1592).

§ 3. *Acta quae hi confecerint, publicam fidem faciunt* (can. 1593).

Art. 19. — § 1. Tum iudicibus tum promotori iustitiae et defensori vinculi, tum actuario, sicut et cursori atque apparitori, ab Episcopo per decretum, de quo in actis mentio fieri debet, dari possunt substituti, sive ab initio sive decursu processus, qui eorum vices gerant, si et quando illi, qui primo loco electi fuerant, impediantur.

§ 2. Curandum est ut iidem iudices causam et cognoscant et definiant: quod si iudex substitutus partem habuerit in sententia aliqua incidentali, ipse processum absolvat.

§ 3. Tribunalis praeses et ipse potest designare actuario adiutorem, qui eum coadiuvet in actis scribendis, transumptis conficiendis, ducumentis inter se conferendis.

Art. 20. — Excepto Episcopo, qui per se potestatem iudiciariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo, coram Episcopo, si agatur de officiali, pro aliis vero coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato, praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agi

coeperit, si pro peculiari causa sint constituti, aut antequam suo munere fungi incipiant, si, causa pendente, suffecti sint ad normam art. 19 (cfr. can. 1621 § 1).

Art. 21. — Attenta harum causarum gravitate necnon difficultate, tum quoad leges procedurales servandas, tum quoad intrinsecum causae meritum, Episcoporum est, *graviter onerata eorum conscientia,* caute et diligenter seligere sacerdotes, quorum prudentia et probitas sit omni exceptione maior, quique laurea vel saltem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant.

Art. 22. — § 1. *Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatorem designare qui in coetu iudicum de causa referat et sententiam in scriptis* latine *redigat; et ipsi idem praeses potest alium ex iusta causa substituere* (can. 1584).

§ 2. Ipsemet praeses ponentis seu relatoris munere, assentiente tribunali, defungi potest.

Art. 23. — § 1. Episcopus unum aut plures auditores seu actorum instructores, sive stabiliter, sive pro certa causa, constituere potest. Officialis tantum pro certa causa id peragere potest, nisi Episcopus iam providerit (cfr. can. 1580).

§ 2. Auditores, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus synodalibus (cfr. can. 1581).

Art. 24. — *Auditorum est testes citare et audire aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre* (can. 1582).

Art. 25. — *Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo qui eundem elegit, iusta tamen de causa, et citra partium praeiudicium* (can. 1583).

Art. 26. — Nomina iudicum, auditoris et tribunalis ministrorum debent statim partibus notificari, ut exceptiones, si casus ferat, proponere valeant: idem servari debet si forte fiat eorundem substitutio.

Art. 27. — § 1. Exceptio incompetentiae relativae proponenda et cognoscenda est ante litis contestationem (cfr. can. 1628 § 1). Exceptio autem incompetentiae absolutae tribunalis a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae (cfr. can. 1628 § 2).

§ 2. Tribunal *quovis in stadio causae se absolute incompetens agnoscens, suam incompetentiam declarare tenetur* (can. 1611).

§ 3. Exceptiones suspicionis proponendae et cognoscendae sunt ante litis contestationem, nisi postea primum emerserint, aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse (cfr. can. 1628 § 1).

Art. 28. — § 1. *In casu exceptionis de incompetentia relativa si* tribunal *se competens pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem.*

§ 2. *Quod si* tribunal *se incompetens declaret, pars, quae se gravatam reputat, potest intra decem dierum spatium appellationem ad superius tribunal interponere* (can. 1610 §§ 2, 3).

Art. 29. — Contra tribunalis decisionem, quae incompetentiam absolutam admittat aut reiiciat, datur appellatio intra decem dies ad superius tribunal.

Art. 30. - § 1. Iudices *cognoscendam ne suscipiant causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae vel curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsorum intersit, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egerint.*

§ 2. *In iisdem rerum adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor et defensor vinculi* (can. 1613).

Art. 31. — § 1. Cum iudex a parte recusatur ut suspectus, haec exceptio, si proponatur contra collegium vel maiorem delegatorum iudicum partem, definienda est a delegante; si contra unum vel alterum ex pluribus iudicibus delegatis, etsi collegii praesidem, a ceteris iudicibus delegatis et non suspectis; si contra officialem, ab Episcopo; si contra auditorem, ab eo qui illum designavit (cfr. can. 1614 § 1).

§ 2. *Si ipsemet Ordinarius sit iudex et contra ipsum exceptio suspicionis opponatur, vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori* (can. 1614 § 2), seu iudici appellationis.

§ 3. *Si exceptio suspicionis opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administros, de hac exceptione videt tribunalis praeses* (can. 1614 § 3).

Art. 32. — § 1. Si quis iudicum vel etiam omnes iudices, qui tribunal collegiale constituunt, suspecti declarentur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus (cfr. can. 1615 § 1).

§ 2. *Ordinarii autem est in locum iudicum qui suspecti declarati sunt alios a suspicione immunes subrogare* (can. 1615 § 2).

§ 3. *Quod si ipsemet Ordinarius declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex immediate superior* (can. 1615 § 3), seu iudex appellationis.

Art. 33. — Exceptio suspicionis expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae, si intersit, et vinculi defensore, nec in ipsos suspicio cadat (cfr. can. 1616), exclusa appellatione ad normam can. 1880 n. 7.

TITULUS III

De iure accusandi matrimonium

Art. 34. — *Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit* (can. 1970).

Art. 35. — § 1. Habiles ad accusandum sunt:

1° Coniuges, nisi ipsi fuerint impedimenti causa;

2° Promotor iustitiae, in impedimentis natura sua publicis, iure proprio (Comm. Pont. 17 Iulii 1933 ad IV) et absque praevia denuntiatione; praevia autem denuntiatione in aliis impedimentis, si iure actionem instituendi ad obtinendam declarationem nullitatis sui matrimonii denuncians careat, salvo tamen praescripto art. 38 et 39.

§ 2. Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius accusandi matrimonium, sed tantum nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi (cfr. can. 1971).

§ 3. Itidem actoris partes agere nequeunt in causis matrimonialibus acatholici sive non baptizati; si quidem autem speciales occurrant rationes ad eosdem admittendos, recurrendum est in singulis casibus ad S. C. S. Officii (cfr. responsionem S. C. S. O., diei 27 ianuarii 1928).

Art. 36. — Iis in dioecesibus in quibus officia promotoris iustitiae et vinculi defensoris eadem in persona cumulantur (cfr. can. 1588), si causa a promotore iustitiae instituatur, alia persona in vinculi defensorem deputanda erit.

Art. 37. — § 1. Coniux inhabilis est ad accusandum matrimonium, si fuit ipse causa culpabilis sive impedimenti sive nullitatis matrimonii.

§ 2. Qui causam impedimenti honestam et licitam apposuit, habilis est ad accusandum matrimonium.

§ 3. Habilis est ad accusandum matrimonium coniux qui metum aut coactionem passus est.

§ 4. Qui inhabilis est ad accusandum suum matrimonium, denunciare potest eiusdem matrimonii nullitatem vel Ordinario vel promotori iustitiae tribunalis competentis (cfr. can. 1971 § 2 et Comm. Pont., 12 Martii 1929; 17 Febr. 1930 et 17 Iulii 1933, ad I, II, III).

Art. 38. — § 1. Ubi agitur de denuntiatione nullitatis a coniuge vel coniugibus facta, quia alteruter vel ambo

a) positivo voluntatis actu excluserunt matrimonium ip-

sum, aut omne ius ad coniugalem actum, aut essentialem matrimonii proprietatem; vel

b) condicionem apposuere contra matrimonii substantiam, promotor iustitiae matrimonium ne accuset, sed coniugem vel coniuges pro viribus moneat ut suae conscientiae consulant, et, si fieri possit, causam impedimenti auferant, e. g. per novum consensum rite praestandum.

§ 2. Si tamen matrimonii adserta nullitas publica evaserit et scandalum revera adsit, denuncians autem resipiscentiae signa, Ordinarii iudicio, revera dederit; itemque denunciata nullitatis causa argumentis nitatur, sive in facto sive in iure, ita certis et validis, ut probabilis omnino sit ipsius matrimonii nullitas, tunc promotori iustitiae ius et officium est denunciatum matrimonium rite accusandi.

Art. 39. — Si vero matrimonii nullitas a coniuge vel a coniugibus denunciatur, qui causa culpabilis fuerint sive impedimenti sive nullitatis matrimonii, exceptis casibus de quibus in art. praecedenti, promotor iustitiae accusationem ne instituat, nisi haec tria concurrant:

a) de impedimento agatur quod publicum evaserit, quodque argumentis nitatur, sive in facto sive in iure, ita certis et validis, ut de eiusdem impedimenti exsistentia et vi serio dubitari non possit;

b) bonum publicum, scandali nempe amotio, Ordinarii iudicio, id revera postulet;

c) fieri nequeat ut, cessato impedimento, matrimonium rite ineatur.

Art. 40. — Ordinarius, etsi nullitatis denunciatio sibi facta fuerit, accusationem numquam ipse instituat, sed rem deferat promotori iustitiae sui tribunalis, qui iuxta superius dicta procedat

Art. 41. — § 1. Denunciationes scripto exhibitae, quarum auctores personaliter interrogarii nequeant, ut sufficiens causa instituendi processus, in peculiaribus tantum rerum adiunctis, Ordinarii iudicio, haberi possunt; praehabitis tamen opportunis aptisque investigationibus.

§ 2. Nulla ratio habenda est tum denunciationum anonymarum, nisi positivas et graves facti probationes indicent, tum denunciationum non anonymarum, quando ius accusandi coniugibus competit, neque de impedimentis agitur natura sua publicis (cfr. art. 35 § 1, n. 2).

§ 3. Si quae denunciatio ab aliis facta probationes contineat, ex quibus matrimonii nullitas probabilis appareat, Ordinarii vel promotoris iustitiae erit investigare, interrogatis caute

et secreto denunciatoribus, utrum locus sit accusationi *ex officio*, ad normam art. 38 et 39, an vero dispensationi ad matrimonium revalidandum.

§ 4. Promotoris iustitiae est ab accusatione recedere si postea sibi constiterit, factam accusationem sustineri non posse vel in iure vel in facto.

Art. 42. — *Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio* (can. 1972).

TITULUS IV

De procuratoribus et advocatis

Art. 43. — § 1. Quamvis pars per seipsam agere et respondere possit in iudicio, expedit tamen ut habeat advocatum, vel a se electum vel a praeside datum, iuxta normas quae sequuntur.

§ 2. Praeses, audito iudicum collegio, potest etiam alium advocatum designare, si casus ferat, veluti in casibus negligentiae advocati a parte delecti (cfr. can. 1655 § 2).

§ 3. Si uterque coniux nullitatis declarationem petat, sufficit si alteruter advocatum constituat, nisi altera pars suum proprium constituere velit, aut praeses id opportunum duxerit.

§ 4. Pars conventa, quae matrimonii nullitatem oppugnet, constituere potest advocatum, quamvis adsit vinculi defensor qui pro vinculo certare debet, cui ipsa pars argumenta et probationes suppeditare valet.

Art. 44. — § 1. Pars constituere quoque potest procuratorem ab advocato distinctum.

§ 2. Procuratoris est, partem repraesentare, libellos aut recursus cuiuscumque generis tribunali exhibere; quae vero spectant ad defensionem semper advocato reservantur.

Art. 45. — *Licet actor* vel conventus *procuratorem aut advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis* (can. 1647).

Art. 46. — Causa a promotore iustitiae instituta ad normam artt. 35 § 1 n. 2, 38 et 39, coniux, cui ius non est accusandi matrimonium, advocatum sibi constituere potest; sed, promotore iustitiae accusationem revocante vel a lata sententia non appellante, advocati eiusdem officium cessat.

Art. 47. — § 1. *Unicum quisque potest eligere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit* (can. 1656 § 1).

§ 2. *Quod si, iusta causa suadente* et annuente praeside, *plures ab eodem deputentur, hi ita constituantur, ut detur inter ipsos locus praeventioni* (can. 1656 § 2).

§ 3. *Advocati*, firmo art. 46, *plures simul constitui queunt* (can. 1656 § 3).

§ 4. Procurator, nisi aliud praeses indulgeat ob peculiaria adiuncta, in ipsa civitate ubi est tribunal, vel in loco propinquo, residere debet.

Art. 48. — § 1. Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores et honestate ac religionis fama praestantes; acatholicus non admittatur nisi per exceptionem et ex necessitate (cfr. can. 1657 § 1).

§ 2. Advocatus sit oportet praeterea doctor saltem in iure canonico (cfr. can. 1657 § 2) et per triennium tirocinium laudabiliter exercuerit; quod valde optandum est ut fecerit apud Tribunal S. R. Rotae.

§ 3. Procurator sit oportet in iure canonico saltem prolyta et per annum tirocinium, de quo in § 2, laudabiliter expleverit.

§ 4. Procurator et advocatus, ut ad sua munera exercenda admittantur, indigent approbatione Ordinarii, quae aut generalis sit ad omnes causas, aut specialis pro certa causa (cfr. can. 1658 § 2). Advocati autem S. Consistorii vel in albo S. R. Rotae admissi hac approbatione non indigent, cum ius habeant patrocinium exercendi in quibuslibet dioecesanis tribunalibus, nisi Episcopus gravi de causa eos prohibuerit, quo in casu datur recursus ad S. C. de disciplina Sacramentorum.

Art. 49. — § 1. Procurator a praeside ne admittatur nisi prius apud tribunal deposuerit speciale mandatum ad lites scriptum, etiam in calce libelli vel citationis, mandantis, subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, dummodo subscriptio a parocho vel a Curia recognita sit (cfr. can. 1659 § 1).

§ 2. Quod si mandans scribere nesciat, hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius Curiae vel duo testes, quorum subscriptiones sint a parocho vel a Curia recognitae, loco mandantis, mandatum subsignent (cfr. can. 1659 § 2).

§ 3. *Mandatum procuratoris asservari debet in actis causae* (can. 1660).

§ 4. *Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, habeat ne-*

cesse est a parte vel a praeside (cfr. art. 43) *commissionem ad instar mandati procuratorii, de qua in actis constare debet* (can. 1661).

Art. 50. — Nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, et generatim ea agere pro quibus ius requirit mandatum speciale (cfr. can. 1662).

Art. 51. — Tum procurator tum advocatus possunt a tribunali, dato decreto, repelli, sive *ex officio* sive ad instantiam partis, iusta tamen et gravi de causa (cfr. can. 1663), salvo iure recursus ad Episcopum.

Art. 52. — § 1. *Advocati et procuratores possunt ab eo, a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit,* praeses *et adversa pars certiores facti sint de remotione* (can. 1664 § 1).

§ 2. Mandatum exspirat causa per sententiam definitivam decisa, salvo iure et officio interponendae appellationis inter decendium, nisi mandans renuat (cfr. can. 1664 § 2).

Art. 53. — § 1. Episcopi est publici iuris facere indicem seu *album*, in quo adnotentur advocati et procuratores apud suum tribunal admissi. In albo expressa mentio fiat de iure, quod habent ad normam art. 48 § 4, patrocinium exercendi, tum advocati S. Consistorii, tum advocati a S. R. Rota approbati.

§ 2. Advocati in albo inscripti tenentur, de mandato praesidis tribunalis, gratuitum patrocinium, aut gratuitam assistentiam praebere iis quibus hoc beneficium tribunal concesserit (cfr. artt. 237-240).

Art. 54. — Advocati et procuratores vetantur:

1° sibi de immodico emolumento pacisci: quod si fecerint, pactio nulla est et poenae imponendae erunt, de quibus in can. 1665 § 2;

2° ob dona, pollicitationes aliamve causam prodere officium, sub poenis, de quibus in can. 1666;

3° renunciare mandato, lite pendente, sine iusta causa a praeside probanda.

TITULUS V

De libello causae introductorio

Art. 55. — § 1. Illi tantum causam de nullitate matrimonii introducere possunt, qui accusandi matrimonium iure pol-

lent, ad normam regularum, quae in Titulo III traditae sunt.

§ 2. Qui matrimonium accusare vult, debet libellum competenti tribunali exhibere, in quo obiectum controversiae proponatur et ministerium iudicis expostuletur ad matrimonii nullitatem declarandam (cfr. can. 1706).

Art. 56. — Si actor scribere nesciat, aut legitime impediatur quominus libellum exhibeat, potest oretenus suam petitionem coram tribunali proponere. Quo in casu officialis actuarium iubeat actum in scriptis redigere; scriptum vero legendum est actori et ab eo probandum signo crucis per se apposito in testimonium approbationis, de cuius signi sensu notarius testetur (cfr. can. 1707 §§ 1, 3).

Art. 57. — Libellus ita conficiendus est:

1° exprimatur tribunal coram quo causa erit introducenda, v. g. coram tribunali ordinario ecclesiastico dioecesis *N.*;

2° indicetur petitio; nempe ut matrimonium declaretur nullum, et quidem ob hoc vel illud caput ex. gr. ob impotentiam, ob metum etc., vel ob plura, si plura sint nullitatis capita;

3° exponatur, generatim saltem, quo iure innititur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur. Non est necesse, nec expedit, ut conficiatur accurata et longa argumentorum enucleatio, nam haec pertinent ad probationis et defensionis periodos; sufficit ut appareat haud temere fuisse petitionem exhibitam;

4° afferri etiam debent ea quae pertinent ad partium domicilium vel quasi-domicilium, nec non ad actualem earundem commorationem, ita ut tribunal videre possit de propria competentia;

5° libellus debet subscribi ab actore vel, si iam fuerit nominatus, ab eius procuratore, salvo praescripto art. 56, appositis die, mense et anno, necnon loco in quo actor vel eius procurator habitant aut residere se dixerint, actorum recipiendorum gratia (cfr. can. 1708).

Art. 58. — Officialis curare debet ut constet de personae, quae matrimonium accusat, identitate, iuxta Instructionem huius S. C. diei 27 Martii 1929 (vide App. I).

Art. 59. — Si proponatur probatio *per instrumenta* seu *documenta*, haec una cum libello tradantur, quantum fieri potest; si *per testes*, eorum nomina et domicilium indicentur (cfr. can. 1761 § 1), designatis urbe, via et numero domus, et si *per praesumptiones*, indicentur saltem in genere facta seu indicia, unde illae eruuntur. Nihil tamen impedit quominus actor ulteriores probationes in iudicii cursu afferat.

Art. 60. — Libello addantur mandatum procuratoris (si non fuerit iam traditum), commissio advocati ad instar mandati procuratorii et exemplar authenticum celebrati matrimonii integre transcriptum.

TITULUS VI

De libelli admissione vel reiectione

Art. 61. — *Tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in iudicio, debet quantocius libellum aut admittere aut reiicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis* (can. 1709 § 1).

Art. 62. — *Si* tribunalis collegialis *decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem* tribunali *denuo exhibere; quod si* tribunal *emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet* (can. 1709 § 2).

Art. 63. — Libello acceptato, tribunal, instante promotore iustitiae vel *ex officio*, coniugum separationem, si adhuc forte convivant, et grave scandalum, Ordinarii iudicio, adsit, indicere debet.

Art. 64. — Si factum, quo accusatio nititur, licet undequaque verum, matrimonio tamen irritando impar omnino foret, vel, quamvis factum matrimonium foret quidem irritaturum, assertionis vero falsitas sit in aperto, libellus decreto tribunalis collegialis reiiciatur.

Art. 65. — § 1. Quod si impedimentum in ius adductum tale sit, ut, quomodocumque veritas rei se habeat, consensus coniugis sufficiat ad illud removendum, officialis rem deferat Ordinario qui, pro sua conscientia et pro rerum et personarum adiunctis, parocho coniugum aliive sacerdoti iniungat, ut admonitionibus opportunis partem matrimonium impugnantem inducat ad illud, consensus renovatione, convalidandum.

§ 2. Si coniux convalidationi consentiat, Ordinarius dispensationem, qua opus sit, ipse, si poterit, tribuet, vel a S. Sede obtinebit, satagens ut convalidatio peragatur remoto omni scandalo aut rumore.

Art. 66. — § 1. *Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal; a quo, auditis parte et vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est* (can. 1709 § 3), exclusa appellatione ad normam canonis 1880 n. 7.

§ 2. Si tribunal superius libellum admittat, causa remittenda est pro eius definitione ad tribunal *a quo.*

Art. 67. — *Si* tribunal *continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit quo libellum admittit vel reiicit ad normam* art. 61, *pars cuius interest instare potest ut* tribunal *suo munere fungatur; quod si nihilominus* tribunal *sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, poterit recursum ad Ordinarium loci, si ipse iudex non sit, vel ad superius tribunal interponere ut vel* iudices *ad definiendam causam adigantur,* vel alii iudices in eorum locum *subrogentur* (can. 1710).

TITULUS VII

De officio iudicum et tribunalis ministrorum post causam per libelli acceptationem rite introductam

Art. 68. — § 1. Praesidis officium est: dirigendi processum et decernendi quae pro iustitiae administratione in causa necessaria sunt (art. 14 § 2); designandi relatorem seu ponentem causae (art. 22); cognoscendi exceptionem suspicionis contra tribunalis administros (art. 31 § 3); praecipiendi ut in nonnullis casibus defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus (art. 179 § 2); moderandi nimiam defensionum extensionem, nisi de hoc peculiari tribunalis lege sit cautum (art. 182); constituendi diem et horam, quibus iudices ad deliberandum de sententia proferenda conveniant (art. 185); ducendi moderatam discussionem ad rem habendam (art. 198 § 3), et omnes iudicio assistentes, qui a reverentia et obedientia tribunali debita graviter desciverint, ad officium reducendi (cfr. can. 1640 § 2).

§ 2. Idem insuper potest, nisi collegium aliquid sibi reservaverit: litis contestationem peragere, terminos statuere ad probationes afferendas atque ad defensiones exhibendas, testes inobedientes coërcere et, si casus ferat, mulctare, probationes admittere ante litis contestationem in casibus de quibus in canone 1730, testium indemnitatem atque impensas taxare, peritos eligere, eorum iusiurandum excipere, necnon expensas atque honoraria definire, exhibitionem documentorum imponere, designare advocatum *ex officio,* declarare litem contestatam, causam conclusam, instantiam peremptam esse aut eidem renuntiatum etc.

§ 3. Praeses quoque potest, nisi adsit instructor ad nor-

mam art. 23, ea peragere quae ad causae instructionem pertinent.

Art. 69. — Adversus actus praesidis vel instructoris recursus patet ad collegium, cuius est decretum vel sententiam interlocutoriam edere, audito vinculi defensore et, si adsit, promotore iustitiae (cfr. Tit. XI).

Art. 70. — § 1. *Defensoris vinculi est:*

1° *Examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu esaminis a iudice aperienda, et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere;*

2° *Articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere;*

3° *Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit* (can. 1968).

§ 2. Defensor vinculi curet ut interrogatoria proponantur omnino recte concinnata, quaeque ad rem faciant, attento nullitatis capite de quo agitur, facta eidem facultate articulos a patronis propositos reformandi, quod facere non omittat praesertim si suggestivi videantur, ita tamen ne supprimat quae necessaria et opportuna sint ad plenam rei veritatem dignoscendam; documenta, a partibus exhibita, recognoscat, aliaque, si opus sit, *ex officio* expetat.

Art. 71. — § 1. *Defensori vinculi ius esto:*

1° *Semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti* praesidis *arbitrio prorogandos;*

2° *De omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit;*

3° *Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere;*

4° *Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat* (can. 1969).

§ 2. Quando promotor iustitiae matrimonium accusat, ipse quoque proponere debet vinculi defensori articulos pro interrogatoriis deferendis partibus, testibus ac peritis. Horum articulorum necessariam rationem habere debet vinculi defensor, dempta ei facultate variandi, in conficiendis articulis seu posi-

tionibus ad normam art. 70 § 1 nn. 1, 2, quae sunt dein clausa instructori tradenda.

Art. 72. — Defensor vinculi potest, et, si casus ferat, id facere ne omittat, opportunas exquirere notitias, praesertim a vinculi defensore illius dioecesis ubi matrimonium initum fuit, itemque exquirere a parocho, cui ius assistendi matrimonio fuit, authenticum exemplar investigationum ante matrimonii celebrationem peractarum, et interrogationum quas hic, ad normam iuris, nupturientibus detulit.

Art. 73. — Actuarii est omnia diligenter et fideliter conscribere; acta caute, ordinate et religiose colligere et servare; curare ne acta, praecipue secreto custodienda, ad extraneos deveniant; de omnibus fidem facere et omnia cum praeside subsignare; rite digestum habere librum causarum, seu *protocollum;* positiones conficere; adstare quoties iusiurandum de iure praestatur; citationes subscribere easque, denunciatas, adnotare; interesse processus instructioni ac disputationi; fidelitatem exemplarium cum autographo declarare; rescripta, decreta, decisiones curare, ut ad exsecutionem mandentur; partem sententiae dispositivam partibus significare; sententiarum autographa subsignare et de earum exemplaribus fidem facere.

TITULUS VIII

De citatione necnon de litis contestatione et contumacia

Art. 74. — § 1. *Libello vel orali petitione admissa, locus est vocationi in ius seu citationi alterius partis* (can. 1711 § 1) nec non defensoris vinculi ad litem contestandam: quae, instante actore, vel etiam *ex officio,* fieri potest.

§ 2. *Quod si partes litigantes sponte coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes sponte sua iudicio adfuisse* (can. 1711 § 2).

§ 3. Citatio debet etiam actori denunciari ut, statuta die et hora, ipse quoque coram iudice se sistat (cfr. can. 1712 § 3).

§ 4. Si reus vel actor procuratorem legitime constituerit, ad normam art. 44 § 1, citatio procuratori fieri potest; itidem et advocato, qui, procuratoris defectu, eius impleat partes.

Art. 75. — Si causa instituatur agente *ex officio* promotore iustitiae, ambo coniuges citandi sunt.

Art. 76. — § 1. *Citatio denuntietur per schedam, quae praeceptum iudicis parti conventae factum ad comparendum exprimat,*

id est a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur; necnon locum, et tempus, idest annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.

§ 2. *Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a* praeside *vel ab eius auditore et a notario* (can. 1715).

Art. 77. — Si pars conventa rationis usu sit destituta, vel minus firmae mentis, citatio tutori vel curatori denuncianda est.

Art. 78. — § 1. Ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adest, hic ordinarie admittatur, nisi peculiares rationes Ordinario aliud suadeant (cfr. can. 1651).

§ 2. Si tutor vel curator non est a civili auctoritate constitutus, vel, etsi constitutus, ab Ordinario non fuit admissus, eiusdem Ordinarii erit eum designare.

§ 3. In curatore constituendo ab Ordinario procedendum est iuris ordine servato, audita altera parte, necnon vinculi defensore.

Art. 79. — § 1. *Citationis scheda, si fieri poterit, per Curiae cursorem tradenda est ipsi convento ubicumque is invenitur.*

§ 2. *Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si* praeses *id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.*

§ 3. *Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi commoratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum;* (quo in casu optandum est ut scheda tradatur clausa) *sin minus eam ad* praesidem *referat, ut transmittatur ad normam can. 1719, 1720* (can. 1717; cfr. artt. 80, 83).

Art. 80. — *Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cursorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit iussu* praesidis *transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit* (can. 1719).

Art. 81. — § 1. Cursor schedam traditam subsignet, die et hora traditionis adnotata, et tribunali relationem scriptam faciat de persona cui traditio facta est. Curet etiam ut schedae receptilatio, si fieri potest, a citato subsignetur (cfr. can. 1721 §§ 1, 2).

§ 2. Quod si citatus receptionem schedae recuset, eam cursor tribunali remittat, a se subsignatam, die, hora et causa recusationis adnotata (cfr. can. 1721 § 4).

Art. 82. — Qui citationem recipere recuset, legitime citatus habetur (cfr. can. 1718).

Art. 83. — Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi degat pars citanda, sive reus sit sive etiam ipse actor, locus est citationi per edictum, quae fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per tempus prudenti praesidis arbitrio determinandum, et in aliqua publica ephemeride inserendo; quodsi utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficit (cfr. can. 1720).

Art. 84. — *Si scheda citatoria non referat quae* in art. 76 *praescribuntur aut non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus* (can. 1723).

Art. 85. — Cum citatio legitime peracta fuerit, res desinit esse integra, firmatur tribunalis iurisdictio et lis pendere incipit (cfr. can. 1725 nn. 1. 2 et 5).

Art. 86. — *Quaelibet citatio est peremptoria* (can. 1714). Praesidis autem arbitrio relinquitur eam iterare, praesertim si ex rationabili causa dubitandum sit utrum citatio pervenerit ad manus citati necne.

Art. 87. — *Obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione, seu formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice* (can. 1726).

Art. 88. — Contestatio fit per dubii concordationem coram praeside et semper discutiendum erit dubium: *an constet de matrimonii nullitate,* ob caput vel capita recensita, *in casu.*

Art. 89. — § 1. Reo citato et neque per se neque per legitimum procuratorem comparente, et aliam quam incompetentiae excusationem allegante, praeses de eadem admittenda vel reiicienda, audito vinculi defensore, iudicabit, et decisionem parti non comparenti denuntiabit scripto, ad normam art. 79 et seqq., praefixo termino peremptorio ad comparendum, si praeses ipse excusationem non admiserit.

§ 2. Si reus primo citatus siluerit, aut denuntiationi praedictae non responderit intra praefixum tempus, praeses, postquam legitime constiterit citationem ad eum pervenisse, nec ullam non comparendi legitimam causam fuisse allatam, eum, audito vinculi defensore, declarabit contumacem; et, declaratione contumaciae in actis relata, dubium statuatur, actore postulante.

§ 3. Dubium statim parti contumaci notum fiat, ut quas velit possit proponere exceptiones et a contumacia se purgare.

§ 4. Si reus, vel personaliter vel per epistulam declaraverit sese remittere iustitiae tribunalis, dubii concordatio fiat eidemque significetur, ut in paragrapho praecedenti.

Art. 90. — Contumacia in quovis litis momento usque ad

sententiae definitionem purgari potest. Purgata autem contumacia, pars contumax, nisi velit causam in eo statu acceptare ad quem pervenerit, expensas alteri parti reficere debet.

Art. 91. — § 1. Si actor ad litem contestandam, neque per se, neque per legitimum procuratorem comparuerit, iterum, instante convento, cum comminatione contumaciae citandus est: quod si nec altera vice comparuerit, nisi reus instet pro matrimonii nullitate, causa a praeside deserta declarabitur (cfr. cann. 1849, 1850 § 1).

§ 2. Permittitur tamen iustitiae promotori instantiam facere suam, eamque prosequi quoties publicum bonum, scandali nempe amotio, id, Episcopi iudicio, postulare videatur (cfr. 1850 § 2)

Art. 92. — § 1. Dubiorum formula, vel partibus consentientibus, semper a praeside probanda est (cfr. can. 1729 § 2).

§ 2. Partibus de dubiorum formula dissentientibus, collegium *ex officio* formulam praefiniet (cfr. can. 1729 § 3).

TITULUS IX

De probationibus

Art. 93. — *Non indigent probatione:*

1° *Facta notoria, ad normam* (can. 2197 nn. 2, 3;

2° *Quae ab ipsa lege praesumuntur* (can. 1747 nn. 1, 2).

Art. 94. — *Onus probandi incumbit ei qui asserit* (can. 1748 § 1).

Art. 95. — § 1. Probationes, quae ad moras iudicio nectendas postulari videantur, praeses ne admittat.

§ 2. Si probationes petantur, quae processus evolutionem nimis protrahant, ut examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi non potest, praesidis est, auditis partibus et vinculi defensore, perpendere utrum requisitae probationes admittendae sint: eas tamen admittat, si necessariae videantur, et ceterae deficiant aut satis non sint (cfr. can. 1749); quod si renuat, patet recursus ad collegium.

Caput I

Generalia de probationibus

Art. 96. — § 1. Antequam praeses vel instructor vel auditor — (quae quidem personae hic et in sequentibus articulis huius tituli indiscriminatim accipiuntur) — procedat ad examen

cuiuspiam in ius vocati, sive partis sive testis sive periti, exquirat ab eo iusiurandum de veritate tota et sola dicenda, tacto sacro Evangeliorum libro, vel, si de sacerdote agatur, tacto pectore. Quod si citatus suas attestationes sub iureiurando reddere renuat, et instructor censeat eas fore utiles ad veritatem detegendam, potest easdem excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione, eiusque causa.

§ 2. Iusiurandum praestituros instructor, prout casus ferat, commonefaciat de iurisiurandi sanctitate, deque gravissimo delicto periurii, necnon, quatenus prudentia id suadeat, de poenis, praesertim spiritualibus, in periuros (cfr. can. 1743 § 3).

Art. 97. — Nemo ad deponendum admittatur, qui propriam identitatem legitimo documento non comprobaverit ad normam art. 58, nisi aliunde instructori aut alicui ex iudicibus aut defensori vinculi aut actuario de eadem identitate certo constet, quod in actis referatur.

Art. 98. — § 1. Personae autem, de quibus in canone 1770 § 2, eximuntur ab obligatione examini sese subiiciendi in ipsa tribunalis sede, earumque examen perficitur ad normam citati canonis.

§ 2. Pro personis quae in aliena dioecesi commorantur, ius est partibus, ipsis personis consentientibus, petendi ut ad sedem tribunalis accedant.

Art. 99. — § 1. Interrogationes proponendae cuivis, sive coniugi sive testi sive perito, aliae sunt *generales, aliae particulares* seu *speciales,* idest circa *obiectum causae.*

§ 2. Generales faciendae sunt omnes et singulae in depositionis initio, neque necessarium est easdem iterare, si quis iterum veniat ad deponendum. Eaedem ordinantur ad inquirendum de generalibus personae adiunctis, de eius origine, aetate, religione, conditione, domicilio (urbe, paroecia, via et numero domus), de necessitudine aut relationibus cum partibus in causa, praesertim an sit alterutrius consanguinea vel affinis.

§ 3. Posteriores ordinantur ad eruendam veritatem circa factum unde pendere dicitur matrimonii nullitas; et varietati causarum vel impedimentorum aptandae sunt (cfr. can. 1774).

Art. 100. — Sciscitandum est a testibus unde et quomodo ea quae asserunt habeant cognita (cfr. ib.): an nempe de visu aut propria experientia, an de auditu a videntibus, an de auditu auditus, an ex fama etc. et praesertim *quo definito tempore.*

Art. 101. — Interrogationes, tum generales tum particulares, fiant semper ab instructore, non ab alio nec a defensore quidem vinculi. Instructor autem illas interrogationes particulares

prius deferat parti aut testi aut perito, quas sibi defensor vinculi, ad normam art. 70 § 1 n. 1, clausas tradiderit immediate ante examen. Iisdem et aliis, quas in examinis decursu defensor vinculi vel partes, si, annuente instructore ad normam art. 128, adsint, parti aut testi deferre postulaverint et ipse instructor admiserit, hic potest novas adiicere *ex officio*, quoties id necessarium aut utile putaverit ad veritatem eruendam vel accuratius exponendam (cfr. can. 1742 § 1); actuarius vero praemittat tunc in actis: *ex officio*, et addat propositam quaestionem.

Art. 102. — *Interrogationes breves sunto, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur* (can. 1775). Debent insuper esse interrogandi intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae.

Art. 103. — § 1. Partes, testes et periti:

a) nunquam praemoneantur de interrogationibus, quae ipsis sunt deferendae;

b) responsiones reddant semper oretenus, neque ipsis licet ex scripto recitare (cfr. cann. 1776 § 1-1777).

§ 2. Partis, testis et periti responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam, si id instructori videbitur necessarium vel opportunum, aut partes, testes, periti id postulent, quod attinet ad editi testimonii verba (cfr. can. 1778).

Art. 104. — § 1. Parti, testi et perito, absoluto interrogatorio, debent legi responsiones, quas actuarius scripto redegerit, data iisdem facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Cum autem ipsi responderint se nihil amplius habere quod addant, supprimant, corrigant aut mutent, iusiurandum emittant de *veritate dictorum et de secreto servando* usque ad processus publicationem, imo etiam perpetuo ad normam can. 1623 § 3: deinde depositioni immediate subscribere iubentur, et post eos subscribant defensor vinculi, promotor iustitiae, si adfuerit, instructor et actuarius (cfr. cann. 1769, 1780).

Art. 105. — § 1. In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redigenda de iis quae fiunt aut decernuntur in sessionibus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum a partibus, testibus et peritis praestandum, horum responsiones, necnon relatione et vota peritorum, lingua vernacula exprimi debent.

§ 2. Appellatione facta ad Apostolicam Sedem, acta et documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non

sint, in unam ex iis linguis authentice et fideliter vertantur, ad normam canonis 1644 § 2. Si ad versionem faciendam interpres foret adhibendus, is a tribunali, audito vinculi defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

§ 3. Una cum versione, et firmo praescripto can. 1644 § 3, acta et documenta in exemplari authentico transmittantur in fasciculum religata et cum eorum indice; originalia autem tantum si a Tribunali S. Sedis requirantur et adhibitis opportunis cautelis.

§ 4. In casu autem appellationis ad aliud tribunal superius serventur praescripta can. 1644.

§ 5. In causis in quibus pars, quae ad S. Sedem provocat, ad patrocinium gratuitum iam admissa fuerit, versio actorum fit *ex officio* a tribunali coram quo acta ipsa exarata sunt.

Art. 106. — § 1. Processus in sessiones dividitur: hinc interrogatio partis, excussio testis vel periti, aut quilibet actus iudicialis, qui expleri nequeat unica sessione, completur in altera.

§ 2. Si vero agatur de interrogatione partis, testis vel periti, praescripto articuli sequentis in singulis sessionibus standum est.

Art. 107. — § 1. Partes, testes et periti poterunt, durante inquisitione, altera parte aut defensore vinculi id postulantibus, vel idipsum statuente tribunali *ex officio*, sed audito vinculi defensore, denuo ad examen vocari, vel circa ea, quae testati sunt, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes.

§ 2. Quoties id expostuletur a partibus, tribunalis est suo decreto, audito vinculi defensore, eiusmodi postulationem reiicere vel admittere: cauto tamen, si eam admittat, ut omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (cfr. can. 1781).

§ 3. Cum pars vel peritus iterum interrogatur, eadem serventur, congrua congruis referendo, quae de eorum examine praescribuntur.

Art. 108. — Si cui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara, et instructor linguam huius personae propriam non intelligat, adhibeatur interpres iuratus, ab instructore designatus, partibus et vinculi defensore auditis, ut si velint legitimam contra eum exceptionem proponere possint.

Art. 109. — Pro testium et peritorum citatione, ea serventur, quae de partium citatione in Tit. VIII constituta sunt.

Caput II

De partium depositione

Art. 110. — Lite contestata, instructor partes interroget, delato ipsis iureiurando ad normam can. 1744, ab actore incipiendo, nisi gravis ratio aliud suadeat.

Art. 111. — *Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso* (can. 1743 § 1).

Art. 112. — Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sit haec recusatio, iudicis est aestimare (cfr. can. 1743 § 2).

Art. 113. — § 1. Pars, quae matrimonium accusaverit, primo interroganda est. Absoluta interrogatione, libellus parti ipsi perlegatur atque ab eadem quaeratur, utrum in singulis partibus eundem confirmet necne. Alter coniux similiter interrogetur; et dein eidem perlegatur actoris libellus, et interrogetur an accusationi se opponat necne.

§ 2. Si utraque pars matrimonium accusaverit, aut pars conventa responderit se nihil opponere accusationi, instructor, etiam *ex officio*, caute inquirat de rationibus ob quas ambae in accusatione concordent aut non dissentiant.

§ 3. Itidem, quum ex coniugum responsione oriatur collusionis suspicio, veritas subtilius perquirenda est etiam, si opus fuerit, per testes *ex officio* inducendos.

Art. 114. — § 1. Coniux post examen invitari potest ut quaestiones, si quas adhuc habeat, proponat, super quibus alter coniux examinandus sit.

§ 2. Parti, quae secundo loco interrogatur, si eius responsiones graviter discrepent a responsionibus alterius partis, instructor, ad instantiam defensoris vinculi vel etiam *ex officio*, proponat interrogationes ad diluendas difficultates et dubitationes, facta vel minus mentione coniugis contradicentis, prout casus ferat et prudentia suggerat. Imo, si opus sit, vocet iterum alterum coniugem, cui discrepantiam opponat, et, si casus ferat, ambo coniuges inter se *conferantur*.

Art. 115. — Si actor non compareat, serventur normae in art. 91 praefinitae. Reo non comparente, instructoris erit, audito defensore vinculi, perpendere, utrum renovanda sit citatio, an aliis modis opportunis utendum sit, veluti interventu personae

amicitia coniunctae et auctoritate gravis, quae ad comparendum eum inducat. Quod si comparere renuat, collegii erit decernere utrum contumax declarandus sit, an ut frangatur eius resistentia poenis canonicis sit plectendus (cfr. can. 1849 coll. cum can. 1845).

Art. 116. — Confessio extraiudicialis coniugis, quae adversus matrimonii valorem pugnet, prolata ante matrimonium contractum, vel post matrimonium, sed tempore non suspecto, probationis adminiculum constituit a iudice recte aestimandum.

Art. 117. — Depositio iudicialis coniugum non est apta ad probationem contra valorem matrimonii constituendam.

CAPUT III

De probatione per testes

Art. 118. — *Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte* (can. 1756).

Art. 119. — § 1. *Ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo impuberes et mente debiles.*

§ 2. *Ut suspecti:*

1° *Excommunicati, periurii, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;*

2° *Qui ita abiectis sunt moribus ut fide digni non habeantur;*

3° *Publici gravesque partis inimici.*

§ 3. *Ut incapaces:*

1° *Qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;*

2° *Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculi sigillo soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt;*

3° *Coniux in causa sui coniugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis, in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, cuius notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur* (can. 1757); salvo praescripto art. 122 et 137.

Art. 120. — *Non idonei et suspecti audiri poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaretur; sed eorum testimonium valebit tantummodo ut indicium et probationis adminiculum, et generatim iniurati audiantur* (can. 1758).

Art. 121. — § 1. *Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent.*

§ 2. *Salvo praescripto* art. 119 § 3 n. 2, *ab hac obligatione eximuntur:*

1° *Parochi aliique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;* nisi ab iis quorum interest secreti lege solvantur et deponere se posse prudenter censeant;

2° *Qui ex testificatione sua sibi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis, infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.*

§ 3. *Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniantur ad normam can. 1743 § 3; eademque poena mulctentur omnes, qui testem vel peritum donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere praesumpserint ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam* (can. 1755).

Art. 122. In causis matrimonialibus, *consanguinei et affines de quibus* in art. 119 § 3 n. 3, *habentur testes habiles in causis suorum propinquorum* (can. 1974).

Art. 123. — § 1. Testes induci possunt ab actore vel a reo convento vel a vinculi defensore, vel a promotore iustitiae, si causae intersit (cfr. can. 1759 §§ 1, 2). Induci vero debent ab instructore vel ab ipso collegio *ex officio*, si quocumque modo opportunum censeatur ad probationes complendas (cfr. can. 1619 § 2).

§ 2. *Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi* (can 1762). Id praesertim caveatur ab instructore, dato decreto, quando inducuntur pro re, quae directe ad probationem non pertinet vel cum eadem haud necessario connexa sit: et generatim quando inducuntur ad moras nectendas vel alteri parti damnum inferendum, aut quando causa paucioribus sufficienter instructa habeatur.

Art. 124. — Testes, qui sponte se exhibent ad testificandum, arbitrio instructoris admitti vel repelli possunt. Sunt tamen omnino repellendi si comparere videantur ut moras causae nectant vel iustitiae et veritati quoquo modo officiant (cfr. can. 1760).

Art. 125. — § 1. Quicumque probationem per testes postu-

lant, debent tribunali indicare eorum nomina, paternitatem, si opus fuerit, et domicilium cum designatione urbis, viae et numeri domus, et insuper exhibere positiones seu articulos super quibus testes sunt interrogandi (cfr. can. 1761 § 1).

§ 2. Positiones seu articuli, quos partes exhibuerint, vinculi defensori tradantur, qui, iuxta art. 70 § 1 n. 2, de iis rationem habeat in conficiendo interrogatorio testibus proponendo, aut saltem in actu examinis iuxta art. 101.

Art. 126. — § 1. Testium nomina parti, cuius interest, a tribunali tempestive nota fieri debent, ut ipsa exceptionem, si velit, testis reprobatoriam opponere possit.

§ 2. Si haec notificatio, gravi de causa prudenti instructoris iudicio aestimanda, vel instante vinculi defensore, ante testium examen non expediat, saltem ante testificationum publicationem facienda est (cfr. can. 1763).

Art. 127. — § 1. *Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere.*

§ 2. *Testis inobediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere vel iusiurandum praestare vel attestationi subscribere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex eius inobedientia partibus obveniat* (can. 1766).

§ 3. Testi, si id postulat, debetur indemnitas taxanda ad normam can. 1787 § 2.

Art. 128. — Regulariter examini testium neque partes neque earum procuratores aut advocati assistere possunt. Fit tamen facultas per modum exceptionis instructori vel partes vel earum procuratores aut advocatos admittendi, si causae adiuncta pro suo prudenti arbitrio id suadere videantur.

Art. 129. - Testium responsiones iuxta articulos propositos in actis a notario, dictante instructore, sed salvo praescripto art. 103 § 2, *integre et fidelissime* consignandae sunt, ita nempe ut nihil praetermittatur quod in iudicium influere possit. Caveatur, igitur, tum excessive diffusa relatio, tum, praecipue, nimia brevitas, ita ut evitentur monosyllabicae responsiones.

Art. 130. — § 1. Potest semper instructor, si id exigat necessitas impediendi ne gravia oriantur dissidia, neve testes gravi alicui periculo obiiciantur, procuratores et advocatos iureiurando adstringere de secreto servando.

§ 2. Si testis suam fecerit depositionem ea lege, ne suum nomen manifestetur alterutri parti vel neutri, et instructor censuerit hanc legem esse gravi ratione innixam, illi fas est dele-

gare duas aut tres personas, quarum causa nihil intersit, omni exceptione maiores, et parti vel partibus, quantum fieri potest, non suspectas, quibus significetur testis nomen ut inquirant an ipse fidem mereatur.

Art. 131. — § 1. Reprobatio testium fieri debet intra triduum post eorum nomina significata, nisi locorum distantia, arbitrio instructoris, longiorem terminum requirat. Serius facta non admittitur, nisi pars probet aut saltem iureiurando confirmet non antea defectum sibi innotuisse (cfr. can. 1764 § 4).

§ 2. Nisi causa reprobationis testis sit ab ipso iure determinata, instructor parti reprobanti ad probationem afferendam brevem praefigat terminum, et deinde procedat ut in causis incidentibus ad normam Tit. XI.

§ 3. Quod si reprobatio non sit statim et facile probanda, eius discussio in finem litis est reservanda: interim vero testis audiendus est (cfr. can. 1764 § 5).

§ 4. Futiles aut dilatorias reprobationis petitiones illico instructor suo decreto reiiciat.

Art. 132. — § 1. Pars renunciare potest testi a se producto, salvo iure alterius partis et defensoris vinculi, ut ipse testis ad testificandum evocetur (cfr. can. 1759 § 4).

§ 2. Ex causa, quae postea supervenerit, potest etiam pars testem a se productum reprobare.

Art. 133. — Instructoris est decernere, audito vinculi defensore, an sit locus collationi testium sive inter se sive cum partibus ad normam can. 1772 § 2.

Art. 134. — Absoluto testium examine, nisi instructori aut vinculi defensori videantur alii esse testes *ex officio* vocandi aut aliae probationes exquirendae, acta decreto praesidis rite publicentur (cfr. art. 175).

Art. 135. — § 1. Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi caute et ex gravi ratione et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae, si iudicio intersit, et defensoris vinculi, quae omnia iudex decreto suo definiat (cfr. can. 1786).

§ 2. Verum, si ex inquisitione emerserint facta, quae partes ignorare poterant, facultas eisdem relinquitur vel testes excussos iterum ad testificandum evocandi vel alios inducendi.

Art. 136. — § 1. Quod attinet ad *aestimandam testimoniorum fidem*, standum est praescripto cann. 1789, 1790, 1791.

§ 2. Quando agitur de circumstantia ex qua valor matri-

monii dependet, diligentius inquiratur in testium honestatem, quae periurii suspicionem removeat.

§ 3. Quod coniuges contra testem aliquem nihil excipiant, rationem id sane per se non suppeditat ut habeatur fide digna eius depositio contra matrimonium directa.

Art. 137. — *In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de impotentia vel inconsummatione aliunde certo constet, debet uterque coniux testes, qui septimae manus audiunt, inducere, sanguine aut affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam; quibus iudex ad normam can. 1759, § 3 alios testes potest ex officio adiungere* (can. 1975 § 1).

Art. 138. — § 1. De omnibus testibus exquiratur *ex officio* testimonium religiositatis, probitatis et credibilitatis; et eo maior ipsis fides adiicienda est, quo potiora habeantur documenta de requisitis bonae fidei.

§ 2. Testimonia huiusmodi omnia sunt publicanda, nisi de quibusdam ex ipsis, ad gravia damna vitanda attento eorum tenore, collegium aliud decernat (cfr. art. 130 § 1).

Caput IV

De peritis

Art. 139 — In causis impotentiae et defectus consensus ob amentiam requirendum est suffragium peritorum (cfr. cann. 1976-1982).

Art. 140. — § 1. In aliis causis peritorum sententia est exquirenda, quoties iudicium est faciendum, quod peculiarem in aliqua arte requirat peritiam: e. g. si de cuius scripti authenticitate inquirendum sit (cfr. can. 1792).

§ 2. An, in casu de quo in § 1, peritiae locus esse debeat, instructor decernet sive una ex partibus postulante sive *ex officio*, audito in quocumque casu vinculi defensore. Partibus dissentientibus, instructor rem collegio deferat.

Art. 141. — Periti designandi sunt, audito vinculi defensore, a praeside, cuius est eorum numerum praefinire (cfr. can. 1793); salvo praescripto art. 150.

Art. 142. — § 1. Ad periti munus deligantur qui non tantum idoneitatis testimonium a competenti magistratu obtinuerunt, sed etiam qui artis suae experientia sint insignes et religionis atque honestatis laude commendati.

§ 2. *Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam* art. 119, *ne ad peritorum quidem officium assumi poterunt* (can. 1795 § 2).

§ 3. Excluduntur quoque a periti munere qui quemlibet cum alterutra parte necessitudinis nexum habeant.

Art. 143. — In causis impotentiae vel amentiae excluduntur quoque a periti munere qui coniugem privatim inspexerunt; hi autem in casu impotentiae possunt (cfr. can. 1978), in casu amentiae debent (cfr. can. 1982), induci uti testes.

Art. 144. — Si periti ante peritiam exaratam, aut suspecti evaserint, aut eos muneri obeundo impares esse compertum fuerit, a praeside substituendi erunt, ad normam art. 141.

Art. 145. — Periti possunt ab utraque vel ab alterutra parte recusari, si de partium studio sint suspecti (cfr. can. 1796 § 1). In quolibet casu praeses suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio necne et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat ad normam art. 141 (cfr. can. 1796 § 2).

Art. 146. — Periti iusiurandum de officio fideliter adimplendo et de secreto servando praestare debent coram praeside, citatis partibus et vinculi defensore.

Art. 147. — § 1. Instructor decreto suo definiat, auditis partibus et defensore vinculi, omnia et singula capita circa quae peritorum opera versari debet (cfr. can. 1799 § 1): ut puta, utrum amentia sit habitualis, an fuerit transitoria et an lucida admiserit intervalla; utrum impotentia sit absóluta an tantum relativa, utrum instrumentalis an functionalis, utrum antecedens an subsequens matrimonium, utrum perpetua an sanabilis sine gravi vitae periculo.

§ 2. Peritis, ut iudicium suum recte facere possint, omnia causae acta, quae instructori necessaria aut opportuna videantur, remittenda sunt.

§ 3. Partibus fas est quaestiones proponere, de quibus, nisi instructor, audito vinculi defensore, ex iusta causa eas reiiciendas censuerit, periti, in peritia conficienda, rationem habere debent.

§ 4. Praefigatur quoque ab instructore tempus intra quod examen est perficiendum et votum proferendum: quod tempus ab ipso instructore ex rationabili causa, partibus auditis, prorogari potest (cfr. can. 1799 § 2).

Art. 148. — § 1. Periti examen singillatim et seorsim exsequi debent; alter alteri examinis exitum ne pandat; votum suum in scriptis uterque proferat; in relatione, propria manu

subscripta, perspicue quisque indicet qua via et ratione in explendo munere sibi demandato processerit, et quibus potissimis argumentis conclusiones prolatae nitantur (cfr. can. 1802).

§ 2. Praeses decernere poterit, ex peculiari ratione, ut examen a peritis collegialiter exsequatur. Quo in casu peritorum discrimina, si quae adsint, in relatione, datis rationibus, adnotentur (cfr. ib.)

Art. 149 — Si agatur de cuius scripti authenticitate investiganda, standum est dispositioni can. 1800.

Art. 150. — In causis impotentiae:

1° ad inspiciendum virum duo medici deputentur, qui monendi sunt ut honestis tantum mediis utantur ad impotentiam cognoscendam;

2° ad inspiciendam mulierem deputentur duae mulieres, si adsint, quae in arte medica laurea doctorali et experientia sint praeditae, vel, ex mulieris consensu aut ex decisione collegii, duo medici, sin minus duae obstetrices vere peritae. Corporalis mulieris inspectio fieri debet regulis christianae modestiae plene servatis et adstante semper honesta matrona *ex officio* designanda (cfr. can. 1979).

Art. 151. — In causis amentiae unus vel, pro casus gravitate, duo medici deputentur, qui in scientia psychiatrica peculiariter sint versati, cauto tamen ut excludantur qui sanam (catholicam) doctrinam hac in re non profiteantur.

Art. 152. — Exhibitis relationibus, instructoris erit peritos vocare, ut singillatim suas conclusiones recognoscant et iuramento confirment et quaestionibus a vinculi defensore opportune concinnatis respondeant.

Art. 153. — Si periti inter se discrepent, praeses alium, quem vocant peritiorem, designare poterit ad normam art. 141, qui suum votum proferat atque confirmet ad normam art. 148 et 152.

Art. 154. — § 1. Tribunal non tenetur sequi peritorum iudicium etsi eorum conclusiones sint concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat (cfr. can. 1804 § 1).

§ 2. Tribunal debet in rationibus decidendi exprimere, quibus motum argumentis peritorum conclusiones vel admiserit vel reiecerit (cfr. can. 1804 § 2).

CAPUT V

De probatione per instrumenta seu documenta

Art. 155. — *In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata* (can. 1812).

Art. 156. — § 1. *Praecipua documenta publica ecclesiastica haec sunt:*

1º *Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis;*

2º *Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;*

3º *Acta iudicialia ecclesiastica;*

4º *Inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis, vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica.*

§ 2. *Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.*

§ 3. *Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur* (can. 1813).

Art. 157. — Documenta, quibus probatur baptismus vel ordo receptus, mors, professio religiosa, matrimonium, cognatio spiritualis, dispensatio ab impedimento canonico, debent esse ecclesiastica, idest confecta a legitima auctoritate ecclesiastica ad normam art. 156 § 1, n. 4.

Art. 158. — Utriusque generis documenta nisi partes sponte exhibeant, tribunalis est auctoritate sua perquirere, et de iis partes vel testes in examine interrogare.

Art. 159. — § 1. Documenta vim probandi in iudicio non habent, ideoque admitti nequeunt, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita, et penes tribunalis cancellariam deposita (cfr. can. 1809).

§ 2. Ut exemplar habeatur authenticum, oportet sit manuscriptum, firmatum subscriptione eorum qui archivis, ubi exstant originalia, sunt praepositi, vel notarii ecclesiastici, et sigillo munitum.

§ 3. Pro documentis publicis civilibus exemplar habetur authenticum, dummodo sit ea forma descriptum, quam civiles leges praefiniunt.

Art. 160. — *Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint* (can. 1820).

Art. 161. — Documenta, penes tribunalis cancellariam deposita, ab actuario in ipso cancellariae loco custodiantur, et ibidem a partibus, defensore vinculi et ab ipsis iudicibus expendantur.

Art. 162. — § 1. Si quod dubium oriatur circa alicuius documenti exemplaris authenticitatem, aut a parte vel ab eo cuius interest aliqua exceptio opponatur, servetur praescriptum can. 1821.

§ 2. Si dubium aut exceptio versetur circa documenti veritatem, quaestio incidens proponatur etiam *ex officio*, vocatis et iudicialiter examinatis iis omnibus, quibus documenti origo et veritas nota esse praesumitur.

Art. 163. — § 1. Inter documenta privata non exigui ponderis esse possunt, praecipue in causis de vi et metu et de conditione, epistulae quas vel sponsi ante matrimonium, vel coniuges postea, sed tempore non suspecto, sibi invicem vel aliis dederint; dummodo de earum authenticitate et de tempore quo exaratae sint aperte constet.

§ 2. Instructor has epistulas opportune exquirat, partes vel testes monendo, ut, si quas habeant, eas tribunali exhibeant. Quae vero ab una parte proferuntur, ab alia recognosci debent.

Art. 164. — Epistulae sicut alia documenta privata illud pondus habent, quod ex circumstantiis et praesertim ex tempore quo redactae fuerint aestimandum est.

Art. 165 — Litterae, quas vocant anonymas, aliaque cuiuscumque generis anonyma documenta per se ne tamquam indicium quidem haberi possunt; nisi facta referant quae et quatenus aliunde comprobari possint.

Art. 166. — Si quid ex documento excerptum proferatur, quamvis in forma authentica redactum, tum altera pars, tum vinculi defensor, tum instructor *ex officio* ius habent postulandi ut integrum documentum, sive in originali sive in exemplari authentico, exhibeatur.

Art. 167. — § 1. Quoties pars documentum tradere recuset, quod ipsa fertur possidere atque aliquod pondus in causa habere praesumitur, instructoris erit, ad instantiam partis vel *ex officio*, audito vinculi defensore, per decretum statuere an et quomodo exhibitio facienda sit.

§ 2. Parte adhuc exhibitionem recusante, instructor rem deferat collegio, cuius erit perpendere quanti sit facienda haec recusatio.

§ 3. Parte vero negante se documentum possidere, instructor eam ad negationem iureiurando firmandam invitare potest.

Art. 168. — Si civile vinculum per divortium est solutum aut nullum declaratum, instructor curet, ut partes tum petitionem in foro civili oblatam, tum sententiam a magistratu datam exhibeant, atque, si casus ferat, etiam civilis causae acta.

Art. 169. — Circa vim et fidem instrumentorum serventur dispositiones cann. 1814, 1816, 1817, 1818.

Caput VI

De indiciis seu praesumptionibus

Art. 170. — § 1. *Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.*

§ 2. *Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure* (can. 1825).

Art. 171. — *Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127* (can. 1014).

Art. 172. — Dubium sive iuris sive facti, quod faveat matrimonio, debet esse prudens, seu probabili fundamento nixum, ut praesumptioni pro matrimonii valore locus sit.

Art. 173. — *Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat* (can. 1828).

Art. 174. — Praesumptionibus *hominis* est potissimum locus in causis, quae spectant ad consensus defectum. Ad eas constabiliendas instructoris est curare, ut circumstantiae proferantur in lucem, quae matrimonium praecesserunt, comitatae vel secutae sunt.

TITULUS X

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione

Caput I

De publicatione processus

Art. 175. — § 1. Perpensis a defensore vinculi, a iudice instructore et a praeside probationibus hinc inde adductis, facienda est actorum omnium communicatio inter partes.

§ 2. Haec facultas communicationis fit decreto praesidis, quo partibus earumque advocatis ipse concedit potestatem inspiciendi testificationes ceterasque omnes probationes quae in actis reperiuntur, quaeque secreta permanserant, et petendi actorum exemplar (cfr. cann. 1858, 1859).

§ 3. Eodem decreto praeses tempus utile praestituat, intra quod partes et defensor vinculi possint exhibere documenta, exponere argumenta, quibus allatae ab ipsis probationes et impugnationes roborentur, explicentur, compleantur.

§ 4. Fas adhuc est partibus novos testes inducere, verum tantummodo ad normam art. 135.

Art. 176. — Elapso praestituto tempore vel etiam prius, si defensor vinculi et partes tribunali declaraverint se nihil aliud exhibendum habere, deveniatur ad conclusionem in causa (cfr. cann. 1984 § 2, 1860).

Caput II

De conclusione in causa

Art. 177. — § 1. Conclusio in causa fit decreto praesidis, quo declaratur fuisse satisfactum praescripto praecedentis articuli ideoque causam satis instructam haberi.

§ 2. Caveat tamen praeses ne decretum conclusionis in causa edat, si quid adhuc putet esse exquirendum, ut causa satis instructa habeatur. Quo in casu, audito defensore vinculi, iubeat ea suppleri quae desint.

Art. 178. — § 1. Etiam post conclusionem in causa admittuntur in his causis novae probationes, praesertim si afferantur documenta ex novo reperta, aut producantur testes, qui ob legitimum impedimentum non potuerunt induci tempore utili (cfr. can. 1861 § 1 et art. 135).

§ 2. Si praeses probationes admittendas censeat, id decreto statuat; quod si renuat, patet recursus ad collegium.

§ 3. Collectis novis probationibus, ab instructore moneantur partes et vinculi defensor eisque praestituatur congruum tempus ut probationes ipsas perpendere et impugnare possint; aliter iudicium est nullius momenti (cfr. can. 1861 § 2).

Caput III

De causae discussione

Art. 179. — § 1. Edito decreto conclusionis in causa, praeses terminum praefiniat partibus vel earum patronis, necnon promotori iustitiae, si ipse matrimonium accusavit, ad defensiones suas sive allegationes tradendas (cfr. 1862 § 1).

§ 2. Defensio, ab advocato subsignata, praesidi exibenda est, eiusque, de licentia ipsius praesidis scripto apponenda in calce scripturae, tot exemplaria conficienda quot sunt necessaria.

§ 3. Praeses iubere potest ut exemplaria typis exarentur.

§ 4. Licet advocato, una cum defensione, exemplar exibere allegationum et potiorum documentorum.

§ 5. Defensiones uti supra exhibitae statim distribuendae sunt, una cum exemplaribus documentorum, cura tribunalis, ne causae definitio perniciosam patiatur moram.

Art. 180. — § 1. Recepta partium defensione, vinculi defensor intra terminum a praeside designandum suas animadversiones exibeat.

§ 2. Partes, necnon promotor iustitiae si adsit, ius habent animadversionibus respondendi intra terminum decem dierum.

§ 3. Vinculi defensor, accepta responsione, et ipse, intra decendium, eodem respondendi iure, si velit, uti potest.

§ 4. Respondendi ius semel tantum partibus esto, nisi praesidi, gravi ex causa, iterum videatur concedendum. Concessio vero uni parti facta, alteri quoque facta censebitur.

Art. 181. — Termini pro animadversionibus, defensionibus aut responsionibus exhibendis possunt rationabili de causa prorogari a praeside. Possunt etiam, omnibus consentientibus, iidem termini coarctari (cfr. can. 1862 § 2).

Art. 182. — Praeses nimiam defensionum extensionem etiam praefixo paginarum numero, si id expedire iudicaverit, moderari potest; ordinarie non excedatur numerus viginti paginarum in defensione et decem in responsione (cfr. can. 1864).

Art. 183. — § 1. Semper defensori vinculi ius sit ut ultimus audiatur.

§ 2. Si defensor vinculi intra decem dies (cfr. art. 180 § 3) nil responderit, praesumitur nil habere deducendum, et ad ulteriora procedere licet (cfr. can. 1984).

Art. 184. — Curet quoque praeses, sive *ex officio* sive ad instantiam partis vel defensoris vinculi aut, si intersit, promotoris iustitiae, ne exemplaria, vel typis non edita, ubi causae natura id exigat, ad extraneorum manus perveniant, peculiari lege de hoc partibus earunque advocatis et procuratoribus districte per decretum imposita.

Art. 185. — Iudicii dies et hora, nisi antea fuerint praefinitae, a praeside destinandae et partibus significandae sunt, ita tamen ut inter ultimam defensionem et iudicii diem decendium saltem intercedat.

Art. 186. — § 1. Praesidi fas est, vel *ex officio* vel defen-

sore vinculi vel alterutra parte instante, oralem quoque causae discussionem admittere.

§ 2. Discussio oralis post ultimam exhibitam responsionem expetenda est: in omni casu intra septem dies ante tempus praefinitum pro causae definitione.

§ 3. Pars, quae petit oralem discussionem, articulos seu capita proponat de quibus discussio facienda est.

§ 4. Praesidi advigilandum est, ne discussio oralis moderatae disputationis terminos excedat, neve inutiliter repetantur ea de quibus in defensionibus atque responsionibus actum est.

§ 5 Orali discussioni assistet notarius, ut, si praeses praecipiat, aut vinculi defensor vel pars postulet et praeses consentiat, possit de disceptatis, confessis vel conclusis scripto ad tramitem iuris ex continenti referre (cfr. can. 1866).

TITULUS XI

De causis incidentibus

Art. 187. — *Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut* a promotore iustitiae, si iudicio intersit, vel vinculi defensore, *quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem* (can. 1837).

Art. 188. — § 1. Parti legitime instanti instructor satis facere tenetur per decretum.

§ 2. A quocumque instructoris decreto pars cuius interest ad collegium recurrere potest, ut quaestio incidens instituatur. Recursus tamen intra decem dierum spatium a decreti notificatione instituendus erit, secus partes decreto acquievisse censentur.

§ 3. Recursus instructori, a quo decretum prodiit, est exhibendus; qui tamen, nisi decretum a se factum revocandum censuerit, illum tribunali sine mora deferre debet.

Art. 189. — § 1. Exorta quaestione incidenti, collegium, auditis altera parte et vinculi defensore, necnon, si intersit, promotore iustitiae, ante omnia perpendere debet, an quaestio nexum habeat cum causa principali, simulque an aliquo probabili fundamento nitatur.

§ 2. Quae duo si concurrant, collegium vel quaestionem incidentem admittat, vel, si iudicet eam necessario non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat, ut de ea

habeatur ratio die propositionis causae. Si autem duo simul non concurrant, collegium recursum reiiciat (cfr. can. 1839).

Art. 190. — § 1. Quaestione incidenti admissa, collegium, audita altera parte et vinculi defensore, necnon promotore iustitiae, si intersit, ante omnia statuat, utrum solvenda sit, attenta eius natura et gravitate, servata forma iudicii per interlocutoriam sententiam, an, non servata forma iudicii, per merum decretum (cfr. can. 1840 § 1); quae collegii decisio inappellabilis est.

§ 2. Collegium, ad instantiam partis aut *ex officio,* interventum promotoris iustitiae, si processui iam non intersit, exquirere debet, si constiterit bonum publicum in discrimen vocari; exquirere autem potest, si quaestionis incidentalis natura vel difficultas id consulat.

Art. 191. — Si quaestio incidens per sententiam solvi debeat, concordentur dubia, et eae serventur regulae quae de causa principali statutae sunt, exceptis terminis, qui statuantur brevissimi (cfr. can. 1840 § 2).

Art. 192. — § 1. Si quaestio incidens solvenda sit per decretum, partibus et vinculi defensori terminus assignandus est, in quo suas rationes afferant per breve scriptum seu memoriale.

§ 2. Collegii est decernere utrum facultas memoriali respondendi, quam partes et vinculi defensor postulaverint, concedenda sit brevissimo termino statuto, an potius discussio oralis ad normam art. 186.

Art. 193. — In decreto quo collegium quaestionem incidentem definit, rationes quibus nititur in iure et in facto breviter exponantur (cfr. can. 1840 § 3).

Art. 194. — Quaestio incidens et causa principalis, si casus ferat, una eademque sententia super merito definiri possunt.

Art. 195. — *Antequam finiatur causa principalis,* collegium *interlocutoriam sententiam potest, iusta intercedente causa, corrigere aut revocare sive ex se, auditis partibus, sive ad instantiam unius partis audita altera parte, et requisito semper voto promotoris iustitiae, si adsit, et defensoris vinculi* (can. 1841).

TITULUS XII

De pronuntiatione sententiae

Art. 196. — § 1. *Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est: eaque interlocutoria dicitur si dirimat incidentem causam; definitiva, si principalem.*

§ 2. *Ceterae iudicis pronuntiationes decreta vocantur* (can. 1868).

Art. 197. — § 1. *Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.*

§ 2. *Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.*

§ 3. *Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis* (can. 1869 §§ 1, 2, 3).

§ 4. Iudex qui eam certitudinem post diligens causae examen efformare sibi non potuit, pronuntiet: *non constare de matrimonii nullitate in casu* (cfr. can. 1869 § 4).

Art. 198. — § 1. Expleta causae disceptatione, die et hora a praeside ad normam art. 185 statutis, conveniant soli iudices, remotis quibusvis tribunalis administris, in ipsa tribunalis sede, nisi peculiaris causa alium locum suadeat, ad proferendam sententiam (cfr. cann. 1870, 1871 § 1).

§ 2. *Singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusiones suas venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.*

§ 3. *Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.*

§ 4. *In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere*, rationibus tamen breviter significatis in eodem voto scripto.

§ 5. *Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolin aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum* (can. 1871 §§ 2-5), dato rescripto: « resolutio dabitur in proximo ». Haec dilatio tamen *ultra hebdomadam comperendinari non debet* (ib.).

§ 6. Constabilita decisione, ponens eam scribit sub forma responsionis affirmativae vel negativae ad propositum dubium, eamque subscribit una cum aliis iudicibus et unit fasciculo actorum.

Art. 199. — Causae decisionem notarius protocollo addictus partibus oretenus communicare valet, eiusdemque decisionis exemplar, si petatur, tradere, dummodo collegium decisionem secreto servandam esse non decreverit usque ad formalem sententiae publicationem: quo in casu id ponens suo

decreto statuat. Haec communicatio nullam vim habet quoad decursum temporis pro appellatione interponenda.

Art. 200. — § 1. Sententia quam primum edenda est, non ultra mensem a die qua causa definita est, nisi collegium gravi ex ratione longius tempus praestituerit.

§ 2. Sententia latino idiomate exaranda est a ponente, nisi forte alii ex iudicibus in discussione hoc munus, iuxta aliqua de causa, commissum sit.

§ 3. *Sententia debet continere rationes seu motiva quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur et statuere de litis expensis* (can. 1873 § 1 nn. 3º, 4º).

§ 4. *Motiva ab extensore desumantur ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi ab ipsa iudicum maiore parte praefinitum fuerit quaenam sint motiva proferenda* (ib. § 2); haec omnia vero distincte, ordinate et breviter exponenda sunt.

§ 5. Sententia singulorum iudicum examini subiicenda est pro eorum approbatione et subsignatione.

Art. 201. — § 1. Si collegium censeat nullitatem matrimonii nondum ex deductis probari, autumat autem per suppletivam instructoriam probari posse, pronunciare debet: *dilata et compleantur acta* vel: *coadiuventur probationes.*

§ 2. Instructiones pro inquisitione suppletiva, audito defensore vinculi, secreto dandae sunt.

Art. 202. — § 1. *Sententia ferri debet, divino Nomine ab initio semper invocato.*

§ 2. *Dein exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, reus, procurator,* advocatus, *nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi si partem in iudicio habuerint.*

§ 3. *Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.*

§ 4. *Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.*

§ 5. *Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarata est et cum subscriptione omnium iudicum et notarii* (can. 1874).

§ 6. Addatur insuper decretum exsecutorium (cfr. can. 1918).

Art. 203. — § 1. Vota iudicum actis causae adiungi non debent, neque ad tribunal appellationis sunt transmittenda, sed in speciali archivo secreto servanda, saltem per decennium. Quo elapso fas erit ea comburere.

§ 2. Inviolabile etiam secretum est servandum de discussione quae in tribunali ante ferendam sententiam habetur, itemque de suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.

Art. 204. — § 1. *Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente; vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719* (can. 1877).

§ 2. Sententia simul eademque ratione vinculi defensori et promotori iustitiae, si partem in iudicio habuerit, semper notificari debet; ita pariter notificari debet reo convento contumaci.

§ 3. Si pars procuratorem habuerit, huic notificari poterit sententia.

§ 4. A die notitiae publicationis sententiae decurrit decendium pro appellatione.

Art. 205. — § 1. Sententia definitiva, eaque valida, etsi iudices unanimiter consentiant, retractari non potest.

§ 2. Attamen si error materialis inciderit in textu sententiae sive in transcribenda parte dispositiva sive in aliquo facto referendo, sententia ipsa, postquam effecta fuerit eius notificatio, corrigi potest vel ad instantiam unius partis, auditis tamen altera parte et vinculi defensore, vel etiam *ex officio*, auditis partibus et vinculi defensore.

§ 3. Altera parte aut vinculi defensore obstantibus, petitio per quaestionem incidentem definienda est (cfr. can. 1878).

Art. 206. — § 1. Si causa de nullitate matrimonii agitata fuerit ex capite impotentiae, et ex actis et probatis, tribunalis iudicio, non impotentiae sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, tunc, accedente petitione unius vel utriusque coniugis pro Apostolica dispensatione imploranda, acta omnia, una cum voto tribunalis ipsius, argumentis firmato sive in iure sive, praesertim, in facto, quo, exclusa impotentia, accusati matrimonii inconsummatio probata retinetur, transmittantur ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, quae iis uti poterit ad sententiam super rato et non consummato ferendam (cfr. can. 1963 § 2).

Quod si, collegii iudicio, probationes de non secuta matrimonii consummatione, hactenus collectae, habeantur non sufficientes iuxta Regulas a praefata S. C. die 7 Maii 1923 datas (cfr. *A. A. S.*, a. 1923, pp. 392 seqq.), eaedem a praeside vel instructore compleantur, et acta dein plene instructa ad S. C. remittantur, una cum voto scripto Episcopi et animadversionibus defensoris vinculi (cfr. dictas Regulas n. 3 § 2 et n. 98).

§ 2. Quatenus vero agatur de alio nullitatis capite (ex. gr. de defectu consensus, de vi et metu, etc.) et, collegii iudicio, matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel utrique parti libellum porrigere Romano Pontifici, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; et praesidi vel instructori ius est causam instruendi iuxta normas in Regulis ipsis determinatas. Dein autem acta omnia, una cum voto Episcopi et animadversionibus de quibus supra, mittantur ad S. C. (cfr. ib. n. 4).

TITULUS XIII

De iuris remediis contra sententiam

CAPUT I

De querela nullitatis

Art. 207. — *Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando:*

1° *Lata est a* tribunali *absolute incompetente vel a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1;*

2° *Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;*

3° *Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato* (can. 1892).

Art. 208. — *Nullitas de qua* in art. 207 *proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram* tribunali quod *sententiam tulit intra triginta annos a die publicationis sententiae* (can. 1893);

Art. 209. — *Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:*

1° *Legitima defuit citatio;*

2° *Motivis seu rationibus decidendi est destituta;*

3° *Subscriptionibus caret iure praescriptis;*

4° *Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit* (can. 1894);

Art. 210. — Querela nullitatis, in casibus de quibus in art. 209, proponi potest vel una cum appellatione, intra decendium, tribunali superioris instantiae, vel seorsim et unice qua querela intra tres menses a die publicationis sententiae coram tribunali quod sententiam tulit (cfr. can. 1895).

Art. 211. — § 1. *Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae,* si iudicio interfuerit, *et defensor vinculi.*

§ 2. *Imo* ipsum tribunal *potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra statutos* (can. 1897).

§ 3. Quod si intra statutos terminos nec querela nullitatis interposita fuerit neque sententia emendata, nullitas, quae sanabilis sit, censetur sanata.

§ 4. Si pars vereatur ne collegium, quod sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat et proinde illud suspectum merito existimet, exigere potest ut, in eadem iudicii sede, alii iudices subrogentur (cfr. can. 1896).

CAPUT II

De appellatione

Art. 212. — § 1. Pars, quae sententia se gravatam censet, necnon promotor iustitiae, si causae interfuerit, ius habent appellandi, idest provocandi a tribunali, quod sententiam tulit, ad superius tribunal (cfr. can. 1879).

§ 2. Defensor autem vinculi a prima sententia, matrimonii nullitatem declarante, ad superius tribunal provocare tenetur intra legitimum tempus; quod si fecere negligat, auctoritate praesidis compellendus est (cfr. can. 1986).

§ 3. Appellatio a vinculi defensore interposita prodest et parti, quae pro matrimonii validitate stat, salvo illi iure proprio appellandi; appellatio e contra a parte interposita vinculi defensorem non relevat ab obligatione appellandi.

Art. 213. — In gradu appellationis eodem modo et ratione ac in prima instantia (Tit. II) tribunal constituatur, eodemque modo et ratione (Tit. VII-XIII) procedatur, non omissis citationibus et dubii concordatione.

Art. 214. — § 1. A sententia interlocutoria vel a decreto interlocutorio (Tit. XI) ad superius tribunal appellari potest tunc tantum quando habent vim definitivae (cfr. can. 1880 n. 6).

§ 2. Sententia vel decretum tunc censentur habere vim definitivae, quum gravamen inferant, quod non potest per definitivam sententiam reparari: ut puta si probationes, quae in iudicium ferendum vere influere possunt, sententia vel decretum admittere recusent.

Art. 215. — § 1. Appellatio intra spatium decem dierum facienda est et intra mensem prosequenda ad normam canonum 1881, 1882, 1883, 1884.

§ 2. Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat tribunal appellationis.

Art. 216. — § 1. Tum defensor vinculi tum partes possunt, omisso medio, si id expedire iudicent in causis praesertim magni momenti, ad S. R. Rotam, vel, in casu de quo in art. 12, ad tribunal S. Officii appellare.

§ 2. Si appellantium alteruter ad praefata tribunalia Sanctae Sedis provocet, coram tribunalibus istis appellatio exclusive prosequenda est.

§ 3. Ita pariter parti, quae ad tribunal appellationis dioecesanum tempore utili provocavit, ius est petendi ut de sua appellatione videat S. R. Rota, vel, in casu art. 12, tribunal S. Officii, nisi tamen a tribunali appellationis dioecesano citationes iam legitime factae fuerint (cfr. art. 85). Itidem dicendum de vinculi defensore.

Art. 217. — § 1. Cum sententiae in causis matrimonialibus numquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae retractari poterunt coram tribunali superiori, non exceptis casibus in quibus appellatio defuerit vel deserta aut perempta fuerit.

§ 2. Sed ex duplici sententia conformi in his causis consequitur ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis (cfr. cann. 1903, 1989).

§ 3. Talia argumenta vel documenta non requiritur ut sint gravissima, multoque minus decretoria, hoc est quae peremptorie exigant contrariam decisionem; eorunque pondus pro causae revisione a tribunali tertiae instantiae aestimandum est, auditio vinculi defensore.

Art. 218. — § 1. Causa matrimonialis ab uno tribunali iudicata, ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari nunquam potest, etiamsi praesto sint nova argumenta vel documenta, sed de ea videre potest iterum *tantummodo* tribunal superioris instantiae, praevia appellatione (Comm. Pont., 16 Iunii 1931).

§ 2. Praefata dispositio ita intelligatur, ut locum habeat si agatur revera de *eadem causa*, hoc est, *propter idem matrimonium* et *ob idem nullitatis caput*.

Art. 219. — § 1. Si, lite pendente, aliud nullitatis caput afferatur, decernendum est utrum illud admitti debeat iuxta ordinarias normas competentiae; eoque admisso, serventur reliquae regulae pro causae instructione.

§ 2. Si vero novum hoc nullitatis caput afferatur in gradu appellationis, illudque, nemine contradicente, a collegio admittatur, de eo iudicandum est tamquam in prima instantia.

Art. 220. — *Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denunciatione elapsis, novas nuptias contrahendi* (can. 1987).

Art. 221. — § 1. Si post alteram sententiam pro nullitate matrimonii vinculi defensor iudicet, pro sua conscientia, ad tertiam provocare instantiam, ad normam art. 213 agendum est.

§ 2. Vinculi autem defensor ulterioris istius instantiae interpositam appellationem pro sua conscientia prosequi vel deserere potest.

§ 3. In casu autem desertionis, partibus ius est ad novas nuptias convolare, habita notificatione decreti quo collegium statuerit appellationem desertam (cfr. can. 1886), vel peremptam (cfr. cann. 1736, 1737) habendam esse.

Art. 222. — § 1. Si ex authenticis documentis constet, pendente causa et sententia nondum prolata, mortuum esse alterutrum coniugum, acta reponantur in archivo, et ad decisionem ne deveniatur nisi alter coniux aut defuncti heres instent gravibus de causis, ut puta ad prolem forsan ex attentato matrimonio natam legitimandam vel ad hereditatem consequendam (cfr. can. 1972). Hisce in casibus appellationem interponere et prosequi iidem possunt.

§ 2. Vinculi autem defensori, mortuo alterutro vel utroque coniuge, neque officium neque ius est appellationem interponendi vel prosequendi, de qua in can. 1986.

Art. 223. — Si alteruter vel uterque coniux post primam vel duplicem conformem sententiam affirmativam pro nullitate, a qua appellatum sit, matrimonium attentaverit, collegii erit decernere, *ex officio* vel instante vinculi defensore, inhibitionem exercitii iuris, ad tramitem can. 1672 § 3, usque ad definitivam sententiam.

TITULUS XIV

De iis quae fieri debent post declaratam matrimonii nullitatem

Art. 224. — Post duplicem sententiam pro nullitate matrimonii partibus denuntiatam iuxta praescriptum art. 204 § 1 et intra decem dies a defensore vinculi non appellatam, praeses tenetur eam notificare Ordinario loci, ubi matrimonium celebratum fuit (cfr. cann. 1987, 1988).

Art. 225. — § 1. Ordinarius loci praedicti obligatione adstringitur iniungendi quantocius rectori paroeciae, ubi matri-

monii celebratio est paroecialibus regestis consignata, ut de sententia nullitatis ac de vetitis forsan statutis, ex. gr. in causis impotentiae, in iis faciat mentionem necnon in baptizatorum regesto, si in ea paroecia uterque vel alteruter coniux fuerit baptizatus.

§ 2. Rector autem paroeciae tenetur sententiam nullitatis ac vetita forte statuta statim adnotare in praedictis regestis et, si uterque vel alteruter coniux alibi baptizatus fuit, parochum vel parochos loci baptismi collati monere de prolata nullitatis sententia, ac de vetitis forte statutis, ut haec in renatorum libro ipsi adnotent, necnon de iis a se peractis certiorem quam primum reddere proprium Ordinarium.

TITULUS XV

De modo procedendi in casibus exceptis

Art. 226. — Quoties agatur de casu excepto ad normam can. 1990, officialis, auditis coniugibus, si comparuerint, et perpensis rebus, videat an de impedimenti exsistentia seu de nullitatis causa ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constet. De quo si sibi videatur constare, necnon pari certitudine vel alio legitimo modo (Comm. Pont., 16 Aprilis 1931, ad I) appareat dispensationem concessam non fuisse, rem Ordinario deferat.

Art. 227. — § 1. Ordinarius, iudicem agens, citatis semper partibus iisque auditis, voto etiam exquisito defensoris vinculi necnon promotoris iustitiae, si iste matrimonium accusaverit vel ipsum Ordinarius audire censuerit, potest iuxta suum prudens iudicium matrimonii nullitatem sententia declarare, rationibus breviter adductis in iure et in facto.

§ 2. Quod si Ordinarius iudicaverit non omnia concurrere quae requiruntur vi canonis 1990, ut de nullitate matrimonii tamquam de casu excepto ipse agere queat, causam remittat ad tribunal dioecesanum, quod per viam ordinariam procedat, ad normam Tituli V et seqq.

Art. 228. — Ordinario absente aut impedito, sententia, de qua in articulo praecedenti, datur ab officiali de mandato speciali Ordinarii.

Art. 229. — § 1. Adversus istam Ordinarii aut officialis sententiam, nullitatis matrimonii declaratoriam, defensor vinculi, ad normam can. 1991, idest, si prudenter existimaverit impedimentum non esse certum aut dispensationem super eo-

dem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad tribunal secundae instantiae, cui acta sunt transmittenda, quodque scripto monendum est agi de casu excepto vi can. 1990.

§ 2. Idem ius competit sive promotori iustitiae, si interfuerit, sive parti, quae praefata sententia se gravatam senserit.

Art. 230. — Tribunal secundae intantiae definiat, eodem modo ac in art. 227, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu acta remittat ad tribunal primae instantiae (cfr. can. 1992).

Art. 231. — § 1. Si quis certo tenebatur ad canonicam formam celebrationis matrimonii, et tantum civile matrimonium contraxit, vel coram ministro acatholico matrimonium inivit, aut si apostatae a fide catholica in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, ad hoc ut constet de horum statu libero, neque iudiciales sollemnitates requiruntur, neque interventus defensoris vinculi: sed hi casus solvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 sqq.

§ 2. Si quod dubium supersit de recensitis conditionibus in § 1, quaestio ordinarii processus tramite definienda est.

TITULUS XVI

De expensis iudicialibus et de gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium reductione

Art. 232. — Partes adigi debent ad aliquid solvendum, titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur ex concessione gratuiti patrocinii (cfr. can. 1908).

Art. 233. — Quodlibet tribunal habeat taxarum notulam ac regulam, a Concilio provinciali vel conventu Episcoporum exaratam, in qua praefiniatur quid a partibus solvendum sit pro singulis actis iudicialibus et quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivo documentis (cfr. can. 1909 § 1).

Art. 234. — Curet autem tribunal:

1° ne expensae iudiciales nimis augeantur ex actis non necessariis aut inutilibus;

2° ne partes plus aequo graventur peritorum honorariis et expensis, quae a praeside taxanda erunt, iuxta consuetudinem in foro civili habitam pro similibus interventionibus;

3° ne procuratores et advocati alia emolumenta pro honorariis et expensis a partibus exquirant, nisi quae tabulis in tribunali exsistentibus probata sunt, ita ut, si pars id postulet, quaenam sint emolumenta solvenda praeses suo decreto definiat.

Art. 235. — § 1. Ut prospiciatur expensis iudicialibus, peritorum honorariis, si peritiae fiat locus, necnon testium indemnitati, praeses decernere potest ut congrua pecunia deponatur in arca tribunalis: quae sane pecunia, lite pendente, si id praesidi videatur, augenda erit.

§ 2. Quamvis haec pecunia ab actore deponi soleat, si tamen altera pars causae interveniat, praesidis erit statuere an et qua mensura depositum etiam ab altera parte faciendum sit.

§ 3. Parti renuenti terminus peremptorius ad pecuniam deponendam praefigi potest.

Art. 236. — § 1. Collegii est statuere in sententia definitiva, utrum expensae ab uno actore, an vero etiam ab altera parte sint solvendae, quoties causae interfuerit, et solutionis proportionem inter unam alteramque partem praefinire.

§ 2. Habenda autem est ratio paupertatis partis victae ad effectum expensarum compensationis decernendae.

§ 3. *A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, oppositionem intra decem dies facere potest coram eodem iudice: qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari* (can. 1913 § 1).

§ 4. *Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas* (ib. § 2).

Art. 237. — § 1. Actori, si constet de eius vera paupertate necnon de boni iuris fumo, gratuitum patrocinium a collegio concedendum est, advocato a praeside designato. Idque obtinere poterit pars conventa, quoties gravissimis de causis opportunum illud concedere collegium iudicaverit.

§ 2. Si pars non sit omnino pauper, sed impar ordinariis litis expensis ferendis, eorum deminutionem obtinere poterit, advocato tamen semper *ex officio* designato.

Art. 238. — § 1. Qui exemptionem ab expensis iudicialibus vel earum deminutionem assequi vult, praesidi libellum tradere debet, adiunctis documentis, quibus quae sit eius oeconomica conditio perspicue demonstret: simulque probare debet se, in lite agenda, non futilem neque temerariam causam agere.

§ 2. Praeses exquirat, ante concessionem gratuiti patrocinii vel expensarum deminutionem, votum promotoris iustitiae et vinculi defensoris, ad eosdem transmissis libello et documentis,

et, si cecessarium ducat, alias notitias etiam secretas percontetur (cfr. can. 1915).

Art. 239. — Si concessa exemptione totali vel partiali ab expensis iudicialibus, appareat postea in decursu processus, vel ex actis causae vel ex novis documentis, non adesse assertam paupertatem aut praesumptum bonum ius, collegium, vel *ex officio* vel ad instantiam defensoris vinculi aut promotoris iustitiae, exemptionem vel deminutionem revocare debet.

Art. 240. — § 1. Advocatus ad gratuitum patrocinium designatus ab hoc explendo munere se subducere nequit, nisi ex causa praesidi probata; secus a praeside congrua poena plecti potest, quam etiam ad suspensionem ab officio collegium producere valet (cfr. can. 1916 § 1).

§ 2. Si autem advocatus munus suum debita diligentia non adimpleat, a praeside ad illius observantiam revocabitur, sive *ex officio*, sive ad instantiam defensoris vinculi aut, si causae intersit, promotoris iustitiae.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 15 Augusti anno 1936.

D. Card. Jorio, *Praefectus.*
F. Bracci, *Secretarius.*

NOTANDA

Sequitur in fasciculo *AAS* ex quo Instructio S. Congregationis deprompta est, sequens

MEMORANDUM

In mentem RR. Ordinariorum locorum revocatur observantia praescriptionum, quae continentur in Litteris H. S. C. diei 1 Iunii 1932, in Alleg. III relatis, praesertim quod attinet ad notitias quotannis *ad hanc eandem S. Congregationem transmittendas circa causas matrimoniales in suis tribunalibus agitatas.*

Deinde, per modum *Appendicis* ex ordine haec iterum traduntur documenta:

I — NORMAE OBSERVANDAE IN PROCESSIBUS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO AD PRAECAVENDAM DOLOSAM PERSONARUM SUBSTITUTIONEM (*AAS l. c.* p. 362 ss.).

Quae normae olim iam prodierunt apud *AAS* XXI (1929) p. 490 ss.; apud *Periodica* vero XVIII (1929) p. 219 ss., *Annotationibus* manu A. VERMEERSCH, S. J. p. 222 ss. conscriptis illustratae.

II - INSTRUCTIO DE COMPETENTIA IUDICIS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS RATIONE QUASI-DOMICILII (*AAS l. c.* p. 365 ss.).

Quae *Instructio* antea iam prodiit apud *AAS* XXII (1930) p. 168 ss.; apud *Periodica* XIX (1930) p. 248 ss., cum *Annotationibus* eiusdem A. VERMEERSCH, S. J., p. 251 ss.

III — LITTERAE AD EXCELLENTISSIMOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ATQUE LOCORUM ORDINARIOS DE RELATIONE CAUSARUM MATRIMONIALIUM QUOTANNIS SACRAE CONGREGATIONI DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM MITTENDA (*AAS l. c.* p. 368 ss.).

Hae *Litterae* tandem iam exstant apud *AAS* XXIV (1932) p. 272 ss.; apud *Periodica* XXI (1932) p. 278 ss. *Annotationes* iterum conscriptae sunt p. 280 s. ab eodem *Periodicorum* Auctore.

Quae documenta cum suis *Annotationibus* pro momento iam ad novam *Instructionem* intelligendam iuvent.

Tandem concluditur praefatus fasciculus rerum *Indice* quem hoc modo nostrae editioni accommodamus:

INDEX

Decretum . . . . . PAG. 142
Tit. I - De foro competenti (ART. 1-12) . . . » 144
Tit. II - De tribunali constituendo (ART. 13-33) . » 146
Tit. III - De iure accusandi matrimonium (ART. 34-42) » 150
Tit. IV - De procuratoribus et advocatis (ART. 43-54) » 152
Tit. V - De libello causae introductorio (ART. 55-60) » 154

Tit. VI - De libelli admissione vel reiectione (ART. 61-67) . . . . . PAG. 156
Tit. VII - De officio iudicum et tribunalis ministrorum post causam per libelli acceptationem rite introductam (ART. 68-73) . » 157
Tit. VIII - De citatione necnon de litis contestatione et contumacia (ART. 74-92) . . . » 159
Tit. IX - De probationibus (ART. 93-95) . . . » 162
Caput I - Generalia de probationibus (ART. 96-109) . . . . . » 162
Caput II - De partium depositione (ART. 110-117) . . . . . » 166
Caput III - De probatione per testes (ART. 118-138) . . . . . » 167
Caput IV - De peritis (ART. 139-154) . » 171
Caput V - De probatione per instrumenta seu documenta (ART. 155-169) . . » 173
Caput VI - De indiciis seu praesumptionibus (ART. 170-174) . . . . » 176
Tit. X - De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione:
Caput I - De publicatione processus (ART. 175-176) . . . . . » 176
Caput II - De conclusione in causa (ART. 177-178) . . . . . » 177
Caput III - De causae discussione (ART. 179-186) . . . . . » 177
Tit. XI - De causis incidentibus (ART. 187-195) . » 179
Tit. XII - De pronunciatione sententiae (ART. 196-206) » 180
Tit XIII - De iuris remediis contra sententiam:
Caput I - De querela nullitatis (ART. 207-211) . . . . . » 184
Caput II - De appellatione (ART. 212-223) » 185
Tit. XIV - De iis quae fieri debent post declaratam matrimonii nullitatem (ART. 224-225) . » 187
Tit. XV - De modo procedendi in casibus exceptis (ART. 226-231) . . . . . » 188
Tit. XVI - De expensis iudicialibus et de gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium reductione (ART. 232-240) . . . » 189

47 — S. R. E. Patrum Cardinalium Commissio

Responsum 13 iul. 1936.

DE HONORIFICENTIIS ET INSIGNIBUS EQUESTRIBUS A B. MARIA V. DE MERCEDE NUNCUPATIS

(*AAS* XXVIII (1936) p. 306 s.)

Commissionis constitutio.

Peculiaris Eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Commissio, quam Ss.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XI constituit ut diiudicaret de conlatione honorificentiarum et insignium equestrium, quae fit ab Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, proposito dubio:

Dubium propositum.

An expediat ut Sancta Sedes memoratas recognoscat honorificentias et insignia equestria (vulgo: decorazioni), *quae confert dictus Ordo;*

Responsum.

respondit: *Negative et ad mentem.*

Mens.

Mens vero est:

Ordo abstineat a conferendis honorificentiis et insignibus.

I. Ordo praefatus a Mercede se abstineat a quaslibet honorificentias in futurum conferendo et insignia equestria praedicta, sive per aggregationem, sive per conlationem directam.

Constitutiones atque denominatio ad ius vigens aptandae.

II. Ordinis praelaudati Constitutiones quam primum cum normis congruant vigentis Codicis luris Canonici. Ordo vero idem nuncupetur tantum: « *Ordo Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum* », omissis omnino praedicatis: « *Coelesti, Regali, Militari* » et quibusvis aliis huiusmodi appellationibus.

De fidelium Ordini aggregationibus.

III. Fidelium aggregationes Ordini de Mercede sint in posterum aggregationes, quae charactere tantum polleant mere et stricte religioso et spirituali, exclusa prorsus quavis caeremonia atque aggregatorum appellatione, quae speciem militarem sive equestrem significationem inducant; propterea ad hunc explicitum finem Ordinis praelaudati Caeremonialia aptentur.

De iis qui honorificentias et insignia iam consecuti erant.

IV. Illos autem, quibus usque nunc honorificentiae et insignia cuiusque generis ex parte dicti Ordinis conlata sunt, eadem Eminentissimorum Patrum Cardinalium Commissio, omnibus perpensis, non esse inquietandos edixit.

Facta autem de his omnibus Ss.mo Domino Nostro Pio Div. Prov. Pp. XI relatione per infrascriptum E.mae Commissionis Secretarium in audientia diei XIII m. Iulii, an. MCMXXXVI, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum Cardinalium sententiam in omnibus adprobare et confirmare dignata est, atque etiam iussit ut eadem, quae plenum vigorem obtinet ab hac ipsa die, publici iuris fiat. *Approbatio et confirmatio Ss mi.*

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die XIII mensis Iulii anno MCMXXXVI. *Dies (13 iul. 1936).*

Commissionis E.morum Patrum Cardinalium a Secretis
ALBERTUS SERAFINI

ANNOTATIONES

Quod ad vim iuridicam ipsius Decreti, quippe quod *in forma specifica* a Sanctissimo confirmatum sit, atque verum significatum singulorum quae praescribuntur attinet, nulla sane est difficultas.

Ut vero ratio totius rei magis pateat, haec pauca historice annotare lubet.

Cum anno 1218 S. Petro Nolasco, ut fert pia traditio, apparuit Beata Virgo illum instigans ut fundaret Ordinem ad captivos redimendos, iam viginti annos et amplius existebat ad eundem scopum, praeter Ordinem Trinitariorum, fraternitas quaedam Barcinonensis, militibus et sacerdotibus constans, minus tamen organizata. Consiliante S. Raymundo de Penaforte, favente Jacobo rege Aragoniae, adjuvante Berengario episcopo Barcinonensi, S. Petrus fundamentum iecit sui Ordinis anno 1223; quem anno 1235 confirmavit Gregorius IX. Milites supra arma, fratres supra talarem scapulare album, omnes insignia regis Aragoniae et episcopi Barcinonensis portabant. Anno 1249 S. Petro supremam auctoritatem abdicanti, cum iam plurimi nobiles ex diversis nationibus et ipsius Jacobi regis filius Ordini nomen dedissent, successit moderator supremus non ex sacerdotibus sed ex militibus assumptus. Qui mos deinceps praevaluit donec Petrus

de Amerio, quartus Magister supremus, tradidit Priori Barcinonensi primatum in rebus spiritualibus; quo quidem Priore anno 1301 mortuo et schismate inter milites et fratres orto, illi militem, hi sacerdotem ut unicum supremum regentem elegerunt. Cui schismati ut finem imponeret Joannes XXII anno 1318 statuit nonnisi sacerdoti suprema auctoritate gaudendum. Qua re commoti milites Ordine relicto novum Ordinem militarem a Beata Maria Virgine de Montesa nuncupatum, nuper a rege Jacobo II rege Aragoniae institutum et anno 1316 a Joanne XXII approbatum, ingressi sunt. Unde fiebat ut Ordo B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum non amplius militarem sed potius spiritualem characterem haberet. Nihilominus variae appellationes minus canonicae, uti sunt *coelestis, regalis, militaris* (quae respiciunt sive apparitionem B. M. V., sive operam regis Aragoniae, sive characterem primitivum) passim apud auctores occurrunt quales sunt Bernardus de Vargas: Chronica *sacri* et *militaris* ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum (1619) et Josephus Linas: Bullarium *coelestis* ac *regalis* ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum (1696).

Quibus iam intelligitur unde honorificentiae illae ac insignia, quae nunc penitus extinguuntur, ortum duxerint.

JOS. CREYGHTON, S. J.

48 — S. Paenit. Apost. *(Officium de indulgentiis)*

Decretum 25 mart. 1936

INDULGENTIAE EXTENDUNTUR PIO EXERCITIO ADNEXAE QUOD « DIES PRO MISSIONIBUS » NUNCUPATUR

(*AAS* XXVIII (1936) p. 308)

Dies audientiae (14 mart. 1936).

Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 14 Martii c. a. concessa, benigne largiri dignatus est in favorem locorum in quibus non celebratur pium exercitium, « Dies pro Missionibus » nuncupatum et per Rescriptum S. Rituum C. diei 14 Aprilis anni 1926 pro paenultima mensis Octobris die Dominica statutum, Indulgentiam partialem septem annorum, eadem Dominica die lucrandam a christifidelibus qui saltem corde contrito ac devote quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint et pro infidelium conversione oraverint, firma pro iisdem locis Indulgentia plenaria, per praefatum Rescriptum tributa iis qui, rite confessi, ad sacram Synaxim eo die accesserint atque uti supra pias preces fuderint. Praesentibus, absque Apostolicarum Litterarum expeditione, in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Conceditur indulgentia partialis,

firma plenaria antea concessa.

Clausulae.

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 25 Martii 1936.

Dies (25 mart. 1936).

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S. S. LUZIO, *Regens*

ANNOTATIO

Sedulo ergo distinguas indulgentiam partialem septem annorum, olim (vide *AAS* XXVI (1934) p. 527; *Periodica* XXIII (1934) p. 141 s.) iam concessam pro iis locis ubi « Dies pro Missionibus » celebratur, nunc, propriis quidem condicionibus, aliis quoque locis lucrandam, ab indulgentia plenaria, primo concessa per Rescriptum S. R. C. 14 april. 1926 pro locis ubi celebratur « Dies pro Missionibus » (vide *AAS* XIX (1927) p. 23 ss.; *Periodica* XVI (1927) p. 31 ss.) quae pariter nunc et ad alia loca extenditur.

Cetera per se clara sunt.

Jos. C., S. J.

49 — Paenit. Apostolica

Decretum 18 Aprilis 1936

ABSOLUTIO SACERDOTUM AB EXCOMMUNICATIONE, OB ATTENTATUM ETIAM CIVILE TANTUM MATRIMONIUM, ET ACTU CUM MULIERE CASTE CONVIVENTIUM EORUMQUE ADMISSIO AD PARTICIPATIONEM SACRAMENTORUM MORE LAICORUM SACRAE PAENITENTIARIAE APOSTOLICAE EXCLUSIVE RESERVATUR.

(*AAS* XXVIII (1936) p. 242)

DECRETUM

Lex coelibatus et impedimentum ordinis sacri.

Lex sacri coelibatus inter Latinos adeo Sanctae Ecclesiae curae semper fuit atque est ut, si agatur de sacerdotibus, fere numquam super ea retroactis temporibus dispensatum fuerit, numquam prorsus, ne in mortis quidem periculo, in praesenti disciplina dispensetur.

Excommunicatio can. 2388, § 1 atque possibilitas in genere absolutionis manente cohabitatione.

Cum tamen, nequitia temporum, contingere aliquando soleat ut infelix aliquis sacerdos, suae vocationis oblitus in sacrilegum concubinatum lapsus, ob matrimonium etiam civiliter tantum attentatum aliasque gravissimas rationes, a cohabitatione sub eodem tecto cum suae desertionis complice, etsi forte tandem ad cor reversus, cessare impediatur, ideoque ad suae ejusdemque suae complicis conscientiae consulendum, data fide de absoluta perfectaque in posterum continentia perpetuo servanda, ad participationem sacramentorum more laicorum petat admitti, Sancta eadem Ecclesia, pro sua erga devios etiam filios materna sollicitudine, ei, quantum in se est, si et quando peculiaria id suadeant rerum adjuncta, subvenire non renuit. Quod quidem cum conscientiam praesertim respiciat, Sacrae Paenitentiariae Apostolicae *exclusive* reservari congruum visum est.

Absolutio in specie hujus excommunicationis can. 2388 § 1 in casu descripto.

Re igitur collata per infrascriptum Cardinalem Maiorem Paenitentiarium cum Ss.mo D. N. Pio divina providentia Pp. XI, eadem Sanctitas Sua, in audientia diei 14 mensis Martii vertentis anni, eidem Cardinali Majori Paenitentiario impertita, suprema Sua auctoritate decernere ac statuere dignata est ut, firma excommunicatione, de qua in canone 2388 § 1, absolutio ab ea in casu supra exposito et consequens supplicantis admissio ad sacramenta more laicorum suscipienda, ab ipsa tantum Sacra Paenitentiaria Apostolica, servata speciali procedendi

forma et sub peculiaribus quibusdam cautelis et conditionibus ab eadem Sanctitate Sua patefactis ac praescriptis, concedi possint; et si forte concedantur ab aliquo sacerdote in periculo mortis, maneat obligatio ad ipsam Sacram Paenitentiariam recurrendi, ut praescribitur canone 2252 pro censuris a jure Sanctae Sedi specialissimo modo reservatis.

Hoc autem Decretum Sibi relatum in alia audientia diei 28 eiusdem mensis idem Ss.mus Dominus Noster in omnibus adprobare et confirmare dignatus est, mandans ut, quo solet modo, publici juris fiat. Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus. *Confirmatio Ss.mi.*

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, die 18 Aprilis 1936. *Dies (18 Aprilis 1936).*

L. Card. Lauri, Paenitentiarius Maior.
S. Luzio, Regens.

Annotationes

I — *De coelibatu atque de ordine sacro tamquam impedimento dirimente matrimonii*

In ecclesia occidentali clerici in maioribus ordinibus constituti arcentur a nuptiis et castitem servare tenentur (c. 132 § 1); disputatur utrum haec obligatio originem habeat ex lege ecclesiastica an ex voto, atque videtur dicendum hanc obligationem haberi vi ipsius ordinis sacri, seu tum ex lege ecclesiastica tum ex voto tacite in susceptione subdiaconatus emisso, quatenus Ecclesia praecipit ut qui ad sacrum subdiaconatus ordinem promoveri velit, se obliget ad castitatem perfecte perpetuoque servandam (1).

Ordo sacer in ecclesia occidentali saltem dirimit matrimonium (c. 1072); origo huius dirimentis impedimenti certo est ex iure ecclesiastico, immo, ut videtur, immediate ratione legis ecclesiasticae, non immediate vi voti, cuius solemnitas est quoque ex ecclesiastica lege (2).

Si agitur de impedimento ex sacro *presbyteratu*

(1) Cappello, *De Matrimonio*, n. 436.
(2) Wernz-Vidal, *De Matrimonio*, n. 284.

dispensatio iuxta auctores rarissime conceditur, sed iuxta praesens decretum S. Poenitentiariae 18 Apr. 1936, quamquam dispensatio « fere numquam . . . retroactis temporibus » fuit concessa, « numquam prorsus, ne in mortis quidem periculo, in praesenti disciplina » dispensatur; can. 1043 ss. quoque tam pro periculo mortis quam pro casu urgenti quamlibet facultatem dispensandi quoad *presbyteratum* excludunt.

II — *De excommunicatione, de qua in can. 2388 § 1*

Clericus in sacris praesumens invalide contrahere matrimonium etiam civiliter tantum, eiusque quasi-uxor seu complex incurrunt excommunicationem S. Sedi *simpliciter* reservatam (c. 2388 § 1); si hic sacerdos est professus votorum perpetuorum *solemnium,* ipse et eius complex *bis* incurrunt eandem excommunicationem (c. 2388 § 1 coll. c. 2244 § 2 1°). Vox « praesumentes » canonis 2388 facilius iuxta dicta in c. 2292 § 2 complicem quam ipsum sacerdotem ratione praecipue ignorantiae ab incurrenda censura excusabit; simplex concubinatus non inducit hanc excommunicationem, nam requiritur aliqua species matrimonii etsi civilis tantum. — Praeter hanc excommunicationem talis sacerdos alias quoque incurrit poenas v. g. vacant omnia officia (c. 188 5°), est irregularis ex delicto (c. 985 3°) et generatim impeditus ex infamia facti (c. 987 7°) monitus si non resipiscit degradetur (c. 2388 § 1); si est religiosus est suspensus et prohibetur deferre habitum ecclesiasticum (c. 670, coll. c. 671), quas poenas facile sacerdos saecularis quoque incurrit (c. 2304, 2305, 2379). Ago tamen iuxta tenorem decreti huius S. Poen. tantum de poena excommunicationis.

III — *De absolutione a censura excommunicationis canonis 2388 § 1*

A — Si sacerdos, qui complicem derelinquit, poenitens petit absolutionem a censura, scandalum repa-

rat etc., quis absolvere potest ab hac excommunicatione?

Est in hoc casu excommunicatio *simpliciter* reservata S. Sedi, etiamsi agatur non de subdiacono vel diacono sed immo de sacerdote, unde absolvere possunt:

a — Si casus est occultus, absolvere potest Ordinarius (c. 2237 § 2) non autem si est publicus (c. 2237 § 1). Videtur tamen occultus esse casus si, quamquam olim fuit publicus, nunc post diuturnum tempus aut alias ob causas est occultus, vel si occultus est *hic* etsi alibi in regione longinqua sit publicus (1).

b — Pro foro *interno* absolvere potest ille qui habet facultatem in censuras simpliciter reservatas S. Sedi; sed insuper absolvere potest quilibet sacerdos in periculo mortis sine onere recurrendi postea ad S. Sedem (c. 882, coll. c. 2252), atque in casu urgentiore vel urgenti quilibet confessarius sub onere recurrendi postea ad S. Sedem (c. 2254 § 1). Effectus huius absolutionis pro foro interno est ut absolutus « remoto scandalo possit uti talem se habere etiam in actibus fori externi » v. g. quoad S. Communionem modo laicorum, « sed, nisi absolutio legitime probetur vel praesumatur pro foro externo, censura a S. Sede urgeri potest donec absolutio pro foro externo fuerit concessa » (c. 2251).

B — In casu proposito in praesenti decreto S. Poenitentiariae 18 Apr. 1936, si scil. sacerdos poenitens impeditur deserere complicem, quis absolvere potest ab hac excommunicatione?

a — In hoc casu quoque manet haec excommunicatio (c. 7388 § 1) *simpliciter* reservata S. Sedi, sed:

Quoad obligationem recurrendi postquam *moribundus* convaluerit (c. 2252) haec excommunicatio iuxta verba decreti S. Poen. speciem gerit censurae specia-

(1) Cappello, *De censuris*, n. 122, d.

lissime reservatae; in reliquis tamen manet censura simpliciter reservata v. g. quoad effectum can. 2247 § 3 et 2249 § 2.

Quamquam haec censura est tantum *simpliciter* reservata S. Sedi, tamen per se *sola S. Poenitentiaria* in hoc casu ab ea absolvit, ut patet ex verbis decreti: « S. Poen. Ap. *exclusive reservari* », « ab ipsa *tantum* S. Poen. Ap. »; quare in hoc casu nullae delegatae facultates quoad simpliciter reservatas censuras sustinentur, nec facultas S. R. E. Cardinalium (c. 239 § 1, 10), aut Ordinarii in casu occulto (c. 2237 § 2).

Manet tamen iuxta ipsa verba decreti facultas can. 882, 2252 pro quolibet sacerdote quoad moribundos, quamquam postea recurrendum est ad S. Poenitentiariam. Num manet quoque facultas quolibet confessario iuxta verba c. 2254 § 1 pro casu urgenti maxime, si poenitenti sacerdoti durum est in statu peccati munere donec consulta fuerit S. Sedes? Videntur negare *Collationes Brugenses* 1936, p. 337 (1), sed videtur affirmandum iuxta principia cc. 19, 22, 23; etenim decretum 18 Apr. 1936 non clare derogat canoni 2254, qui circa *quaslibet* censuras « quoquo modo reservatas » dat facultatem; atque facile explicatur cur decretum canonem 2252 solummodo commemoret non autem c. 2254, etenim c. 2254 quoad excommunicationem canonis 2388 § 1 iam obligat ad recursum ad S. Poenitentiariam, non vero c. 2252.

b — Si dicitur in hoc casu solam S. Poenitentiariam per se absolvere ab hac excommunicatione, agimus de solo casu quo *sacerdos* est absolvendus, nam de ipso solo agitur in decreto; unde non restrin-

(1) Etiam Fliesser (*Theologisch-praktische Quartalschrift*, LXXXIX (1936) p. 822) videtur putare confessarium in solo mortis periculo posse absolvere ab ista excommunicatione; saltem nullam mentionem facit canonis 2254. Nobiscum vero E. Bergh, S. J. in *Nouvelle Revue Théologique* LXVIII (1936) p. 915.

gitur facultas pro absolutione uxoris complicis; nec facultas aufertur pro absolutione Subdiaconi vel Diaconi, pro quibus in casu facilius forsan a S. Sede obtineri possit dispensatio ad matrimonium.

c — Ut sperari possit a S. Poenitentiaria in hoc casu absolutio a censura, aut a sacerdote iuxta c. 2252 vel a confessario iuxta c. 2254, hae requiruntur conditiones: ut sacerdos sit poenitens « ad cor reversus », ut detur fides « de absoluta perfectaque continentia in posterum », ut sacerdos impediatur ob graves omnino causas « cessare a cohabitatione sub eodem tecto »; atque S. Poenitentiaria praeterea procedit « servata speciali procedendi forma et sub peculiaribus cautelis et conditionibus ».

d — Absolutione concessa, tribuit S. Poenitentiaria quoque « consequentem supplicantis admissionem ad sacramenta more laicorum suscipienda » iuxta principium can. 2251; sed, si in nostro casu absolutio datur iuxta cc. 2252, 2254, ad evitandum scandalum generatim occulte tantum poterunt alia sacramenta administrari, praecipue S. Communio.

Trajecti-ad-Mosam H. BEIJERSBERGEN, S. I.

50 — S. Paenit. Apost. (*Officium de indulgentiis*)

SUMMARIUM INDULGENTIARUM QUIBUS FRUUNTUR CHRISTIFIDELES SCAPULARE RUBRUM A PASSIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI RITE BENEDICTUM ET IMPOSITUM GESTANTES.

(Apud *Ephemerides Liturgicae L* (1936), p. 148)

Indulgentia plenaria suetis conditionibus lucranda:

Indulgentia plenaria:

1) Die receptionis sacri Scapularis;

1 - die receptionis;

2) In festivitatibus Ss. Redemptoris, Pretiosissimi Sanguinis et Ss. Corporis D. N. Jesu Christi, Inventionis et Exaltationis sanctae Crucis, beatae Mariae Virginis Perdolentis (feria sexta post Dominicam Passionis), Septem Dolorum eiusdem Virginis Mariae, S. Ioannis Evangelistae;

2 - in quibusdam festivitatibus;

3 - singulis feriis sextis;

3) Singulis feriis sextis, si meditationi Passionis Domini, etsi auxilio alicuius pii libri, peractae saltem per horae quadrantem vacaverint;

4 - mortis articulo.

4) In mortis articulo, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, vel, si id facere nequiverint, saltem contriti, sanctissimum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint.

Indulgentia partialis.

Indulgentia partialis quinque annorum a Sodalibus pia mente ac saltem corde contrito lucranda, quoties Passionem D. N. Iesu Christi ut supra, per aliquod temporis spatium, meditati fuerint.

Approbatio elenchi C. S. Congregatione.

Die 26 novembris 1935, Sacra Paenitentiaria Apostolica, vi facultatum infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori in Audientia Ss.mi diei 17 mensis novembris 1933 concessarum, abrogatis hac in re praecedentibus concessionibus, praesentem Indulgentiarum elenchum, favore christifidelium Scapulare rubrum a Passione D. N. Iesu Christi gestantium, approbat eumque tamquam unicum haberi iubet atque imprimi ac publicari permittit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Clausulae.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens.*

51 — Pont. Comm. de Cod. Interpr.

Responsa 15 maii 1936

(*AAS* XXVIII (1936) p. 210)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I — DE CESSIONE BONORUM A RELIGIOSO MUTANDA

De mutatione cessionis vel dispositionis bonorum.

D. An requiratur venia S. Sedis ut professus, ad normam canonis 580 § 2, cessionem vel dispositionem saltem de notabili bonorum parte in favorem religionis mutare possit.

R. Affirmative.

II — DE TEMPORE SACRAE ORDINATIONIS

D. An sub verbis *festo de praecepto*, de quibus in canone 1006 § 3, veniant etiam festa per Codicem in universa Ecclesia suppressa. *Festa « de praecepto ».*

R. Negative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 15 mensis Maii anno 1936. *Dies (15 maii 1936).*

I. Card. SERAFINI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. Bruno, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

IN PRIMUM RESPONSUM DE CESSIONE BONORUM A RELIGIOSO MUTANDA

N. B. Evidens est agi in quaestione de § 3 canonis 580, non de § 2, quod per lapsum typographi scriptum est.

In hoc Responso Commissionis quaestio est de *mutatione* cessionis et dispositionis factae ad normam can. 569. Clare igitur distinguendi sunt varii casus:

1 — Novitius, ante professionem votorum simplicium, debet ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum *administrationem cedere* cui maluerit, et de eorundem *usu et usufructu* libere *disponere* (can. 569, § 1).

2 — Si illa cessio ac dispositio *praetermissa fuerit* ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, tunc fieri debet ut in casu primo, non obstante simplici professione emissa (can. 569, § 2).

3 — Si illa cessio ac dispositio facta quidem fuerit ante primam votorum simplicium professionem, sed postea *alia bona quovis titulo obvenerint, iterari* debet cessio ac dispositio relate ad bona obvenientia, eodem modo ac in casu primo, non obstante simplici professione emissa (can. 569, § 2).

In his tribus casibus cessio ac dispositio *libere* facienda est a novitio vel religioso, *nec excluditur cessio ipsi religioni facienda.*

Semel autem facta cessione ac dispositione, eandem *mutare* quidem potest religiosus, sed tantum sub quibusdam conditionibus, scl.:

a — non proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia;

b — si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, superioris regularis;

c — in utroque casu mutatio, saltem de notabili bonorum parte, fieri non potest in favorem religionis (can. 580 § 3).

Responsum Pont. Commissionis agit de hac ultima conditione. Si igitur religiosus cessionem vel dispositionem antea iam factam *mutare vult in favorem religionis,* saltem de notabili bonorum parte, requiritur venia S. Sedis.

Responsum est simplex declaratio legis in se certae, et valet retrorsum ad normam can. 17, § 2. Evidens enim est conditionem in canone 580 § 3 esse ad validitatem actus propter usum particulae « dummodo » quae equivalenter actum esse nullum statuit (cf. can. 11 et 39). Praeterea cum ad simplicem mutationem cessionis ac dispositionis iam requiratur licentia supremi moderatoris, ut fiat mutatio in favorem religionis requiritur licentia altioris superioris, qui est unica Sancta Sedes in casu.

Quid sibi velit « *saltem de notabili bonorum parte* » neque Codex neque Pont. Commissio in specie determinat. Secundum auctores probatos, id quod partem quartam non transgreditur, pars notabilis non erit; pars tertia vero semper videtur esse pars notabilis. Notandum vero est partem notabilem non esse diiudicandam ex absoluta quantitate seu summa quae reli-

gioni cedatur, sed *comparative* ad integros patrimonii reditus. Agitur enim de cessione usus et ususfructus, non ipsius patrimonii, cuius cessioni obstat can. 583, n. 1.

ADAMUS ELLIS, S. I.

IN ALTERUM RESPONSUM DE TEMPORE SACRAE ORDINATIONIS

Ex can. 1006, §§ 2 et 3 Ordinationes in sacris celebrentur intra Missarum sollemnia Sabbatis Quattuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto. Gravi tamen de causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto. Unde ad ordinationes habendas his diebus dominicis aut festivis, post Codicem iam non requiritur speciale Indultum, sed sufficit ut Episcopus iudicet gravem adesse causam.

Quaeri tamen potuit quaenam sint illa festa de praecepto in quibus *de iure* haberi nunc possint Ordinationes, eo magis quod hodie triplex distinguitur Catalogus festorum de praecepto. Et primo quidem can. 1247 enumerantur festa quae de iure reapse cadunt sub praecepto in Universa Ecclesia; sunt autem praeter dies dominicos omnes, numero decem. Sed praeter hos dies sunt plura alia festa quibus antiquitus annexa erat feriatio, pro quibus tamen postea suppressa est obligatio audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, etsi aliae obligationes diebus festivis annexae v. g. pro Episcopis et Parochis litandi pro grege, manent. Hi dies qui in Codice (can. 339 § 1) dicuntur festi dies de praecepto, etiam suppressi, enumerantur in Catalogo Urbani VIII iterum promulgato per decretum Sacrae Congregationis Concilii die 28 dec. 1919 (*AAS* XXII (1930) p. 42). Tandem, in initio Breviarii datur tertius Catalogus enumerans festa quae

liturgice habenda sunt ut feriata. Fere coincidit cum Catalogo Urbani VIII; in eo tamen adduntur quattuor festa quae in Catalogo Urbani non habentur, scilicet festa Sollemnitatis S. Ioseph, S. Ioachim, necnon Patroni Dioecesis et Provinciae; contra deest festum S. Silvestri. Porro, cum agatur hic de re liturgica, nonnulli auctores, ut GÉNICOT (*Institutiones Theologiae Moralis,* II, 433) et TUMMULO (II, 695), existimarunt, anteriore iuri innixi, intellegi posse etiam festa suppressa, quam opinionem practice tutam aestimabat VERMEERSCH (*Epitome Iuris Canonici*, II, n. 269 et *Theologiae Moralis Principia, Responsa, Consilia,* III, 730). Ipse tamen, cum in can. 1006 non dicatur « festum de praecepto, *etiam suppresso* », theoretice iam tenebat sola festa intellegenda videri quae alicubi ex privilegio, et ea quae ubique *per se ex Codice* vigent (quamvis in loco ordinationis dispensentur), sine respectu ad catalogum Urbani VIII. Et hanc opinionem severiorem praesens inculcat Responsum; in posterum ergo ordinationes ad ordines sacros iam haberi non poterunt, nisi in uno ex sex Sabbatis de quibus in can. 1006 § 2 vel in dominica aut in uno ex decem festis de praecepto de quibus in can. 1247 § 1. Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora Codice praescripta (can. 1006 § 5). Non tamen, ut rite animadvertit VERMEERSCH (loco citato), revocantur privilegia contraria. Sed non videtur suffragari posse antiquum privilegium habendi ordinationes, etiam extra tempora; constanter enim respondit S. C. Concilii privilegium recipiendi vel conferendi ordines extra tempora intellegendum esse de privilegio ea recipiendi die dominico vel festo de praecepto (Cf. VERMEERSCH, *loc. cit.*).

Namurci IOS. PAUWELS, S. I.

52 — Instructio Card. Secr. Status

AD SUPERIORES ORDINUM ET CONGREGATIONUM RELIGIOSORUM UTRIUSQUE SEXUS DE PROMOVENDA ACTIONE CATHOLICA

Die 15 Martii 1936 Em.mus Card. Secr. Status ad omnes superiores generales utriusque sexus religionum, nomime R. Pontificis misit epistolam de A. C. promovenda. Documentum lingua Italica eodem tempore foras editum est in ephemeride L'Osservatore Romano, *4 Iun. 1936 pag. 4 et in periodico* L'Assistente Ecclesiastico.

En latina epistolae fidelis interpretatio, aliunde nobis benevole praestita:

REVERENDISSIME PATER (1),

A. C. spes et solatium R. P.

Bene compertum est P. V. Reverendissimae, vivam fiduciam Societatis christianae restaurandae Summum Pontificem in Actione Catholica repositam habere, magnumque solacium percipere ex nuntiis undequaque venientibus, etiam e Missionum regionibus, de non interrupta ipsius evolutione et de pretiosis fructibus, quos per eam Dominus producit.

Collaboratio nonnullorum coetuum religiosorum saepius laudata.

Una vero e praecipuis huius consolationis causis generosa illa constantia fuit, qua nonnulli *Ordines et Congregationes Religiosae* virorum ac feminarum Actionis Catholicae ministerio sua membra dediderunt, quae scriptis, contionibus atque consiliis eius incremento atque ubertati profuerunt. Augustus ipse Pon-

---

(1) REVERENDISSIMO PADRE,

Sono ben note alla P. V. Rev.ma le vive speranze per la restaurazione cristiana della Società che il Santo Padre ripone nell'Azione Cattolica nonchè il vivo conforto che gli recano le notizie provenienti, anche dai paesi delle Missioni, sul suo continuo sviluppo e sui preziosi frutti che il Signore produce per suo mezzo.

Una delle ragioni di speciale consolazione è stato l'impegno generoso con cui alcuni *Ordini e Congregazioni Religiose* maschili e femminili hanno messo a disposizione dell'Azione Cattolica i loro Membri, i quali con la penna, la parola, l'assistenza ne hanno favorito lo sviluppo e assicurato i frutti. Lo

tifex non potuit quin saepius eis plausum et approbationem tribueret; atque adeo in epistola praeterito mense octobri ad Episcopos Brasiliae data, spem fovebat, auxilium familiarum religiosarum « omni alio validius ac latius patens esse futurum ».

Cursus speciales A. C. pro religiosis.

Ita prorsus eveniet, si, ut in illo ipso magni ponderis documento commendatur, speciales studii cursus habebuntur, quibus Religiosi ad hoc novum officium praeparentur, ita ut sua praedicatione suisque multiplicibus apostolicis operibus fideles ad Apostolatum Actionis Catholicae excitare et informare possint. Cum praeterea unum e magnis meritis religiosorum illud sit, quod de rebus divinis apud Clerum verba faciunt, maxime in Exercitiis spiritualibus: sperandum est fore ut, hac meliore praeparatione, aptius possint et maiore auctoritate praediti, commendare Sacerdotibus, cum adimpletionem aliorum munerum sacerdotalium, tum hoc Actionis Catholicae, quod Summus Pontifex iam in prima Sua Encyclica declaravit esse « in praecipuis sacri pastoris officiis ». Nec minus validum sine dubio erit Religiosorum auxilium in educanda iuventute, quae, cum maxima ex parte sit eorum directioni commissa, in his temporis et loci condicionibus versatur, ut meliores desiderari non possint.

In exercitiis spiritualibus religiosi clero commendent A. C.

In educanda iuventute religiosi auxilientur A. C.

---

stesso Augusto Pontefice ebbe ad esprimere in diverse occasioni il Suo plauso compiacente e, anche nella Lettera all'Episcopato del Brasile dello scorso Ottobre, si augurava che l'aiuto delle famiglie religiose « fosse più valido e più largo di ogni altro ».

E così senza dubbio avverrà se, come nello stesso importante documento è inculcato, si terranno Corsi speciali di studio per la preparazione dei Religiosi a questi nuovi compiti, in modo che nella predicazione e nelle molteplici opere di zelo i fedeli vengano eccitati e formati all'Apostolato dell'Azione Cattolica. Siccome poi una delle grandi benemerenze dei Religiosi è la predicazione al Clero, specialmente negli Esercizi spirituali, così meglio preparati, potranno con maggiore competenza e autorità inculcare, insieme all'adempimento degli altri doveri sacerdotali, anche quello dell'Azione Cattolica, che il Santo Padre fin dalla Sua prima Enciclica ha dichiarato essere « in praecipuis sacri pastoris officiis ». Ma non meno valido sarà senza dubbio l'aiuto dei Religiosi nell'educazione della gioventù, che nella maggior parte è sotto la loro direzione, in condizioni di tempo e di luogo che migliori non si potrebbero desiderare.

Formatio apostolica elementum pretiosum educationis, propter bonum iuventutis et Ecclesiae.

Saepius iam variisque in adiunctis Augustus Pontifex ad illud rediit: Iuvenes spiritu apostolico informare, id quod est Catholicae Actionis proprium, educationis elementum esse his novis temporibus necessarium, vitae christianae praesidium, et donum quoddam praestantissimum, per quod vocantur ad apostolatum magnam habentem connexionem cum apostolatu sacerdotali. Nequit sapiens educator hoc oblivisci: constringeret enim illum bonitatis prospectum, qui debet generoso cuique adolescentis animo late patere, privaret Ecclesiam pretioso subsidio nec fines omnes educationis vere christianae facile consequeretur.

Formatio apostolica in collegiis auget disciplinam; procurat nova membra associationibus A. C.; dat iuventuti arma contra pericula huius temporis.

Iuvat praeterea haec apostolica iuvenum informatio ad bonum se habendi modum ipsius Collegii. Nemo enim negaverit inaestimabile bonum quod inde provenit ad mutuum bonorum exemplum; efficaciam quam illis tribuit ad socios minus bonos in bonam frugem revocandos; conatum quem illis ingerit, e vita Collegii cotidiana veram praeparationem efficiendi, ad laborem quem sibi imposituros cogitant, vel tempore vacationum, vel studiis omnino peractis, in agminibus Actionis Catholicae. Illa igitur ipsa informatio eos efficiet milites magis induratos, ad multa et gravia pericula superanda, quae vita socialis nostri temporis secum affert, quaeque, ut nimia nos experientia docet, etiam inter iuvenes in scholis catholicis educatos, plurimum grassatur.

L'Augusto Pontefice in diverse circostanze ha insistito nel dichiarare che la formazione allo spirito di apostolato, proprio dell'Azione Cattolica, è un elemento essenziale della educazione in questi nuovi tempi, un sicuro presidio della vita cristiana, ed è una grazia speciale l'esser chiamati ad un apostolato che ha tante attinenze con quello sacerdotale. Un saggio educatore non può dimenticarlo, altrimenti resringerebbe gli orizzonti di bene, che devono schiudersi all'animo generoso dei giovani, priverebbe la Chiesa di aiuti preziosi, e difficilmente raggiungerebbe tutti gli scopi di una vera educazione cristiana.

D'altra parte questa formazione giova allo stesso buon andamento del Collegio. Nessuno può negare l'inestimabile bene che ne proviene per il vicendevole buon esempio; l'azione conquistatrice verso i compagni meno buoni, l'impegno di trasformare la vita ordinaria del Collegio in una più viva preparazione al lavoro, che poi, sia nelle vacanze, sia terminati definitivamente gli studi, svolgeranno nelle Organizzazioni di Azione Cattolica. Così si troveranno anche più agguerriti a superare i molti e gravi pericoli dell'ambiente sociale moderno, che, è

Associationes internae erigendae.

His gravissimis de causis commendaverat iam antea Sanctus Pater ut *Internae Associationes* instituerentur, quae tam feliciter florerent in non paucis Institutis, utque Piae Associationes a Religiosis dependentes incitarentur « ad praestandum Actioni Catholicae suum providentiale auxilium, vel precibus ad Deum fundendis, vel efficiendo ut pulchritudo, necessitas et utilitas Actionis Catholicae melius cognoscerentur, vel exhortandis suis propriis membris ad eam amplectendam : quod praecipue de illis Institutionibus et Congregationibus intellegendum esse, quae iuventutem congregarent, ad fructus christianae educationis in ea conservandos ». (Epistola E.mi D.ni Cardinalis Pacelli, Secretarii Status Suae Sanctitatis, ad D.num Comm. Augustum Ciriaci, Actionis Catholicae Italicae Generalem Praesidem, 30 martii 1930).

Quo sensu Piae associationes sint auxiliares A. C.

Collaboratio religiosorum cum A. C. bonum totius Ecclesiae.

Si igitur optimi quique Religiosi, non solum suas preces ad hunc nobilissimum scopum collineare volent, sed eos etiam quorum curam spiritualem susceperunt, suis rationibus et hortationibus adducent ad orandum pro Actione Catholica et ad merendum sub eius vexillis ; tum quidem perfecta erit eorum

Gloriosa traditio religiosorum.

---

purtroppo constatato, fa numerose vittime fra i giovani educati nelle stesse scuole cattoliche.

Per questi gravissimi motivi, già altra volta il Santo Padre aveva raccomandato la fondazione delle *Associazioni Interne*, che così felicemente fioriscono in non pochi Istituti, e che anche le Pie Associazioni dipendenti dai Religiosi siano incitate « a prestare all'Azione Cattolica il loro provvidenziale ausilio, sia con la preghiera, sia col far conoscere la bellezza, necessità e vantaggi dell'Azione Cattolica, sia nell'esortare e indirizzare ad essa i propri soci : il che vuole intendersi particolarmente per quelle Istituzioni e Congregazioni che raccolgono la gioventù allo scopo di mantenere i frutti della cristiana educazione ». (Lettera dell'E.mo Sig. Cardinale Pacelli, Segretario di Stato di Sua Santità, al Sig. Comm. Augusto Ciriaci, Presidente dell'Azione Cattolica Italiana, 30 Marzo 1930).

Se poi gli ottimi religiosi non solo vorranno indirizzare a questo nobilissimo intento le loro preghiere, ma cureranno anche di persuadere ed eccitare quelle persone, delle quali hanno cura spirituale, a pregare e ad entrare nell'Azione Cattolica, veramente completa sarà la loro cooperazione e copiosi benefici ridonderanno all'Azione Cattolica e quindi alla Chiesa intera. Conformandosi a queste direttive i Religiosi continueranno le loro gloriose tradizioni di generosa prontezza nel venire

cooperatio et copiosa beneficia in Actionem Catholicam et in totam Ecclesiam ex ea redundabunt. His normis si Religiosi suum agendi modum conformabunt, gloriosam traditionem tuebuntur generosae alacritatis in occurrendo necessitatibus animorum et desideriis Vicarii Christi, his praesertim temporibus, quibus tam difficilis fit tutela iuventutis, tot inimicis obsessae et communisticis erroribus circumquaque lacessitae. Caritas igitur erit exquisita, plena virium collatione cum Clero saeculari cooperari ad Christi Regnum diffundendum, quod est Augusti Pontificis constans desiderium.

Benedictio apostolica.

